UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res, personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia, discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

Visual Library

N III. 18. Th. 4887.
~~29~~

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ferd. van Driesche.
Fortis et Constans.

Ex legato Celm Principis FERDINANDI Epi
Paderb. et Monaster. Anno 1683.

ΔΙΑΤΡΙΒΑΙ
DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ
APOSTOLIS,
SIVE

Dissertationes, quibus eorũ anni, actus, res, personæ, loca, tempora in eorundem actis occurrentia, discutiuntur, illustrantur, erroresque ab aliena manu illapsi refelluntur. Vtiles quoque ad nostrates Historias intelligendas.

AVTHORE
F. WILLIBRORDO BOSSCHAERTS Cœnobij
B Mariæ de Tungerlo Ord. Præmonst.
Canonico.

MECHLINIÆ
Typis ROBERTI IAYE Typographi Iurati
Anno M. DC. L.

Collegij Soc.is Jesu Paderb.

DISSERTATIONES
DE PRIMATU PETRI ET SUCCESSORUM EIUS
APOSTOLICO
SIVE
Dissertationes, quibus certi anni, actus, res, personæ, loca, tempora in eorundem actis occurrentia, dilucidantur, illustrantur, errorèque ab aliena mente illapsi retelluntur. Variæ quoque ad noctiores Historias intelligendas.

AUTHORE
R. P. Matia de Tamporio Ord. Præmonst.
Canonico.

MOGUNTIÆ
Typis Rodolphi Lux, Typographi Aulæ
Anno M. DC. L.

PROLOQVIVM

De huius operis occasione, initio & progressu.

DVm à plurimis annis pro affectu Frisiæ nostræ Apostolorum (Candide lector) vitam Sancti Svviberti, quæ apud Surium extat 1. Martij sub nomine S. Marcellini Consodalis, attentius perscrutarer, deprehendebam in eo aliquot commissa cõtra testatam probatissimorum historicorum fidem, & quo magis progrediebar, eo maiora errata emergebant, ita vt non solum iam corruptorem, aut imperitum interpolatorẽ, sed Pseudomarcellinum, qui sub nomine Sancti Marcellini ea in orbem protrusit, inuenisse viderer, atque ea in apricum deducta palam intimare & refutare cogitabam; verebar nonnihil argui temeritatis, & quod verebar, accidit. Arguebar enim quod auctorem à plurimis annis & à præstantissimis viris laudatissimum, adeo conculcarem & ab inolitis opinionibus longè recederem. Verùm occurrebat illud Iustiniani in codice lib. 1. de veteri iure enucleando §. 6. dicentis: *Sed neque ex multitudine auctorum quod melius est & æquius iudicatote, cum possit forsitan & deterioris sententia & multos & maiores in aliqua parte superare.* Ex quo monito deducit Nauarrus cap. 27. cui consentit Sanchius lib. 3. cap. 44. numero 2. cum plurimis alijs apud eum citatis, communiorem existimari opinionem à sex doctoribus ex professo rem tractantibus, quàm à quinquaginta sola fere priorum au-

ctoritate ductis: & meritò; solent enim multi ex aliorum infida fide, sine discussione, sine examine sua transscribere, ac per manus sequãcium posterorum transmittere, serie etiam multorum temporum, ita vt eorum traditio communis notitiæ, & pro compertâ habeatur, quam contra niti insolentiæ specimen præ se ferat. Accedebat quod viri magni, inter quos Molanus, disertè edicerent acta Sancti Svviberti esse manifestè vitiata. Itaque ijs animatus ad singula capita integro appositio textu, refutationem instituera & commentarijs multa illustraueram. Exhibui ea censoribus alijsque historicè peritis, qui quidem studium meum probabant, verum ne forte in labefactionem fidei vitarum de alijs sanctis conscriptarum vergeret, suadebant alia methodo id præstarem. Acquieui: & sub aliâ ea inuoluere cœpi, & quodammodo scholastico modo per differt. etiam de alijs cooperatoribus veteris Frisiæ Apostolis procedere. postmodum ad aliud opus à superioribus me emisso, exorsam telam imposita conditio præcidit, vel abrupit, & quidem plurimis annis, veriùs: nunc post aliquot lustra elapsa, tam Prælati, quam aliorum hortatu dissueta studia resumere, manum rursus apponere & ad debitam metam adducere sum persuasus. Stimulabat me etiam quod cum refutationem supra memoratam à me concedi petijssent aliqui docti, etiam Vltraiectenses, qui cum alijs litterarum commercia tractabant, qui potuerunt alijs communicasse aut suggessisse, ac cum in manibus diu habuissent, postmodum emanarunt ab illis libri, in quibus hîc à me confutata legebam. Nolo affirmare ea ex me, aut per me deprompsisse; possunt enim plures eundem spiritum sortiti, veritatem, quæ pluribus, præsertim seriò studiosis, se ostendit, attingere. Attamen hoc profiteor, me ex nullo recentiore hæc mea hausisse. studio meo fauente & adiuuante, spe-,

to

ro, Deo, omnia elaborasse. Fateor interim dum meum opus apud me per duo decennia hæret, ex recentioribus prout in manus veniebant, ad confirmationem meorum & augmentum subinde scripsisse, quos etiam non omitto citare.

Post primitùs absolutam Marcellini seu Pseudomarcellini præfatam refutationem, incidi in librum P. Iacobi Gretseri de SS. Eistatensibus, vbi lib. 1. observationum multa istius Marcellini refellit, adeo mihi conformiter vt vno spiritu hîc loqui videremur, quamquam illum antea nec legissem, nec vidissem. Vnico tantum à me discrepat de quo dissertatione 26. primusque est apud quem soccum, cothurnum, & laruam illi Marcellino adeo luculenter detracta legi, primusque, est quodsciam (ante me scripsit) qui illum Pseudomarcellinum intitulat. Dolendum hactenus etiam doctissimis viris insigniter ab eo esse impositum & etiam clarissimo Baronio, qui illum per omnia sequens fidissimum scriptorem nuncupat, cum tamen ab eo in fluctuationes & contrarietates impellatur, vt dissertatione 88. annotauimus. Alias annotat Gretserus supra, vbi cap. 11. est hæc: Tomo 8. ex lectione Marcellini egressum Willibrordi & Wunibaldi ex patria ad annum Christi 690. refert. & anno 697. eundem Episcopum Eistetensem creat. Rursum Tomo 9. Authoris qui vitam S. Bonifacij scripsit verba commemorans, euocationem ex Anglia reuocat ad annum Christi 725. Quæ duo cohærere non possunt vt per se liquet, & mirum est, inquit idem Gretserus, accuratissimum Baronium hoc non aduertisse; nam si vera sint quæ Author nomine S. Marcellini velatus narrat, ruant oportet quæ scriptor vitæ Bonifacianæ seu Othlonus prodidit, & vice versa. Vnum tantum vitium in eo aduertit Molanus, nimirum de Egberto missore non verè inscripto Archiepiscopo Ebo-

racensi, in reliquis omnibus tanquam veracem scriptorem sequens. Recentiores multos quotidie lego eidem tanquam veraci relatori se credere. Et non solùm Acta S. Svviberti ab illo Marcellino tradita falsitate respersa sunt, vnde acri censuræ meritò obnoxia, sed & epistola S. Ludgeri primi Episcopi Monasterienſis sub Carolo Magno ad Rixfridum Episcopum Vltraiectensem de relatione S. Svviberti in Diuos, miraculis post mortem, quam prima Martij dicto Marcellino annectit Surius quæque à pluribus magni fit, sæpe mihi fuit suspecta & modò in Surio recentiori & aucto legitur ad marginem Epistolę: *Hanc epistolam non ipsius S. Ludgeri, sed supposititiam existimat Christoph. Brouwerus in notis cap. 32. ad vitam S. Ludgeri in Syderibus Sanctorum.* Ita amant quidam sui ingenij fabricationes sub alieno nomine prostare. Ego fucos & specioso titulo prostitutas pseudologias dudum conatus fui in lucem proferre & nunc pro modulo ago, simul ob supra dictam rationem, res, loca, personas, tempora in eorum actis occurrentia, explicare, illustrare: quæ à vero abire videntur, ad trutinam reuocare, veritati, quantum datur, restituere. Nec hoc derogat honori Sanctorum quos scimus Christi cohæredes in cælesti regno triumphare. Diligunt ipsi veritatem, nec gaudent falsis gestis prædicari.

Quod si in hisce meis inquisitionibus siue dissertationibus quouis iactu album non attingam, agnoscat Lector me adnisum esse res ab æui nostri memoriâ remotissimas, ac spississimis obliuionis pariter & ignorantiæ tenebris subinde inuolutas, exacta saltem ad probabilitatis cotem ratione, historicâ fide repræsentare, paratum certiori veritati, vbi irradiauerit, herbam cedere; recolendo simul aureum illud sapientissimi Patris Augustini effatum: *Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam in*

qua

quâ magis amabo inſpici à rectis, quam timebo mordaci à peruerſis? Gratanter enim ſuſcipit oſculum columbinum pulcherrima & modeſtiſſima charitas: dentem autem caninum vel euitat cautiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas. Magiſque optabo à quolibet reprehendi, quam ſiue aberrante, ſiue ab adulante laudari. Nullus enim reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus. Si ergo inimicus inſultat, ferendus eſt. Amicus autem, ſi errat, docendus; ſi docet, audiendus. Proœmio in lib. 2. de Trinitate.

Nec mireris, Lector, hîc plurimùm agi de SS. Egberto, Wilfrido, Willibrordo, Svviberto, Bonifacio, cum tamen de omnibus veteris Friſiæ Apoſtolis ſcribere profiteamur, contigit hoc, tum quod ſodales, qui ab Egberto emiſſi cum S. Willibrordo ex Hyberniâ Friſiam intrarunt, ſecundum maximam partem ignorantur, vt in hoc opere oſtendetur: tum quodilli, vel Duces aliorum, vel Epiſcopi fuerint, & plura ab ipſis facta reperiantur. Vnde copioſiorem differendi materiam ſuppeditarunt. Acta quidem S. Bonifacij, quæ duobus libris comprehendit Othlonus, videntur aliorum multitudine excedere, attamen quia pleraque in Germania ſuperiore ſunt peracta, nos ijs omiſsis, attingimus ſolùm ea quæ ad Friſiam noſtram ſpectant.

Sanctiſſimis PP. Wilfrido, Egberto, Willibrordo, Swiberto, Bonifacio, Adelberto cæteriſque eorum in Friſica meſquondam cooperatoribus, nunc in cæleſti curiâ cum Chriſto ſempiternùm regnantibus.

D aram veſtram (Beatiſsimi Patres, Ciues Sanctiſſimi & Domeſtici Dei) venio ſanctitati veſtræ depoſiturus exile munuſculum. Ita ſolent Diuis Auguſtis ſalutem dicturi, ita Auguſtis Perſarum Regibus ſe exhibituri, Ita magnis Diuis vota nuncupaturi Chariſtion aliquod repræſentare. Exile munuſculum eſt quod offerimus: exile, inquam, ſi ad veſtras dignitates aſpiciamus: placiturũ tamẽ ſpero, tum ex veſtra benignitate, qua ſole-

tis

tis mortales amplecti; tum ex materia in qua vestra acta, vestra heroica gesta celebrantur, per quæ acta nunc dulciter quieti triumphatis amicti stolis albis & palmæ victoriarum in manibus vestris.

Vos estis de quibus Isaias Euangelicus Propheta admirabundus proclamat: *Qui sunt hi qui vt nubes volant & quasi Columbæ ad fenestras suas*; Inter hos vos fuistis prædicatores & Apostoli nostri. Nubes è terreno limo à sole & Cælesti virtute in altum extolluntur; ita & vos è cœnoso mundi gurgite ad cælestem vitam estis in sublime eleuati, mundo, & quæ in eo sũt, relictis, Eremis & claustris in Anglia & Hibernia vos inclusistis vt concultatâ terrâ conuersatio vestra esset in Cælis. Nubes roridæsunt & emittunt terræ pluuiam eâque terram irrigant & fœcundam efficiunt: ita vos superno S. Spiritus imbre rorefacti

refacti, eius adipe & pinguedine repleti pluuiam animabus gentilium, quæ erant coram Deo terra sine aqua, impluistis eâque animas bonorum operum fertiles effeciſtis. Datum fuit vobis quod optabat Moyses cum esset populo duræ ceruicis prædicaturus : *concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Concreuit in pluviam doctrina vestra; non fuit similis nubibus quæ præ leuitate à ventis per inanes auras disperguntur, ita vt nullum hinc fructum arida terra accipiat, sed vt instar pluviæ ex concretione tenuis nubis coalescentis, ac tum suo pondere in terram descendentis etiam ipsa quasi concrescat, vt scilicet suo põdre in audiẽtium decidat corda; atque vt ros suauiter diffluit è cælo in terram eamque humectando fœcundat, ita & sermo vester dulciter ex ore vestro in audientium dilapsus est pectora

ctora atque in ijs multos protulit fructus. Nubes à sole calorem hauriunt, ita & vos à Deo Sole iustitiæ calorem recepistis, spiritualem ignem quem Christus venit mittere in terram, quo imbuti confidenter & intrepide nihil minis, nihil à periculis territi, feris & indomitis barbaris vexillum S. Crucis intulistis, ad pœnitentiam, Crucem Christi ferendam induxistis. Recte Gregorius ille magnus vester Archiapostolus ait:

Prædicatores sancti nubes appellati sunt: quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur: quia in terra viuentes, extra terram fuit omne quod egerunt. Vnde & per quandam nubem dicitur: in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Priores enim patres coniugijs vtebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant; istos autem prophetia

iam ſpiritu prævidens ſubſtantias deſerere, nihil in terra quærere, nihil poſſidere, non eos vel homines per terram ambulantes, ſed nubes volantes nominat. Volant enim qui terram quaſi non tangunt, quia in ipſa nil appetunt. Qui & ad feneſtras ſuas quaſi Columba ſunt, quia pro manſuetudinis ſuæ ſpiritu in hoc mundo per oculos nil concupiſcunt.

Impleuiſtis & ad menſuram plenam Impleuiſtis illud quod Triſmegiſtus ille Apoſtolus Paulus Timotheo filio ſuo & in illo Præſulibus præſertim Eccleſiæ: *labora vt bonus miles Chriſti.* Laboraſtis vt ſtrenui Chriſti milites; primó, vt fidiſſimi & optimi Chriſti Corpora veſtra rationi ſubdendo, Ieiunijs, vigilijs, diſciplinis caſtigando & in ſeruitutem redigendo, concupiſcentias omnes refrænando, totum veterem hominem ſupplantando, auſcultantes ad illud eiuſdem Pauli: *obſecro vos vt exhibeatis Corpora veſtra hoſtiam viuentem, Sanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Secundò, laboraſtis in reformandis & dirigendis animarum veſtrarum interioribus, ita vt acies veſtra nuſquam diuergat niſi pure in ſolum Deum dicentes cum Dauide: *Quid mihi eſt in cælo & à te quid volui ſuper terram?* Denique omnium

virtutum

virtutum panoplia tamquam fortissimi athletæ instructi, induti virtute ex alto pugnastis, vicistis, contra te terrima infernalia monstra quæ plurimis sæculis in Frisia tyrannicum Dominium exercebant, id est cæcorum gentilium idola, ea destruendo, eorum lucos, aras, fana profana euertendo: inueteratas tanti temporis superstitiones dæmoniacas è stultorum gentilium cordibus extirpando, mille & mille animas è faucibus Orci eripiendo, mille & mille aberrantes oues in ouile Christi reducendo. In de vobis hymni victoriales. Legimus in Aureliano cum tribunus legionis sextæ Gallicanæ Franc. irruentes, qui vagabantur per totam Galliam, sic afflixisset, vt trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit, inde de eo, ad summam ipsius laudem, factam esse Cantilenam: *mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Quam glorioſiores vestræ pugnæ, vestræ victoriæ! Quam chariores, cariores! Quam iustius illud Epinicium cælitibus omnibus iucundum occinatur: *Mille subditos, mille animas ad vitam reuocauimus: mille, mille, mille, mille, mille, mille errantes oues quærimus.* Hæc heroica vestra facta, hæc bella bellata etiamnum celebrat Frisia: instituta vestra venerantur fideles Frisij, gloria vestra, corona vestra. nos exigui aliqua ostendimus, & ostendimus tantùm, ac quantum possumus illustrare conamur. Nam ijs pro debito celebrandis nec denæ Iliades sufficerent.

Maiores maiora, ſonent mihi parua locuto
Sufficit, vt veſter inde reſultet honos.

Hæc qualiacunque quantulacumque vobis dicamus, offerimus. Benigno vultu, ſereno veſtro ſuſcipite. Contra æmulorum venenata ſpicula, contra liuidos inuidorum & Zoilorum morſus defendite. multa in terra peregrinationis veſtræ apud Deum Sabaoth valuiſtis, longe plura iam in termino poſiti eique coniunctiſſimi, cum quo modò regnatis & ſine fine regnabitis.

Humillimus veſter Cliens

I. WILLIBRORDVS BOSSCHAERTS.

FACVLTAS

FACVLTAS SVPERIORVM.

IOANNES CHRYSOSTOMVS DEI MISERATIONE Abbas Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Michaëlis Archangeli Antverpiæ, Sacri & Canonici Præmonstratēsis Ordinis per Circarias Brabantiæ & Frisiæ cum plenitudine potestatis Visitator & Vicarius Generalis, præsentis scripti serie fatemur & attestamur, Nos facultatem dedisse (sicut damus per præsentes) typis subijciendi, & publici iuris faciendi eruditas Dissertationes de primis Veteris Frisiæ Apostolis, magno studio & labore concinnatas, & variâ doctrina respersas per Venerandum Dominum F. WILLIBRORDVM BOSSCHAERT Ecclesiæ nostræ B. Mariæ de Tungerlo eiusdem Ordinis nostri Præmonstratensis Canonicum, & olim in prædictâ Ecclesia S. T. Lectorem: quæ pro intelligendâ Belgicâ Historiâ illorum temporum meritò à Viris doctis, multum Sacræ & prophanæ Antiquitatis studiosis profuturæ creduntur. In horum fidem hasce Secretarij nostri manu conscriptas nominis nostri subscriptione ac Sigilli impressione firmavimus die 3. Novemb. 1645.

I. CHRYSOSTOMVS ABBAS S. MICHAELIS VICARIVS.

De Mandato R. Dñi mei Abbatis Visitatoris & Vicarij supradicti Iffridus van Varick *Secretarius.*

ERYCI PVTEANI
AD
Admodum Reverendum Amplissimumque
DOMINVM
D. AVGVSTINVM WICHMANS
INSIGNIS ECCLESIÆ D. MARIÆ TVNGERLOENSIS
ABBATEM
EPISTOLA

Quâ Iudicium suum de vita S. WILLIBRORDI, *eiusque coöperatorum, Frisiæ Apostolorum proponit.*

ADMODVM R.^de & AMPLISSIME PRÆSVL,

In Cælo Terram, ut sic dicam, describi minus iam miror: In Terra habemus Cælum. Quicquid magnum, æternum, divinum est, Cælum est; & an brevius? ubi Deus colitur, qui unus continet omnia, Cælum est. Qua quidem ratione, & tuam illam, quam pari pietate & prudentiâ, pari doctrinâ & bonitate regis TVNGERLOAM, Cælum appello. Omnia hîc pulchra sunt, & ad æterna excitant: omnia hîc magnifica, & ad Deum ducunt. Ne quis Solem desideret, Summum tu quidem Astrum

Astrum totâ virtute inter tuos repræsentas; Purus, CANDIDVS, magis etiam animo, quam vestimento splendens: Cuius mores tanquam radij sunt, vita tanquam jubar. Sidera tua Viri sunt, & te Mystagogo, Præmonstrant omnibus Religionis exempla, pietatis dogmata, Salutis arcana: alius aliâ luce, ut variæ animi dotes sunt, Ingenij, doctrinæ. habes in tam selecto Cœtu, in tam composito Choro, Theologos, Philosophos & ne ornatus desit, Philologos, atque litterarum studijs excultos: qui cum tui sint, & sub tuis infulis, sic agunt omnes, domi, foris, ut amari; & sic eminent, ut celebrari mereantur. Vnus nunc quidem hoc meo, sed brevi Elogio, WILLIBRORDVS tuus; Ille aliquid tui exprimens; ideoque inter claros Belgij nostri, imo sęculi Scriptores numerandus. Qui profectò, ut omnes breviter coniungam laudes, Nomine suo dignus est; quia Magnum illum Sanctumque WILLIBRORDVM, Frisiæ Apostolum, verissimè, plenissimè descripsit. Evolui Volumen, & quidni lumen vocem? Nam illius temporis, quod litterarum defectu obscurum, aut creperum fuit, & nunc tandem verè illustratur. Extra nubem PIPINVM illum HERSTALLIVM, extra caliginem CAROLVM illum MARTELLVM scire licet: statum sub ijsdem rerum, & potissimum Religionis; cùm qui Principes erant, essent optimi, & rem Christianam, adhuc nobis nascentem, quâ pietate, eâ liberalitate

erigerent; Viris autem locisque sacris impensè faverent. Hæc quæ sic explicatur Historia, VITA S. WILLIBRORDI est, hæc imago virtutum, hæc tessera temporum, basis antiquitatis Belgicæ, Divorum nostrorum, velut indigetum, series & pictura. Hîc lego quicquid scribere diversi potuêre: hîc scripsit unus, tanquam plures coniungerent operam, complexus omnia, non compendio, sed Commentario; facundus sine fuco, ut sua stabiliret; ingeniosus sine fastu, ut aliena ac fallentia oppugnaret. *Ardua res*, ut Plinij verbis utar, *vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem.* Sed profecto in hoc opere Novitas illa est, vetustas corrigitur; Auctoritas illa, nihil sine teste effertur; Nitor ille, splendent omnia; lux illa, vincuntur tenebræ; Gratia illa, horror sublatus est, denique Fides illa, vivis mendacia rationibus profligantur. DIATRIBAS Auctor vocat; sed reverà Gemmæ sunt; quæ cum ubique conspicuæ erunt, in Bibliotheca Asceterij tui, quæ luculentissima est, lucebunt maximè, & inter tot librorum gemmas. Coronæ sunt, quibus & D. WILLIBRORDVM WILLIBRORDVS, & te simul Antistitem suum basilicè exornat. O pulchrum argumentum! ô suave illicium! Tanquam à se non abiret, suum in Divo invênit Nomen, & gloriari potuit; Divi in suo, & scribendo Cælum veneratus est. Vnius præterea

Vita

Vita, plurium historia est; & qui sacra fælici ingenij dexteritate explicuit, profana simul emendavit. Prodeat ergò hoc opus, hæ DIATRIBÆ, hæ DISSERTATIONES, & tuis pompam aureis scriptis, OPTIME, DOCTISSIMEQVE PRÆSVL, faciant. Tuis, inquam, quæ ut pia, & facunda; ita cum fructu & fama publica passim leguntur. Non ineo numerum, cum vel sola BRABANTIA MARIANA, quam nuper paucis periodis prosecutus sum, numerum faciat, & iam Bibliothecas omnes impleat, ac ditet. Nullum BRABANTIA pretiosius elogium habet, MARIANA est; nullum ipsa Dei Mater, quæ totâ BRABANTIA colitur; sed quam totam in tot Vrbibus, Oppidis, pagis, Virgineo TVNGERLOA tua cultu exhibet, & comprehendit. Quid præterea? ut scribis unam tot locis DIVAM; ita uno præcipuè, sed tuo totam colis: quæ nobilissima scriptio est. Illa te, Optime & amplissime Antistes, te, inquam, Scriptorem suum, & Cultorem, Deo propitio, incolumem servet, & longæuum reddat! Fælicem TVNGERLOAM, quæ à te regitur, & nova quotidie incrementa, atque ornamenta, capit! hoc votum meum est, quo claudo, meque tuum profiteor, vero affectu, obsequio, cultu

ERYCIVS PVTEANVS
BAMELRODIVS.

Lovanij in Arce, XVI. Cal. Octob.
∞. IↃC. XLV.

CENSVRA.

VT memores simus Prepositorum nostrorum, qui nobis locuti sunt verbum Dei, eorumdemque intuentes exitum conversationis, imitemur & conservemus fidem; Dissertationes R. D. F. *Willibrordi Boschaerts* Ord. Præm. Canonici de primis veteris Frisiæ Apostolis, qui etiam in Brabantia fidem Christi propagarunt, valde idoneas, ideoque dignas ut typis commissæ evulgentur, censeo. 29. Septemb. 1645.

P. COENS *S. T. Licent. Can. & lib. Cens. Antverp.*

ALIA.

MEritò gloriari quidem poterat vetus Frisia in Sanctis suis Apostolis, quorum doctrina & Prædicatione lumine fidei fuit illustrata. Vt verò Sancta Catholica Romana Ecclesia, ab antiquitate, & sana doctrina probetur, & confirmetur, confundanturque qui novitate doctrinæ, seu verius, falsis dogmatibus, eam conturbant, perutiles, & prælo dignissimæ sunt istæ dissertationes Historicæ quas de *Willibrordo* eiusque Cooperatoribus, in convertendis Frisijs, & vicinis, accuratissimè, & verissimè descripsit R. D F. *Willibrordus Boschaerts* Ord. Præm. Canonicus. Sic censui 12. Novemb. *1647.*

ALEXANDER VANDER LAEN *S. T. L. Archipresbyter Canonicus & librorum Censor Mechliniensis.*

Antequam primarium noſtrum inſtitutum aggrediamur, duo quæſita præliminaria ſunt expedienda.

QVÆSITVM PRIMVM.

AN S. WILLIBRORDVS

Eiuſque Sodales primum omnium Friſijs Evangelium annuntiarunt.

VNt, præſertim vulgares, exiſtimantes illos primùm fidem Chriſtianam Friſijs intuliſſe. Verum ex Hiſtorijs conſtat ante Willibrordum per alios Friſijs eſſe prædicatum Chriſtianè. Inter eos numerandum S. Wilfridum dicemus diſſertatione 103. deinde poſt Wilfridum per duos annos Wigbertum diſſert. 30. ex Beda. Vlterius ſub Clothario Francorum Rege, qui cœpit regnare anno 588. ſub Dagoberto eius filio, qui deſijt anno 632. fidem Catholicam inter Friſios germinaſſe, Eccleſiaſque ab ipſis Regibus fundatas & dotatas, docemur ex antiquis litterarum monumentis. Ac cum primis ex Heda hiſce verbis: *Huius (Dagoberti) providentiâ Chriſtiana fides antea ſeminata firmius ſtabilita, ubi idem Rex conſtrui fecit Eccleſiam in honorem Divi Thomæ Apoſtoli, vel, ſecundum alios, Thom. & Martini, quam Barbari ac Friſij ſucceſſu temporis ſolo æquarunt, ita ut clarè intelligatur Chriſtianam fidem in his Regionibus & præcipue Traiecti incœpiſſe vigere à tempore quo Reges Francorum illam ſuſcepêre, longe ante adventum Suitberti aut Willibrordi. Nam Epiſcopi Colonienſes ab antiquo vendicare volebant jurisdictionem Eccleſiæ Traiectenſis, quæ*

tiam ante tempora Dagoberti fuit Episcopalis habens villas & possessiones & à Clothario patre eius ac Theodeberto Regibus bonis & privilegijs dotata, ut præmittitur & in proximo & in vita Bonifacij plenius docebitur. Eadem habet Lambertus Hortensius lib. 1. Rerum Vltraiectinarum non longè ab initio.

Quin-imo Willibrordo prius S. Eligium Noviomensem Episcopum Flandriæ & Antverpiæ Apostolis adnumeratum, inter Frisios divini verbi semina sparsisse, cum alijs asserit Martinus Hamcomius in sua Frisia quam equestri sermone edidit: qui altius assurgens adserit tempore Neronis Imperatoris in Frisiam à Petro Apostolo missum quendam Aegistum Christi annuntiatorem:

Ob vacuos agros, desertaque rura Tubantum
Cum lis orta foret; rerum potiunte Nerone;
Forte duos misit Legatos Frisia Romam.
Hi sacra conversi sunt per miracula Petri;
Atque inde in patriam (ne gratia tanta veniret
Tardius) Aegistum reduces duxêre sodalem;
Vnum è discipulis Domini; qui prima salutis
Per Frisiam tenui dispergens semina fructu,
Saxoniam petijt: Bardevicique peremptus,
Martirio, signis, & sacra claruit urna.

Ita & de eodem narrant Cappidius in historia Frisiæ Ecclesiastica: Bernardus Furmerius Annalium Frisicorum lib. 1. c. 6. qui ait fuisse unum ex 72. discipulis Domini advenisseque in Frisiam circa annum Christi 60.

Hunc Aegistum nec apud Molanum in Natalibus SS. Belgij, nec in Vsuardo, nec in alijs Hagiologis Belgicis hactenus reperire potui. Forsan is est de quo agit subpresso nomine Krantzius cap. 1. Metrop. Saxoniæ. Verum ille videtur potius dicendus Apostolus Saxoniæ, quam Frisiæ præsertim Belgicæ, de qua potissimum agimus. Interim Baronius ad annum Christi 46. refert

refert à principe Apostolorum esse missum quendam Egistum in Germaniam. An in Frisiam nostrã penetraverit, non additur. Posset interim confirmari de Ægisto si verum sit quod habet Bernardus Furmerius lib. 2. Annalium Frisicorum cap. 7. referens Frisios sub Duce suo Vdolpho Harone defuncto a.° 436. pacem egisse, adeoque fuisse mansuefactos, ut quamvis pagani essent, & Idolorum culturæ dediti, quatuor tamen in suis terminis passi sint ædificari Monasteria, ubi Christiani pietatem & cæremonias suas exercerent: quorum unum dicatur constructum in Aeduerdia: alterum in Blocdico: tertium in Vinckelia pagis: quibus quartum addunt Virginum Monialium ad preces Regis & Reginæ Daniæ ædificatum anno 429. Hęcille. Si ita sit, videntur germina ea succreviſſe à semine per Ægistum aut aliquem virum Apostolicum in Frisicam glebam iacto.

S. Eligium Episcopum quondam Noviomensem, quem Hamconius in sua Frisia inter priores Frisiæ Apostolos reponit, de quo supra, diu ante S. Willibrordi tempora Frisijs Christum annuntiasse, scribit etiam Audoënus Episco. Rhotomagensis coætaneus eius vitęque scriptor, quam publicavit Surius: ideoque de eo linea una aut altera ducenda.

Natus is est circa Annum Dñi 590. Iuvenis artem aurifabram didicit, in qua adeò excelluit, vt a Clotario 2. 10. Francorum Rege in Aulam ascîtus, apud eum eiusque filium Dagobertum 1. ac nepotem Clodoveum 2. Francorum Reges ob vitæ morumque sanctitatem gratissimus extiterit.

Anno 646. iuxta Antonium Sanderum in Hagiologio Flandriæ in locum demortui Acharij eligitur Episcopus Noviomensis & Tornacensis (erant enim per id temporis Tornacensis & Noviomensis Episcopatus uniti, demum anno 1146. separati) quem per viginti annos Sanctissimè gubernavit. Mortuus denique anno 665. iuxta Sigebertum in Chronico, conditur in Cathedrali Noviomensi, ubi usque in hodiernum diem plurimis coruscat miraculis.

Quænam particularia in Frisia egerit, in qua parte, quo anno prædicarit, non legimus. Illum hoc carmine celebrat Hamconius supra:

Fabrili Eligius Præsul celeberrimus arte,
Martini, Bricti, Dionisi Martyris, atque
Plura alia auratis Divorum corpora thecis
Clausit, & ingenti Quintinum luce refodit:
Magna pijs addens passim miracula factis.
Quin Flandros adiens, Andovarposque vetustos,
Ac Frisones; miro docuit conamine Christum.
Vincla reis soluit; soluitque à morte peremptos;
Spes inopum viguit; captiuorumque redemptor:
Læta operans viuus Noviomi, læta sepultus.

QVÆSITVM SECVNDVM.

An ante tempora S. WILLIBRORDI constituta sit aliquando sedes Episcopalis Vltraiecti aut in Frisia.

Affirmant Heda & Hortensius ut proximè audivimus. Verùm videtur mihi à vero abesse aut saltem incertum valdè. Primò, quod dum constitueretur à Pipino sedes Vltraiecti aut in Frisia, numquam in historijs legatur eversio prioris sedis aut restitutio antiquæ; nusquam in historijs vel inquiratur vel designetur ubinam illa sedes claruerit, quo anno destructa fuerit, sed ordinatur illa à Principe tanquam nova & hactenus inaudita: ad eam à Principe datur Castellum Traiectense ac si nullus alius locus habitationis Episcopalis extitisset. 2. Bonifacius epistolâ consultivâ ad Stephanum Papam contendens cum Colonienſibus pro Vltraiectina, numquam etiam antiquioris meminit, aut de instauranda antiqua mentionem ingerit; de Vltraiectina tanquam omnino prima & nova loquens:

quens: *nunc autem*, inquit, (scilicet postmortem Willibrordi) *Colonienſis Epiſcopus eandem ſedem præfati Epiſcopi Clementis Willibrordi à Sergio Papa ordinati ſibi uſurpat & ad ſe pertinere dicit propter fundamentum quoddam deſtructæ à paganis Eccleſiolæ, quam Willibrordus dirutam uſque ad ſolum in Caſtello Traiecto reperit, etiam proprio labore à fundamento conſtruxit, & in honore S. Martini conſecravit: & refert quod ab antiquo Rege Francorum Dagoberto Caſtellum Traiectenſe cum deſtructa Eccleſia ad Colonienſem Parochiam donatum ea conditione fuiſſet ut Epiſcopus Colonienſis gentem Friſonum converteret; quod ipſe non fecit, non prædicavit, non convertit Friſones ad fidem Chriſti, ſed pagana permanſit gens Friſonum uſque quod Reverendus Pontifex Romanæ ſedis Sergius ſupradictum ſeruum Dei Epiſcopum Willibrordum ad prædicandum dictæ genti tranſmiſit, qui illam gentem, ut præfatus ſum, ad fidem Chriſti convertit.* Hinc inobſcurè colligitur Dagobertum iſtam Eccleſiam ſive Eccleſiolam Vltraiectenſem à ſe ædificatam donaſſe & ſubieciſſe Epiſcopis Colonienſibus, quemadmodum non negat Bonifacius, per conſequens nullam Cathedram propriam Vltraiecti aut inter Friſios conſtitiſſe. Vlterius, cum affirmet Bonifacius Epiſcopos Colonienſes non convertiſſe gentem Friſonum iuxta impoſitam conditionem, ſed gentem Friſonum paganam permanſiſſe uſque ad tempora S. Willibrordi, ſequitur tantam multitudinem Chriſtianorum non fuiſſe, ut vel neceſſarium, vel conſultum, vel commodum, imo ſuperfluum fuerit, ſedem Epiſcopalem ibi figere. Quod pro ſuo fundamento adferat Heda ſecundum Abbatem Vrſpergenſem, (nomen ei fuit Conrardus ex nobili familia à Liechthenau Abbas IX. Cœnobij Vrſpergenſis Ord. Præmonſtratenſis in Auguſtana diœceſi: Vir doctus & illuſtris Germaniæ Hiſtoricus.) Sigebertum Auſtraſiæ Regem Koniocho donaſſe Epiſcopium Traiectenſe, in meo exemplari impreſſo Baſileæ anno 1569. tale

quid non reperitur. Esto, in alijs reperiatur, (audio enim Chronicon Vrspergense à Lutheranis admodum esse mutilatum, variatum & corruptum) non inde conuincitur fuisse sedem Episcopalem Traiecti; potest namque impropria locutione hoc dixisse Abbas, scilicet donasse ei terram Traiectensem regendam quæ erat Episcopium id est pars Episcopij Colonienſis: vel per Prolepsim, id est Traiectum quod postea factum est Episcopium, prout erat tempore quo Vrspergensis scribebat. Denique potuit Sigibertus Koniocho destinasse Episcopatum Traiectensem, sed ob raritatem Christianorum, & obnitentibus Barbaris, ac non longè post omnia evertentibus, negotium ad debitum exitum non perveniſſe.

Quod scribantur Clotharius & Theodebertus possessiones donasse Ecclesiæ Vltraiecti, non convincit fuisse sedem Episcopalem: nam eæ donantur etiam Ecclesijs aut congregationibus Clericorum non Episcopalibus, tum ad ritè complenda Ecclesiastica officia, tum ad sustentationem ministrorum & ædificiorum.

Ego libentius in eam eo sententiam Koniochum egisse Episcopum sine certo titulo, sine certo loco & (ita loquar) ambulatorium, quales id temporis frequenter consecrabantur ad conversionem gentium, adeoque in Frisijs Vicarium Episcopi Colonienſis ad regendam Ecclesiam à Dagoberto erectam, ad prædicandum & Episcopalia officia ibidem peragenda. Mihi omnino suffragatur Mart. Hamconius supra hisce versibus:

A Francis Frisonum Beroaldo Rege necato
Sanctus Agrippinæ Cunibertus Episcopus urbis
Traiectum obtinuit Dagoberti munere Regis.
Cui tum Koniochus cum suffraganeus esset
Vir pius ac sapiens ab eo transmittitur istuc,
Gentilesque docens Frisiæ fit Apostolus alter.
Hic primum invertens Traiecti fana Deorum,
Constituit Dydimo sacra Oratoria Thomæ:

Quæ

Quæ tamen instinctu Cacodæmonis impius ille
Rex iterum capta Radbodus diruit urbe.

Non dixit Hamcomius Koniochum ordinatum Episcopum Traiectensem aut tali Episcopio donatum (potius contrarium, quandoquidem dicat Traiectum donatum fuisse Episcopo Colonienſi) solummodo fuisse Suffraganeum Episcopi Colonienſis, quales Episcopi in vasta Diœcesi solent secum habere, ab eoque emissum tamquam Vicarium in terram Traiectensem, ibique auspicijs voluntate & liberalitate Dagoberti Regis Ecclesiam S. Thomæ ædificasse. Reliqua ipsius gesta latent.

Cæterùm prædictorum Apostolorum labores & fructus satis tenues & exigui temporis fuerunt ex pervicaciâ & perfidiâ Idololatrarum. Quare nos ab ijs qui fidem & sedem Episcopalem plantarunt ac in seros posteros transmiserunt (quos eatenus primos appellamus) dissertationes nostras inchoare statuimus. Et

Nota, per veterem Frisiam nos intelligere veterem Frisiam Belgicam, nimirum, Frisiam modernam quæ hodie ad distinctionem Emdanæ Occidentalis dicitur, olim Orientalis appellata: Hollandiam cuius magna portio est Nort-hollandia olim West-frisia dicta: ditiones Transisalanam: Vltraiectensem: Groeninganam: Geldriam pro maiori parte: & secundum aliquos Zelandiam. Non enim desunt existimantes eam quondam Flandriâ coniunctam cum ea Franciæ Orientalis nomine censam. Interim subfuit Apostolatui & Episcopatui S. Willibrordo tanquam Frisiæ Apostoli & deinceps jurisdictioni successorum eius usque ad institutos anno 1559. novos in Belgio Episcopatus, quo tempore, ut & aliæ Provinciæ, proprium Episcopium accepit sede Episcopali Middelburgi constitutâ.

Vitas S. Willibrordi & collaborantium scribere non intendimus, solùm quædam eorum acta, & maximè controversa, discutere; personas, loca, nomina in eorum Historijs occurrentia explicare, elucidare, fallentia impugnare.

Scripsit verò vitam S. S. Willibrordi & Swiberti I. S. Marcel-

linus teste Rixfrido apud Surium primâ Martij : sed non est illa quæ apud Surium ibidem legitur, nec ille S. Marcellinus cuius titulus ibidem præfigitur : ille enim falsus Marcellinus est, impostor est, quem in hoc opere sæpè refutamus, imò huius operis condundi primam occasionem dedit. Scriptum veri Marcellini à doctis viris diligenter est quæsitum, & non inventum.

2. Eam tradidit prosa & Carmine Alcuinus qui floruit sub Carolo Magno cuius fertur præceptor, defunctus anno 803. Abbas S. Martini Turonensis.

3. Prolixo admodum stylo per 36. capita eandem complexus est Thiofridus Abbas Cænobij Epternacensis : eandem similiter numeris ligatam, quam sic orditur :

Quadrifidi Cosmi Solem peperêre Britanni.
Solem *Wilbrordum* qui comit lumine mundum.

Sic & alibi S. Willibrordum mundi Solem vocat. obijt verò Thiofridus anno *1106.* aut secundum Miræum. *1110.*

4. Wilhelmus Heda Canonicus Vltraiectinus qui enumeratis Apostolicis Will. Swiberto, Bonifacio, Werenfrido, alijsque subiungit : *Hi omnes ex meritis anteactæ vitæ sancti & domestici Dei habiti adhuc nostra tempestate singulis in locis venerantur, quorum gestis hîc parum immorandum duxi, cum ea prout à claris autoribus in scriptis redacta sunt, formis excusa tradidimus & in lucem emisimus.*

An de facto lucem viderint, valde dubito, quandoquidem ne quidem apud aliquem unquam legerim citari. Forsan alibi M. S. cum blattis & tineis luctatur. Floruit Heda ante annum 1500. vixitque in annum 1525. quo mortuus est.

Acta S. Bonifacij duobus libris ante Annos 500. comprehendit Othlonus presbyter quos suæ Moguntinæ Historiæ inseruit cum luculentis annotationibus Nicolaus Serarius Societatis Jesv.

Werenfridi ex vetusto Codice Ecclesiæ Vltraiectensis descripsit

scripsit apud Surium 14. Augusti qui Surium augmentavit. An vetustus ille Codex non sit opus vel pars operis Hedani de SS. cuius mox est facta mentio?

S. Adelberti Egbertus Præsul Trevirensis Theoderici 2. Hollandiæ Comitis filius per merita S. Adelberti à valida febri absolutus iussit componi per Cœnobitas Medelocenses.

De S. Wilfrido multa legere est apud V. Bedam in historiâ Anglicanâ: plura & magis particularia apud Malmesburiensem lib. 3. de gestis Pontificum Anglorum cap. 1.

S. Wulfranni acta conscripsit Ionas contemporaneus apud Surium 20. Martij.

Sic & alij nacti sunt suos descriptores, ex quibus ut Molanus, Miræus, Rosweydè cæterique recentiores sua de S.S. contexerunt. hos adire licet qui eorum vitam peractam specialius nosse desiderat.

Quantum decoris & emolumentorum ex sanctis sudoribus & laboribus fidei nostræ Plantatorum effluxerit non solum in Ecclesias, sed etiam in Rempublicam Frisicas, disertè profitetur Guil. Heda Præpositus Arnhemiensis & Canonicus Vltraiectinus.

QVis celabit eorum Athletarum præconia, aut in obscuro sinet diutiùs delitere, qui Germanias & Gallias (quas gentilis error & Plutonica superstitio in summa feritate, indomitàque barbarie fœdaverat,) ad veri Dei cultum notitiamque convertentes, tanquam fortes pugiles & invicti Duces nedum doctrina & vitæ exemplo, sed & sanguine brevi temporum intervallo subdidêre Christo captivas, effecêre mansuetas? Vnde certè impij (ne dicam) crudeles censendi & magna ingratitudinis notâ digni essemus, si eorum trophæa per quos salvati sumus cum cæterorum dispendio permitteremus

inte-

interire. His namque auctoribus usque adeo apud istas provincias Christiana coaluit, & adhuc floret respublica, ut religione, morum integritate, humanitateque ac ingenio, sive in pace, sive bello, sive alijs rebus gerendis, ad quasvis etiam novas sive inventas artes nulli nationi cedant; claris urbibus, populorumque frequentiâ insignes, piæ & dum postulat occasio, perinde feroces, ut quicquid alijs deest, istis accessisse videatur. Crederes vel revolutum, vel immutatum orbem provinciasque istas sub alio cœlo collocatas. Quis enim assentietur Ethico Philosopho scribenti: Nos solis volucrum ovis lacte & caseo siccatisque piscibus enutriri? Quamvis adhuc creber sit usus fumatæ carnis ac piscis crudi. Quis Tacito asserenti Germanias tristi sub cœlo constitutas? Quis assentietur iam Plinio adnotanti, ne argentum quidem apud pleroſque fuisse in precio? Aut ipsi Cæsari recitanti alios nulla admittere commercia, imo nec vinum quidem, cùm iam terra ac mari tanta rerum advehatur affluentia, tanta regionum sit ubertas omnifaria, tot divitiæ, tot cibi, tot potus, vestiumque apparatus atque ædificia, (ut cætera missa faciam) quo Romanas superemus delicias; quicquid India, quicquid Ægyptus, quicquid insulæ & Regiones antea ignotæ fragrantiæ aut aromatum emittunt, iam redoleamus? Nihilque sit magis formidandum, quàm ne in lasciviam, desidiamque allecti, solitum amittamus animorum vigorem. Verùm qualiacunque ea sint, voto ac sudore processere sanctorum &c. Hæc verbotenus Heda epistolâ operi præfixâ Sanctæ ac Venerabili Ecclesiæ Vltraiectensi scriptâ.

DE PRI-

DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS

DISSERTATIONES,

Quibus eorum Anni, Actus, & quæ è vicino illos contingunt, discutiuntur, illustrantur, erroresque ab aliena manu illapsi refelluntur: vtiles ad nostrates Historias intelligendas.

DISSERTATIO PRIMA.

Quo anno sit S. WILLIBRORDVS natus.
Quam illustris eius natiuitas.
Quam nobilis Parentela eius.

NON nemo affirmat eum natum anno 668. aut circiter. sed repugnat alijs probatissimis Historicis, & sibi ipsi. Primò, Quia Alcuinus refert Willibrordum in Frisiam venisse 33. ætatis suæ anno, siue inchoato, siue completo: venit autem Willibrordus in Frisiam anno Christiano 690. vt testantur Ioannes Becanus, Guilielmus Heda, Thiofridus Abbas Epternacensis, Miræus alijque passim & fusiùs probabitur Diss. 26. Ex quibus

bus consequitur, S. Willibrordum in lucem editum esse anno 657.; triginta enim illi tres anni ætatis integrantur mensuranturque inter annum 657. & 690.

Secundò. Si natus fuerit S. Willibrordus anno 667. aut 68. aut 69. & triginta trium annorum ætatis apostolatum ad nos inierit, sequeretur eũ aduenisse anno 699. aut 700. aut 701. quod omnibus historijs repugnat & rationi.

Nascitur itaque S. Willibrordus anno Christi 657. quem natiuitatis annum expresè statuit Sandelinus & ex eo Ioannes Roberti in tabula Chronographica; erat is annus ab adventu Anglorum in Britanniam 208: à conversione Anglorum per D. Augustinum auspicijs D. Gregorij Magni, annus 61.: ab obitu eiusdem Gregorij 53. in Francia regnante Clodouæo II. In Austrasia Sigeberto eius fratre.

Mundo producitur eo tempore, quo miserator & misericors Dominus Austrasios, Frisios, vicinosque liberaliori gratiâ visitare decreuerat: eodem enim vel ferè eodem anno secundum supputationem Ioannis Roberti nascitur S. Hubertus Willibrordo notissimus ac familiaris. Qui duo Soles tenebricosis Belgis erant destinati; Hubertus in Australi, Willibrordus in Aquilonari parte. Et magis diuina dispensatio apparet, si iuxta eiusdem supputationem, asseramus eodem anno Romam petijsse Episcopos consecrandos. Certum verò est ab Angelo vtriusque consecrationem Sergio Pontifici intimatam: ab eodem Sergio consecratos. Eodem etiam anno Româ redijsse vult idem Roberti. sed de eâ temporis ratione aliàs. Episcopi coniunctis operis Ecclesiam Belgicam ædificant & eodem mense moriuntur. Præterea eo ipso tempore quo lucem aspexit S. Willibrordus, S. Lambertus Tungrensi Episcopatui inauguratur, futurus eius in propagandâ fide director, Consultor, Fautor, Adiutor.

Nascitur

Nascitur sæculo septimo, generoso & Sanctorum hominum feraciſſimo, vt nullo alio plures SS. Belgium noſtrum tulerit: vidit enim tum S. Amandum Episcopum Tungrensem, S. Acharium Episcopum Tornacensem, S. Bauonem: S. Chylianum Atrebatensium Apostolum: S. Bertinum: S. Ioannem Agnum: S. Autbertum Episcopum Cameracensem: S. Liuinum Gandensium Apostolum: S. Gaugericum Episcopum Cameracensem: S. Eligium Antuerpiensium Apostolum: S. Cunibertum Episcopum Colonienſem: S. Giſlenum, S. Vincentium, S. Audomarum, SS. Furseum, Follianum, & Vltanum: S. Hubertum, S. Remaclum, S. Theodardum Episcopum Tungrensem: SS. Iodocum & Winocum: S. Wilfridum, SS. Lambertum & Hubertū Tungrensium Episcopos & præter Willibrordum eiuſque Sodales, longe plures. Nec minori numero SS. Feminas Deo sacratas, quas longum esset enumerare. Consule Fastes Burgundicos & Belgicos Miræi & aliorum Ecclesiasticas Belgij historias.

Sed hoc omnium maximè eius natiuitatem cælitus ordinatam confirmat, quod Occidenti datus sit eâ tempestate, quâ in Oriente per schismata & varias hæreses sexto sæculo exortas, per sectā Monothelitarum non longe antè natiuitatem S. Willibrordi creatam, per recentem Mahometis impietatem in Syria, Arabia, Ægypto invalescentem, Ecclesia Catholica non solum affligebatur, sed admodùm deperibat, vt scilicet illud damnum sanctiſſimus puer, qui fructum daret in tempore suo, hîc resarciret. Deus namque O. M. qui Ecclesiam suam affligi patitur, perire tamen non vult; dum in alijs orbis partibus illam permittit interire, in alijs tanto luculentiùs restituit. Itaque dum in Oriente Religio occidit, per S. Willibrordum in Occidente magis oritur.

Conceptionem S. Willibrordi insigni oramate ornauit idem Cæleste Numen, de quo ita Alcuinus: *Mater B. Willibrordi intempesta noctis quiete, cæleste in somnis vidit orama. Visum est ei quasi nouam in cælo videre lunam, crescente illâ vsq; dum plena videbatur esse. quam diligenter intuens repentino cursu lapsa ruit in oseius. qua deuoratâ eius intima splendore perfusa sunt. Consulenti eo super viso matri Religiosus Presbyter, respondit: Luna quam ex modica vidisti in magnam creuisse, filius est quem ea nocte concepisti, qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, & quocumq; perrexerit, comitante superni luminis splendore, plenum suæ perfectionis ostendet globum, coruscanteq; rumoris eius candore & morũ pulchritudine, multorum in se alliciet aspectum.* Verè ac benè plenilunio sanctissimus puer præfiguratur, quia plenam lucem tenebricosis Frisijs intulit. Prædicarat anteà illis S. Wilfridus Episcopus Eboracensis suâ Cathedrâ pulsus, sed transeunter. Per biennium Wigbertus ab Egberto S. Willibrordi præceptore missus, verùm nullo fructu. Vltraiecto à Dagoberto Francorum Rege occupato Christianam lucem viderunt Frisij, sed aurora tantum, semiplena tantum luna fuit, non longè post euanescens, Barbaris iterum occupatâ vrbe omnia pessumdantibus, & per triginta aut 40. annos idololatriam resumentibus. Ast vbi cælesti plenus lumine radijs suis illuxit Willibrordus, non Vltraiectum, non Citerior Frisia solùm, etiam vlterior & vicinæ Regiones per quinquaginta annos, quibus prædicauit, vbertim sunt illustratæ, augescentemque continuo lucem stabilitâ ibidem sede Pontificali in seros posteros transmisit. An non Concepto Willibrordo licuit dicere: *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum in die quâ alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit. Egredere* (ô Frisia) *& dabitur pluuia semini tuo vbicumq; seminaueris in terrâ & panis*

frugum

frugum terræ erit vberrimus & pinguis. Pascetur in possessione tuâ in die illo agnus spatiosè, & tauri tui & pulli asinorum qui operantur terram commixtum migma comedent sicut in aream ventilatum est. Isa. 30.

Potuisse illa dici, docuerunt fæliciſſimi euentus.

PARENTELA EIVS.

De Patre sic refert Alcuinus: *Fuit in Britannia insula Prouinciâ Nordthumbranâ quidam Pater-familias, genere Saxo & nomine Wilgis, religiosam in Christo cum coniuge & omni domo suâ, sicut post patefactum est, agens vitam. Nam relicto habitu sæculari monachicam conversationem elegit, ac non multo post crescente in eo feruore vitæ spiritualis, arctiori animi studio solitariâ seipsum mancipauit districtione in Promontorijs quæ mari oceano & Humbri flumine cinguntur. Ibi etiam multo tempore in quodam paruo Oratorio Sancti Andreæ Apostoli Christi nomine dicato, in ieiunijs & orationibus atque vigilijs Deo seruiens, etiam miraculorum signis claruit, & nomen eius celebre factum est. Nec confluentes cessabat ad se turbas grauissimâ verbi Dei admonitione cohortari, sed & illius gentis Regi, & optimatibus honorabilis effectus est, in tantum vt ei aliquas terrarum possessiunculas illis Promontorijs adiacentes ad ædificandam Deo Ecclesiam dono perpetuo contulerint. In quâ pius Pater modicam quidem, sed honestam Deo seruientium adunauit congregationem. In quâ etiam post multiplices Sanctos Labores à Deo coronatus corpore requieſcit, & posteri eius vsque hodie ex sanctitatis eius traditione possident.*

De Matre, præter quod supra dictum est, nihil invenitur, vt nec nomen eius. Iacobus Gretserus lib. 2. obseruationum ad vitas SS. Tutelarium Ecclesiæ Eystettensis videlicet S. Richardi & eius prolium Willibaldi, Wunibaldi, Walpurgis, cap. 1. ait ex kalendario Eystettensi: *S. Willibrordus dicitur fuisse filius Materteræ sancti Willibaldi. Consobrini ergo S. Willibrordus, & S. Willibaldus* (adde Wunibaldus

baldus, Walburgis) *vtpote duarum sororum filij*. Richardum verò (cui soror matris S. Willibrordi matrimonio iuncta fuit) Regem Anglorum fuisse, aut ad minus Regio sanguine ortum, probat fusè idem Gretserus, *lib.* 1. *Obseruationum cap.* 6. Adiungit priori loco, S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum fuisse Willibaldi cognatum, fratrem nimirum Bonnæ seu Wunnæ (fuit ea soror matris S. Willibrordi) quæ fælici partu S. Willibaldum edidit. Bonifacio verò etiam nobile & regium genus asserit Serarius *lib.* 3. *rerũ Moguntinar. notat.* 2. Hinc apparet quã illustrem, sanctam parentelam cognationemque habuerit S. Willirordus.

Dissertatio Secvnda.

In qua parte Britanniæ, & ex qua gente natus sit Willibrordvs?

NOn deest qui Scotum illum existimet: alius Hybernum.

Pro pleniori huius & eorum quæ in historijs Apostolorum Frisiorum occurrunt intelligentia, Nota primo. Ante annum 449. dum Britones Britannię incolæ à Pictis (qui postmodum & modò Scoti dicti sunt) & Scotis (qui postea & nunc Hyberni dicuntur) adiutis à Noruegiensibus & Dacis (id est Danis secundum Westmonasterienſem) acerrimo bello affligerentur, nec Româ auxilia sufficientia subministrarentur, ab Ætio Romanorum (quibus Britannia à tempore Iulij Cæsaris, qui primus ex Iccio portu in Britanniam transfretauit, parebant) in Gallijs præfecto auxilia postulauerunt. Sed cum Gallia Italici iugi pertæsa in dies magis nutaret, prętereà ei imminerent Hunni, Gepidæ, Wandali, Sueui, Saxones

Saxones, Alani, aliæque Barbaræ nationes, committendumque esset famosum illud prælium in campis Catalaunicis contra Attilam, auxilia expetita suppeditare Ætius nequiuit, quamquam lachrymabilibus litteris illud efflagitarent; imo legionem semel missam reuocauit, tanquam sibi in eo statu necessariam, Galliæ magis quam Britanniæ prospiciendum ratus, pro cuius defensione ab Episcopis & Galliæ maioribus non minùs sollicitabatur. Qua occasione dum Picti & Scoti exultantes, longè infestiùs Britanniam premunt, impares Britones pro vita fortunisque solliciti, ex Procerum consilio Saxones vicinosque auxiliares ex Germania accersunt. Nec mora: advolant ij anno 449. stipendia merent, victoria contra Scotos Pictosque potiuntur, Britannis in speciem vtili, reuera autem exitiali. Nuncium victoriæ in patriã mittunt, fertilitatẽ agrorum, segnitiem Insularium indicant, quibus illecti cæteri Saxones numerosissima cohorte approperantes, insuperabilem (inquit Beda) suis coniuncti exercitum conficiunt. Confluentibus sic in insulam certatim Gentium cateruis, grandescere cepit populus advenarum, ita vt ipsis quoque qui advocauerant indigenis, terrori essent, cum subitò ad tempus inito fœdere cum Pictis, quos longiùs iam bellando propulerant, in socios arma vertere incipiunt. Equidem primùm annonas abundantiùs sibi administrare cogunt, protestantes ni facerent, se rupto fœdere omnem Regionem vastaturos. Nec segnius exequuntur: siquidẽ accensus manibus paganorum ignis, iustas de sceleribus populi vltiones expetijt, non illius impar qui quondam per Chaldæos Hierosolimorum mœnia imo & ædificia cuncta consumpsit. Ac quamvis Britones animos non omnino abijcerent, tamen post aliquot annorum bella varioque euentus, dolos, perfidias, totius insulæ

Principatum

Principatum obtinent advenæ relicta Britonibus quadam Regionis portione quæ, docente Polydoro Virgilio, Wallia appellatur. Qui ex his exteris fuêre prognati, nunc Saxones, nunc Anglo Saxones, nunc Angli sunt appellati. Et quia ex horum stirpe genitus est S. Willibrordus, ideo Saxo, vel Anglo-Saxo, vel Anglus scribitur, non verò quod in Saxonia Germanica sit natus.

Nota secundò. Postquam Germani exteri Britonum terram pro maxima parte occupassent, inter sese ciuilibus discordijs & odijs cæpisse digladiari, mutuos fines convellere, & mutuò se expellere. Quo factum est vt paulatim inter se diuisi, septem Regna in Anglia condiderint.

Primò. Regnum Cantiorum, quod incepit anno Christi 457. adventus Anglorum siue Saxonum octauo.

Secundò. Regnum Sudsexe id est Australium Saxonum inchoatum circa annum 490.

Tertiò. Regnum Westsexe, id est Occiduorum Saxonum anno 519. ab adventu Anglorum 71.

Quartò. Regnum Estsexe id est Orientalium Saxonum circa annum 537.

Quintò. Regnum Northumbrorum inceptum circa annum 550. quod postmodum, filijs hęreditatem affectantibus, subdiuisum est in Regnū Deirorum & Berniciorum. Inde Adelbertus S. Willibrordi socius ad Frisiæ conversionem, legitur fuisse filius Regis Deirorum.

Sextò. Regnum Estangle, id est Orientalium Anglorum circa annum 590.

Septimò. Regnum Merciorum non longè ante prædicationem S. Augustini à Gregorio Magno missi.

Regnis sic in Britannia constitutis, dum Reges finibus suis minimè contenti, alter alteri dominari exardet, tandem post annum 800. sub vnum Monarcham redacta est,

& ex

& ex Heptarchiâ Monarchia iterùm restituta.

Nota Tertiò. Dictos exteros de tribus Germaniæ titulis fortioribus id est de Saxonibus, Anglis & Iutis advenisse, exprimit Beda. De Frisonibus silet. Verùm etiam Frisones in Britanniam emigrasse, testis in primis est Procopius lib. 4. de bello Gothico: *Britanniam*, inquiens, *insulam tres numerosissimæ gentes incolunt, quarum vnicuiq; Rex suus imperat: nominantur hæ gentes Angli, Frisones, & qui eiusdem sunt cum insula cognominis, Britones.* Quo loco nomine Anglorum sine dubio Saxones subintelligit more multis authoribus vsitato. Idem significat historia vitæ S. Swiberti apud Surium prima Martij, vbi hæc: *Et quoniam hi* (Willibrordus & socij) *propagati fuêre in Anglia de stirpe Frisonica & Saxonica, ideo conuenienter prædicare potuerunt in lingua Germanica.* Sed cur de ijs silet Beda? Respondetur, existimo Frisios in posterioribus expeditionibus Saxones comitatos Britanniam accessisse, sub eorum imperio sedes sibi fixisse: Bedã autem solum enumerare speciatim populos qui in secunda transmigratione inventi sunt. Plures enim post illam à Beda relatam Germanicarum nationum in insulam demigrationes successisse, insinuat Malmesburiensis, & clarè fatetur Henricus Huntodonensis lib. 2. Sub Frisijs Batauos, qui iam in Frisiorum nomẽ concesserant, simul profectos, non abnuit Dousa lib. 6. ann. Hol. Imò ipsi certum est. De Frisijs aliàs plura.

Saxones quinam sint, hodie suo vocabulo profitentur. Quibus limitibus continerentur dicto anno 449. non vsque compertum. Ad Albim Austrum versus eos tum terminatos fuisse, verosimile est, quod Ptolemæus, Eutropius, Stephanus, Orosius, dum in Oceani littoribus ad Cimbricam Chersonesum inuijsque paludibus eos collocant, contractiores limites assignent. Certùm interim est

sequentibus sæculis fines suos amplè extendisse vltra Albim, Visurgum, ad Rhenum vsque, & quidem eo tempore quo S. Willibrordus eiusque socij Frisiam adeunt. Leguntur namque duo Ewaldi in Prouinciam antiquorum Saxonum perrexisse ibidemque perempti circa annum 693. per quam Prouinciam intelligunt omnes Westphaliam vel aliam plagam iuxta Visurgum. Imò prædicantibus nostris Apostolis Saxones pomœria sua ampliasse manifestè prodit Beda lib. 5. hist. cap. 12. *Swibertus accepto Episcopatu de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuariorum secessit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longo post tempore Boructuarijs, à gente antiquorum Saxonum, dispersa sunt quolibet hi qui verbum receperant.* Ex qua Bedæ relatione colligas, non longe post annum 700. illam expugnationem accidisse. Itaque post passionem Ewaldorum dilatatũ est imperium Saxonum per agros Boructuariorum, cuius amplitudinem vide dimensam apud Krantzium lib. 1. Saxoniæ. In hoc amplo statu, quod Reges nollent, duodecim Duces (Satrapas Beda vocat) crearunt, qui administrationi Reipublicæ suæ præessent, quorum vni tempore belli summa rei commitrebatur. Ex quorum ordine Angriæ quoque Duces magnæ authoritatis fuerunt. Inde oriundus fuit Witekindus, cui à Saxonibus in bello, quod Carolus Magnus triginta annis cũ ijs gessit, supremum imperium delatum fuit; quare & Regem in quibusdam codicibus nominatum inveniri Kranzius refert. Primus hic Caroli M. auspicijs cum sua gente religionem Christianã amplexus est. Ex quo præstantissimi Imperatores, Henricus & tres Othones nobilissimã antiquitatis stirpem ducunt. Post bella cum eodem Carolo gesta fideique receptionem, in antiquas prouoluti sunt angustias, provt hodie est cernere, Episcopis non minima portione authoritate Imperatorum & Pontificum attributa.

Iutæ, quos corruptè Vitas quidam scribunt, putantur incolæ fuisse partis Regni Danici, modò nominatæ Iutlandia, olim Cimbrica Chersonesus, & secundum aliquos Gothia, cuius incolæ Gutæ, quasi Gothæ aut Gothi.

De Anglis verò, quamnam Germaniæ oram tenuerint, problematicum est. Paulus Æmilius in Annalibus Regum Francorum alijque, eosdem esse, quos Tacitus in Germania inter Sueuorum gentes enumerat, qui ab eo in secretiora & interiora Germaniæ protrahuntur, quique Ptolomæo Sueui Angli & Mediterranei vocantur. Beda supra eis habitationem assignat inter Iutas & Saxones. Alij duplices Anglos fabricant, Mediterraneos Ptolomæi & Maritimos Bedæ. Krantzius lib. 1. Saxoniæ cap. 21. eorum veterem sedem Angariam Westphaliæ ad Amasum fluuium portionem fuisse autumat; Posteriores enim ab ea Anglos Angiros l littera in r transmutata, vocare cepisse, idque ad discrimen Anglorum insularium siue Britannorum. Inde qui olim Angliæ, post Angariæ Duces dictos esse, qualem se hodie profitetur Elector Colonienſis. Verùm quia idem Krantzius cap. 19. ex proximis Germaniæ littoribus eos advocatos tradit, parum sibi constare videtur. Angria enim longè à littore Germanico distat. Ego lubentius accessero ijs qui Maritimos Germaniæ habitatores statuunt, cum passim Anglici Scriptores eos ex Saxonico littore in Britanniam transfretasse & Krantzius libro primo cap. 19. ex proximis Germaniæ littoribus accersitos astruāt. Adiuuat Beda, qui affirmat eos tribus nauibus advectos; vsus autem nauium apud Maritimos maximè est. Fauet ratio. Primò, cum iustum sit sentire Britannos in auxilium potius vocasse Germanos sibi viciniores, quales erant maris Accolæ, quam Mediterraneos. Secundò, cum negotium Britannorum aquis & nauibus sæpe agendum esset, maluisse eos maris expertos, quam ex meditul-

lio regionis eius expertes. Annuit omnino huic censuræ Ethelwerdus antiquus Britanniæ Scriptor his verbis: *Porro Anglia vetus* (ex qua scilicet Angli in Britanniam venerunt) *sita est inter Saxones & Giotos* (Gothos) *habens oppidum capitale quod sermone Saxonico Slesuuic nuncupatur, secundū verò Danos Haithabÿ.* Certum est autem Slesuuicum Oppidum in Dania parum à mari abesse. Eosdem verò Anglos Saxoniæ Prouinciæ ac Saxonici nominis fuisse, nobis præmonstrat Beda lib. 1. cap. 14. *Placuit* (inquit) *omnibus* scilicet Britannis, *cum suo Rege Vortigero vt Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent &c.*

Ac cap. sequenti statim eosdem Anglos nominat. *Tunc* (inquit) *Anglorum siue Saxonum gens invitata à Rege præfato Britanniam tribus longis nauibus advehitur & in orientali parte Insulæ iubente eodem Rege locum manendi quasi pro patria pugnatura, reuera autem hanc expugnatura, suscepit.* Paulus Diaconus cum narrasset Britannos Scotorum impetus formidantes sibi auxilio Anglos advocasse, statim subijcit, gentem Anglorum siue Saxonum, Britanniam nauibus advectam. Witikindus quoque Saxo (non ille Dux, sed Monachus Corbeiensis in Saxoniâ modernâ) à Britannis Romanorum ope destitutis, Saxones ob rerum gestarum famam subsidij causa accitos scribit, eosque Anglos Saxones à situ insulæ nominatos. Hinc ab Anglicis scriptoribus modò Saxones, modò Angli, modò Anglo-Saxones, siue Saxones Angli vocitantur. Sic Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus epistola ad Zachariam Papam Britanniam Transmarinam Saxoniam vocat: eadem quoque simpliciter Saxonia à Kenulpho Merciorum Rege appellatur apud Malmesburiensem pag. 31.

Iutas quoque Saxonum vocabulo comprehensos, manifestat Beda, dum sub occidentalibus Saxonibus Iutarum

nationem

nationem contineri refert. Hinc apud Gildam sapientem omnes Britanniæ invasores, non alio quam Saxonum nomine veniunt.

Nota tamen, Bedam passim in sua Historia Anglos accipere vt distinctos à Saxonibus; Sed hoc provenit ex vsu pænes quẽ est ius & norma loquendi; quo modo subinde nomen generale attribuitur speciatim inferiori seu subijcibili, sicuti per animalia sæpius intelliguntur bestiæ excluso homine, qui tamen verè est animal: sic Portugallenses distinguuntur interdum ab Hispanis, cum tamen reuera Hispani sint, & sub Regno Hispaniæ contenti. Si quis curiosius velit indagare originem nominis Angliæ, næ ille bonas horas male collocabit. Omissis variorum diuinationibus, argutus Goropius noster Germanicæ linguæ acceptum refert, vocabulo Angel siue Engel quo hami piscatorij significantur. Atque hoc nomen ipsosmet Anglos Saxones sibi sumpsisse, quasi profiterentur se hamos esse (piraticam enim exercebant) omnia quæ in mari invenirent, attrahentes & quodammodò adhamantes.

Recensitos advenas nomina sua Prouinciæ Britanniæ impressisse vidimus, præsertim notatione secunda.

Verùm obscurius est à quibus conditum, & nominatum sit Regnum Merciorum. Ego probabilius habeo à Frisijs Marsis illud emersisse. Frisios namq; animi generosi, libertatis studiosissimos, proprio marte venisse, meruisse, & militasse, si non primis, saltem posterioribus expeditionibus dignum est sentire. Vide Bernardum Furmerium Annal. lib. 2. Sub Frisijs autem sunt Marsi siue Marsiaci vicini Caninefatibus & Batauis, ab Oceano non longè distantes, imò inter Frisios Oceano fere vicinissimi è regione Britanniæ; quare non mirum eos cupiditate prædæ allectos, imò invitatos (vti insinuat Huntodonienſis lib. 2.) Britanniam invasisse Barbaris Germanis passim expositam,

Regnumque ex suo nomine, quemadmodum Angli & Saxones, condidisse, Merciorum dictum, quod consonat cum eorum vocabulo. Britannica enim natio facilè a in e mutat; vt cum dicimus West-Saxones illi pronunciant West-Sexe & vbi nos Oist-Saxe illi Est-Sexe: sic quod nos Marse ipsi Merce per e statim reddunt, nec difficilius s immigrat in c. Certè nouum illud Regnum Britanniæ non minus videtur sortitum nomẽ à gente extranea, quã alia Regna. Atqui nihil familiarius fuit Barbaris continuò demigrantibus & alienas sedes occupantibus, quam nomen suum ibidem imponere. Sic Hollandia & Zelandia ab Hollandis & Zelandis Aquilonaribus: sic Francia à Germanis Francis, Hungaria ab Hunnis sunt intitulatæ: sic Mercij non procliuius intelliguntur quam à Marsis siue Mersis. Interim hæc opinatio nostra sit, doceant alij certiorem originem, & cedemus. De Marsis vide Kranzium in præfatione ad Saxoniam & lib. 11. Saxo: cap. 6. & Hedã in prologomenis ad Historias Episcopor. Vltraiectensium.

Vt tandem proposito nostro hæc accommodemus, originem trahit S. Willibrordus (idem sit de eius socijs) ex dictis Germanis Britanniæ occupatoribus, ideoque Anglo-Saxo scribitur. Et quidem si propiùs inspiciamus, ex Anglorum Germanicorum stirpe eam trahit: tota namque gens Northumbrorum (inter quos est natus) venit ex Anglia Germanica, quemadmodum & Orientales Angli & Medij Angli: ex Saxonia autem veteri descenderunt Orientales Australes & Occidentales Saxones, de quibus supra. Quare Anglus vocatur duplici titulo, & ratione patriæ, quæ Anglia à multis sæculis nunc inscribitur, & ratione Anglorum, ex quibus genus suum ducit. Natus præterea est S. Willibrordus in Regno Northumbriæ, à condito Regno circiter 110. regnante 15. annum Osuuio, qui succesit

cessit patri suo S. Oswaldo Regi & Martyri.

Ex ijsdem & eodem Regno natus est S. Swibertus nobili stirpe anno Christi 645. aut 46. vt ex ipsius vita colligitur.

Similiter ibidem progenitus est S. Adelbertus filius Regis Deirorum qui erant populi Northumbriæ.

S. Winfridum aliàs Bonifacium ex ijsdem & eodem Regno ortum esse multis declarat Serarius lib. 3. Rerum Moguntiacarum notatione prima ad vitam ipsius per Othlonum conscriptam, probatque natum anno Christi 670.

De ortu aut patria S. Werenfridi nil vnquam apud Authores reperi. Probabilè est ex ijsdē processisse, vt & alios convenas: erant namq; in Hibernia *multi Nobilium & mediocrium degente Anglorum*, inquit Beda l. 3. c. 27. *qui, relictâ Insulâ patriâ, vel diuinæ lectionis vel continentioris vitæ gratia eò secedebant, quorum nonnulli statim Monasticæ vitæ sese mancipabant, alij circumeundo per cellas Magistrorum lectioni operam dare gaudebant.* Verosimile autem est contribules simul habitasse, egisse, iuisse.

DISSERTATIO TERTIA.

De Nomine S. WILLIBRORDI.

NON infrequens est electis ex speciali diuina ordinatione nomina imponi, præcipuè ijs qui ad præclara in Ecclesia gerenda sunt præordinati. Nouit enim ab æterno suos Deus etiam ex nomine; & cum vocabula sint rerū signa, per ea quos fructus sint edituri sancti, ad quos dignitatis virtutumque culmen eos ordinarit, præsignificari à pueritia vult orbis moderator. *Habent hoc*, teste Ambrosio in c. 1. Luc. *merita SS.*

vt à

vt à Deo nomen accipiant. Sic Iacob Israel dicitur quia Deum viditꝰ sic Dominus noster Iesus nominatus est antequam natus, cui non Angelus, sed pater nomen imposuit. Sic filius Zachariæ Ioannes appellatur, à matre quidem, sed diuino numine sic volente. Idem circa Apostolum nostrum diuinã sapientiam egisse credimus.

Nato infanti nomen imponitur Wilbrord, quod varie effertur, Wilbord, Wilbortd, Wilbrod, Willebordus, Willebrordus; Wilbrodus, Guillebrordus. Apud Bedam, in antiquissimis diplomatibus Irminæ, Lotharij Imperatoris, Rohingi Antuerpiensium Principis, apud Thiofridũ Abbatem Epternacensem, Ioannẽ Roberti semper legitur Willibrordus, & hoc tanquam genuinum & proprium est acceptandum, reliqua vel ex inscitia, vel euphonię vel breuitatis causâ sunt formata. Quocunq; modo pronuncies, raram in Willibrordo qualitatem significat. Wilbrod, Willibrodus, Wilbrodus, panem voluntarium denotat. Frisijs ille verbum Dei, verbum fidei quod est panis animæ, sacræ Eucharistiæ Sacramentum, quod est panis vitæ, animarum cibus, ipsis largissimè subministrauit: corporalem panem egentibus non minus liberaliter. Wilbort, Willibordus, Wilboordus, Ponto & Scrieckio interpretibus, est voluntatum explorator vt dolabra ligni. Potest etiam intelligi voluntatum terebrator. An non Barbarorum animos sagax Dei missus explorauit? Nonne prędicatione sancta eorum scabras voluntates leniuit, expoliuit? An non inter Frisios eorum voluntates terebrauit, quorum voluntates prędractas bono perfregit, obduratas ceruices in melius flexit? Willibrordus, Wilbrordus, Willebrordus, idem est quod voluntatis commotor, excitator. An non istud in Frisia egit S. Willibrordus qui Frisiorum voluntates in malo sepultas quiescentesque excitauit, ad bonum

bonum commouit, duxit, animauit?

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

Inveniuntur plura vocabula à sanctis viris gesta initialibus suis voluntatem denotantia, qualia sunt S. Wilfridus, id est, voluntatis quietę, pacificę, quam reuera in suis persecutionibus exhibuit, in vera patientia posidens animam suam. S. Willehadus id est voluntatis seu voti compos. B. Wilgis pater S. Willibrordi, idem est quod certę deliberatæ voluntatis, quam habuit mundũ relinquendo & Deo in Religioso statu seruiendo. Willibaldus voluntatis propriæ citus executor. Willibertus Scrieckio idem est quod voluntarius iudex. Wilgefortis Ponto sonat voluntas mea (bona in Domino) velint nolint (impij) fiat procedendo. Wilhelmus autem corruptum est à Guilihelmus sicuti Willem à Guldhelm iuxta eundem Pontum, cui Guilihelmus est deaurata cassis ac galea, quod talem capite gereret ferretque.

De nomine S. SWIBERTI & reliquorum sociorum.

NOmen Swibertus habet plura nomina sibi similia etiam præstantissimorum virorum quoad terminationẽ nempe, quæ præcipua pars est: Dagobertus, Childebertus, Sigebertus, Theodebertus, Cunibertus, Lambertus, Hubertus, Norbertus, Albertus, &c. Quænam sit significatio huiuscemodi terminationis, varij varia speculantur; quisq; pro suo genio aut ingenio. Quid sentiam, dico breuiter cum & ex Patre Arnoldo à Boecop per Iohannẽ Roberti in Cõmentarijs ad vitam S. Huberti circa finem: Bertus, quæ est altera & principalis portio nominis Swiberti, non simplex, sed composita vox est, & Celticè vel Germanicè Bert sonat, ex Be præpositione & Ert vel Art

aut Aert. Nam E biuocale mihi in illa vocula est; ac proinde pingue etiam nunc & crassum, quod ad vitandum hiatum, coiuit ex E & A vel ex E duplici, vel certè ex E & Ae. Atque hoc solenne nostratibus est, vt compendium dictionis faciant & eloquentiæ consulant. Cum igitur dicere ac scribere ex naturâ rei debuissent, Beert/ Beart vel Beaert/ ipsi pro ingenio, & aurium suarum iudicio, elegantius maluerunt Bert. Ert autem vel Art verbalis vox est ab Ert vel Art quæ participia sunt à verbis Eren siue Erden/ vel ab Aren/ siue Arden. Ex quibus omnibus concludo Bert & Berte (celebre & Sanctum id in multis nomen) vim & significationem. Nam si ab Art Natura, Ingenio, Indole, Natiuitate, quidditate, &c. compositionem acceptemus, vt quasi contractum sit ex Be & Art/ erit *melioris & fœcundæ naturæ* nota, *ingenij atq; optimæ indolis* indicium, *Essentiæ solidioris ac Natiuitatis* Symbolum, & *innatâ virtute atq; animi dotibus parentes referentis* nomenclatura. Si verò ab Er & Ert Honoratis & Honestis vocibus coniunctionem petamus, erit Berta quasi Be-erte, hoc est, *honore, decore, gloriâ & famâ clara* & conspicua; & omnes illi qui ex Bert nomen compositum aut deriuatum habent, *Clari, Decori Honorati*, nomine tenus erunt. Vtrumque nostro S. Swiberto quadrat. Nam præstantissimæ natiuæ Indolis fuit; insuper honore & famâ conspicuus. Et quidem, vt acta eius probant, amplè, latè; id enim indicat prior particula Swi, ac magis si scribamus Switbertvs, vt aliquis, Swit, quod nostrate idiomate significat Wyt/ Breed; cui Angli & aliæ nationes facilè addunt S vel aliam litteram. Ex dictis habetur Etymologia S. Adelberti siue Adalberti SS. Willibrordi & Swiberti sodalis, qui præter bonam Indolẽ & honorẽ obtinuit Adel, scilicet, nobilitatem; erat namque filius Regis Deirorum, nobilis natiuitate

indole,

indole, honore tam diuino, quam humano.

S. Werenfridus vernaculè **Werenfrede** est pacis defensor: defendit namq; cælestem animorū pacē contra Gentiles.

S. Winfridus est lucrans siue acquirens pacem, Lucratus est & intulit Frisijs & Germanis quam mundus dare non potest pacem: dictus postmodùm Bonifacius à bene faciendo. Atque hæc de minutijs forsan nimium; sed sit in gratiam & laudem nostrorum Apostolorum. Ad alia pergamus.

DISSERTATIO QVARTA.

De Pueritia & Adolescentia S. WILLIBRORDI, & Sociorum.

REfert Alcuinus parentes puerum Willibrordum ablactatum Ripensis Ecclesiæ fratribus erudiendum tradidisse, apud quos vsque ad vigesimum ætatis annum est cōmoratus. Antiqui æui vsus erat, pueros aut admodum juuenes, præsertim eos, qui ad Ecclesiasticum statum destinabantur, in Monasterijs aut Ecclesijs collegiatis Episcopo tradi erudiendos ad Ecclesiæ & Reipublicæ bonum; non quod Monasteria aut Ecclesiæ Cathedrales scholæ solū essent, quemadmodum garriunt hæretici, sed cum Clerici & Monachi eruditione valerent, juuenes suis horis instituendos ad commune bonum suscipiebant, nondum Academijs aut scholarum frequentia ordinatis, non omittendo interea quæ ad Clericalis seu Monasticæ Regulæ obseruantiam obligationemque pertinebant. Sic Beda septennis, sic Menradus Eremita, sanctus Rembertus, Bonifacius, Wilibaldus alijq; pueri siue admodum juuenes Ecclesiæ sunt

oblati. Vide Trithemium de viris illustribus Benedictinis lib. 1. cap. 6. Serarium lib. 3. Mogunt. rerum notatione 3.

De modo eos acceptandi & de regimine circa eos, vide Benedictum Haftenium de disceptationibns monasticis, qui fusiùs de ijs agit.

Quænam particularia adolescentię acta in Willibrordo fuerint, eorum nihil nobis traditur. Nihilominus certum est præclara ea fuisse: solent namque ad tam sublimia merita à Deo electi, illustria specimina futurorum emittere. De ijs sic generatim Alcuinus: *Quem ablactatum & Ripensi Ecclesiæ datum diuinamox gratia ab ineunte pueritia & sensu proficere & moribus pollere, quantum ad tales congruit annos, concessit. Ita vt nostris temporibus nouum Samuel nasci putares, de quo dictum est: Puer autẽ Samuel proficiebat atq; crescebat & placebat tam Deo quam hominibus. Ibiq; in prædicto Monasterio multis profuturus puer Clericatus tonsurã accepit & pia professione se Monachum fecit esse & inter cæteros eiusdem Sanctissimi Monasterij Adolescentes enutritus est, sed nulli alacritate minor, nulli humilitatis officio secundus, nulli lectionis studio inferior, sed sic quotidie bonæ indolis puer proficiebat, vt teneros pueritiæ annos morum grauitate transcenderet factusq; est grandæuus sensu, qui corpusculo modicus fuit & fragilis.* Tali ascetică se occupabat Adolescens vsque ad annum natiuitatis vigesimum.

Nempe ipsi ante oculos rectum pietasque pudorque
Constiterant, dederat tergum iam dira Cupido.

Verè nouus Samuel in Ripensi cœnobio apparebat, qui sub V. Sacerdote Heli (B. Wilfrido) templo Domini ministrabat, & Dei voces audire & nosse assuescebat.

Verba illa (*Clericatus accepit tonsuram & pia professione Monachum se fecit esse*) videntur mihi admodum dura malèque coniuncta, scilicet, simul clericatus tonsuram accipere & monachum profiteri. Aliud namque est fieri aut esse Clericum,

ricum, aliud Monachum: aliud Clericalem, aliud Monachalem tonſuram accipere. Clericus & Monachus opponuntur & nunc & olim magis. Vide Philippũ Hauengium Abbatem Bonæ Spei Tract. de Clericis. Aliter etiam olim tondebantur Clerici, aliter Monachi: Aliud veteribus tonderi in Monachum, aliud in Clericum. Lege Baronium tomo 1. ad annum 58. Si Willibrordus fuerit factus Monachus, cur non dicit tonſus aut attonſus in Monachum, aut ſimile, quemadmodum veteres de Monachatui initiatis loquuntur? quid opus addere Clericatus tonſuram accepit? alterutrum eſt ſuperfluum. Quod non nemo introducere velit nomen, Clerico-monachus, numquam mihi ſapuit. Clericus, Monachus, vocabula ſunt ex ſua natiua ſignificatione ſemper repugnantia, adeoque inepta coniungi: juxta ſe invicem enim aut ſimul poſita ſecundum formalia ſignificata capiuntur, ſecundum quæ repugnant. Licet verò Clerici aliqui, vt Regulares, aliqua de Monaſtice habeant, aliqua Monachorum obſeruent, non tamen ſufficit vt Clericum Monachum denominent, per conſequens nec Clerico-Monachum. Hinc ſuſpicor dicta verba (& Monachum ſe pia profeſſione fecit eſſe) inſerta eſſe ab aliquo qui choro Monachorum Sanctum Willibrordum amauit inſcribere (qua de re aliàs) ſicut apud eundem Alcuinum ab illegitima manu additum eſt Egberto S. Willibrordi magiſtro Epitheton Epiſcopi. Niſi quis velit dicere ab Alcuino nomen Monachi capi latè, ſicut ab Auguſtino alijſque non rarò vſurpatur pro quouis Religioſo per vota Deo conſecrato, & tum ſenſus eſſet verior, locutio nihilominus maneret aſpera & inconcinna. Ita & nomen Epiſcopi nonnumquam latè & impropriè ſumitur.

Notandum hîc ex Alcuino ſuprà S. Willibrordum vſur-

passe & gestasse tonsuram Ecclesiasticam, sicuti ab initio Ecclesiæ in ministris Deo consecratis est vsurpatum, idque exemplo Nazaræorum de quibus Numerorum 6. *Huius,* (inquit Isidorus de diuinis officijs) *exempli* (Nazarçorum) *vsus ab Apostolis introductus est, vt qui diuinis cultibus manciparentur Domino cõsecrantur, quasi Nazarei, id est sancti Dei, crine præciso innouentur; vt hoc signo & religione vitia resecentur & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis: quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod verò detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium regnumq; Ecclesiæ in eis existimo figurari. Hinc & tiara apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum, quia vos estis genus electum, Regale Sacerdotium.*

Cuius prætereà alia datur causa, nimirum ob iugem memoriam spineæ coronæ Christi, idq; ab Apostolis factitatum, & Ecclesiæ traditum certa assertione docet Beda lib. 5. de gest. Anglor. cap. 22. *Neq;*, inquit, *ob id tantum in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est: idcirco & nos, qui per eandem Passionem saluari desideramus, ipsius Passionis signum cum illo in vertice gestamus. sicut ergo fideles signum crucis gestant in fronte, contra malignos spiritus, & vt doceantur se carnem cum vitijs crucifigere debere: ita Clerici & Monachi gerunt formam coronæ, quam Christus in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret, & auferret à nobis: vt ipsi se irrisiones, & opprobria pro Christo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant: vt coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus, semper exspectare proq; huius perceptione, & aduersa mundi, & prospera contemnere designent.* Hæc & plura Beda. Huius vsus in Britanniâ plurimus fuit: hanc S. Willibrordus Deo dicandus suscepit.

De

De Actis pueritiæ & Adoleſcentiæ S. Swiberti nihil ad manum eſt niſi quod à Marcellino apud Surium. Verum quia author ille, licet non in omnibus redarguendus, ſubleſtæ admodum eſt fidei, nolo illum huc adducere.

De prima ætate SS. Werenfridi & Adalberti chartæ omninò ſilent.

De puerili ætate, inſtitutione ac indole Winfridi, aliàs Bonifacij multa ſunt apud Othlonum vitæ eiuſdem cap. 2. 3. 4. Vbi inter alia, *magna parentum ſollicitudine nutritus, magnarum etiam virtutum, per incrementa temporum, amator eſt factus. Nam cum adhuc paruulus eſſet, ſi quem fortè Clericorum vel laicum verbi diuini notitiam deferentem audire contigiſſet, mox, quantum ætatis ſuæ teneritudo præualuit, quid ſibi ſuæq; qualitati exinde profectuoſum foret, tractare cæpit.*

Puer ſanctus virtute diuina plenus, quanto magis eum pater revocare ad ſæcularia ſtudebat, tantò conſtantius in inceptis perdurare, & ad ſacrarum litterarum notitiam pertingere anhelabat.

Poſtquam verò pueritiæ annos tranſcendit, in tantum ſe venerabilium inſtitutis Patrum, & ſacræ lectionis ſubdidit exercitio, vt quibuſlibet momentis augerentur in eo multarum inſignia virtutum, impleretúrq; in illo, quod Pſalmiſta de quorundam profectu teſtatur dicens: Ibunt de virtute in virtutem. Vide plura apud eundem dictis capitibus: & Serarium in notis ad eadē lib. 3. rerum Moguntiacarum, vbi notatione 3. ex S. Willibaldo Bonifacianæ vitæ ſcriptore ait, Bonifacium cum eſſet annorum circiter quatuor, ſeu quinque, Dei ſe ſeruitio ſubiugare ſtuduiſſe. Hoc iuuentutis ſtudium, hoc deſiderium commendatur Threnorum 3. Et certè cum inſit in illis annis vigor quidam mentis, dum adhuc eius vires nullis alijs vel operibus, vel cupiditatibus diſtractæ ſunt ac diminutæ, ſi, vt ſunt integræ & illibatę, Domino offerantur, earum curſus ad virtutem intenſior erit. Quod idipſum docet naturalis Philoſophus Seneca epiſt. 109.

Dissertatio qvinta.

De Ripensi Monasterio.

Ripis (aliàs Inripum) locus est in Northumbriâ in quo Monasterium habuerunt Scotti Monachi, qui cum de Paschatis obseruatione heterodoxè sentirent, præ pertinaciâ maluerunt locum deserere, quam se pati corrigere. Ijs abeuntibus ab Alfrido filio OswijRegisNorthumbrorum attributus est B. Wilfrido, in Gallijs impiæ Bathildis reginę furijs erepto, & in Angliam refugo circa annum Domini 660. Constructit is de nouo ibidem Monasterium, Proceribus Regni amplissima dona conferentibus. In eo ordinatus est Presbyter & Abbas. Episcopus postmodum Eboracensis creatus, mirificè illud adauxit ædificatâ à fundamentis nouâ Ecclesiâ, miro fornicum inflexu, lapidum tabulatu, porticuum anfractu. Invitati ad eius consecrationem Reges Germani Egfridus & Elwinus, dotauerunt locum illum ingentibus prædijs. Post aliquod tempus, deiecto ab Episcopatu Eboracensi Wilfrido, Alfridus Rex ex amico factus inimicus, Monasterium Ripense proprijs possessionibus mutilans, Episcopum ibi constituere meditabatur, & iam antea Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis Episcopum imposuerat. Quare etiam sedes Episcopalis legitur habitum, quæ tamen non longo tempore perstitit, monasterio interim perseuerante. Cuius Ordinis illud Monasterium fuerit, nihil certi habeo quod dicam: verosimile est Monachos eius inhabitatores, siue in primâ fundatione

datione, siue posterius, sub D. Benedicti Regula militasse, cum legatur Wilfridus fuisse primus qui S. Benedicti Regulam à Monachis obseruari iusserit, quod ad minimum intelligendum est de Monachis Northumbriæ. Credendum autem est eandem Regulam suo quod fundauerat Cœnobio præcepisse. An fuerint Benedictini provt strictè vocantur, hinc non potest certò doceri; potuit enim Monachos ex alijs Northumbriæ monasterijs assumpsisse, & postmodum inter illos Regulam S. Benedicti introduxisse. Constat etiam alios Monachos non Benedictinos Regulam S. Benedicti coluisse & colere, vt modò sunt Cistercienses, Cluniacenses &c. qui tamen speciali nomine Benedictini non sunt.

Vti fundator, ita eius monasterium varias fortunas subiuit, tum ab intestinis Anglorum bellis, tum à Danis ab anno 787. per plures annos Britanniam infestantibus, præterquam quod nonnumquam etiam iniquitate Regum Northumbriæ possessionibus mutilaretur. Anno 692. ablatum fuit Wilfrido à sibi inimico Rege Northumbriæ Alfrido, ac eo mortuo, eidem restitutum anno 705. Anno 708. seu 709. defuncti B. Wilfridi corpus in illud deportatur, & omni reverentiâ conditur. De eodem Monasterio hæc leguntur apud Rogerium Houeden Annalium parte priori: *Anno* 786. *Bothwine v. Abbas Hripensis Ecclesiæ, in conspectu astantium fratrum ad cœlestem patriam transiuit, & Albert pro eo electus est & ordinatus. Anno* 787. *Albert Abbas Hripensis decessit & ei Sigrede successit. Anno* 790. *Eardulf Dux captus est & ad Hripum perductus ibiq; occisus extra portam Ecclesiæ à Rege Ethelredo. Cuius corpus fratres cum Gregorianis concentibus ad Ecclesiam portantes & in tentorio foris ponentes, post mediam noctem vinus est in ecclesiâ inventus. Anno* 948. *Edredus Rex Anglorum totam Northumbriam deuastat, in quâ deuastatione Monasterium,*

quod dicitur Hripum à S. Wlfrido Episcopo quondam constructum, igne est combustum. Reparatum tamen est & habitatio continuata; sed non longè post à Danis funditus pænè deletum; post quã cladem non videtur resurrexisse; nam exinde apud Historicos de illo extante non amplius legitur. Ac circa annum 956. teste Malmesburiensi de gestis Pontific. Anglorum lib. 1. Odo Archiepiscopus Cantuariensis in Northumbros profectus, vt Sanctorum sacros cineres, quorum illa humus olim ferax fuerat, efferret, præcellentissimi P. Wilfridi dirutã per Danos Hripensem Ecclesiam dolenter conspicatus, ruinis super mausoleum eruderatis, Reliquias eiusdem Wilfridi Cantuariam reuerenter transtulit. Hæc in gratiam S. Wilfridi, qui antè Willibrordum Frisijs Christum annuntiauit, Ripensis Fundator, Abbas, & quidem Willibrordi, fuit, qui eiusdem Cœnobij alumnus, in eo prima sanctitatis, doctrinæ & Apostolatus fundamenta iecit. In eo

Ille velut riguæ quæ margine consita ripæ est
Arbor erat, quam non violento Sirius æstu
Exurit, non torret hyems, sed prodiga læto
Prouentu beat agricolam, nec flore caduco
Arridens, blandâ dominum spe lactat inanem.

In hoc Monasterio ascetam etiam egisse S. Werenfridum S. Willibr. cõapostolum, asserit author antiquitatum Germaniæ inferioris patriâ linguâ nuper editus. Vt meritò Ripense Monasterium gratæ memoriæ debeat esse Frisijs. Num in eodem, aut in quo alio reliqui S. Willibrordi connauigatores religiosè se primò exercuerint, non legimus. S. Bonifacij primum exercitium ibi non fuisse, habemus ex Othlono lib. 1. cap. 3. vbi ait, patrem puerum Bonifacium ad Monasterium Adescancastre direxisse ibiq; omnia religionis officia bene cœpisse meliusq; de die in diem eum perfecisse.

Dis-

De Commigratione S. Willibrordi in Hiberniam. De vocatione eius ad Conversionem gentium.

DE hisce Alcuinus: *Igitur in sacris eruditionibus & in omni sobrietate, morumq; honestate beatissimo usq; ad vicesimum ætatis suæ annum Adolescente proficiente, arctioris vitæ ardore succensus, & peregrinationis amore instigatus, & quia in Hiberniâ Scholasticam eruditionem viguisse audiuit, etiam quorundam Sanctorum virorum, famâ narrante, conversatione incitatus, & præcipuè Beatissimi Patris & Episcopi Egberti, qui cognomento Sanctus vocabatur, nec non & Wigberti venerabilis viri & Sacerdotis Dei, quorum uterq; ob cælestis patriæ amorem domo, Patriâ cognationeq; relictâ, Hiberniam secessit, ibiq; dulcissimos supernæ contemplationis fructus, sæculo nudus, Deo plenus, solitariâ quotidie hauriebat conversatione. Horum beatus Adolescens æmulari cupiens religionem, cum conniventiâ Abbatis sui & fratrum in Hiberniam veloci cursu contendit, prædictorum Patrum familiaritati se coniungens, quatenus ceu prudentissima apis, ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, & in sui pectoris alueario dulcissimos virtutum fauos construeret. Ibiq; duodecim annis inter eximios simul piæ Religionis, & Sacræ lectionis magistros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum & in ætatem plenitudinis Christi.* Attendit non segniter S. Willibrordus ad illud quod sponsus fideli animæ sponsæ occinit: Psalm. 44. *Audi filia & vide & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum & domum patris tui & concupiscet Rex decorem tuum.* Inclinauit prompto animo aurem & cor, non tantum ad præcepta, sed etiam ad consilia sponsi Christi. Eius vnius ob causam dulcia liquit arua, patriam, parentes, propinquos, sodalitatem cui à

pueritia assueuerat eorundem planè oblitus nunquã repedauit sub Anachoretarum patre Secessicola factus. Et concupiuit Rex decorem eius: decor ille ab intus est, in virtutum perfectionibus. Hoc vestitu deaurato sese induit & placuit Regi decor eius, quem ad tam solidam ecclesiæ columnam adaptauit, ad sublimem cælestis gloriç thronum prædestinauit.

Monasterium verò vbi S. Egbertus, ad quem se contulit Willibrordus agebat, vocatur Rathmelsigi. à Vener. Beda lib. 3. Hist. Anglic. cap. 27. vbi multa de ipso eiusque conterraneis ex Anglia peregrinis, abstractioris vitæ, seuerioris disciplinę, Sacrarumque litterarum studio deditis, refert. Huic sodalitio, spreto mundo, abdicato patrio solo, se expoliendum tradidit Willibrordus: hîc tandem Deum vocantem percepit, trahentem secutus est. Optima præceptio est illi qui suam vocationem & statum, qui ipsi salutaris est & quem Deus vult, noscere cupit, ab omnibus mundanis affectionibus sese expediat; parentes, propinquos, tumultus sæculares, sodalitatem, si non effectu, saltem affectu deserat, cum Deo solo conversetur, dicatque; *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, & tunc loquetur pacem in plebem suam.* Quid mirum enim, si cùm animus alijs occupatus fuerit, quasi obstrepentibus mortalium rerum curis, amoribus, delectationibus, consuetudinibus, diuina illa vox exaudiri non possit. Sapienter hoc expendit D. Bernar. epist. 107. admonens quendã Thomã in hoc ipso sæculi relinquendi statumq; ineundi consilio nutantem: *Tu* (inquit) *ô charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel & fauum si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito & vacante interno sensu dicas & tu cum Samuele Loquere Domine quia audit seruus tuus. Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit*

auditum

auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit & lætitiam, si sobria aure perceperis. Talem agendi rationem inijt S. Willibrordus opereque compleuit in Hibernia Regione externâ diuiniſſimis contemplationibus & actionibus continuò intentus, quarum vberrimos euentus dulciſſimoſque fructus tandem percepit. Sub prædicto Egberto eiuſq; ductu S. Adalbertus, qui paternis ſpretis diuitijs ex Anglia in Hiberniam quoq; ſeceſſerat, in magnarum virtutum culmen conſcendit, vti S. Willibrordi nunc condiſcipulus, ita mox futurus ei Cöapoſtolus, ad quod Deus eum dirigebat, intus inflammabat, vocabat. Vide eius vitam per Cœnobitas Medelocenſes ad petitionem Egberti Treuirenſis Præſulis Theodorici Hollandiæ Comitis filij conſcriptam. eſt ea apud Surium 25. Iunij. Idem cum alijs eorum ſynerchomenis actum eſſe, iuſtum eſt credere, tametſi nil expreſſum habeamus.

DISSERTATIO SEPTIMA.

De Sacerdotio S. WILLIBRORDI,

IN dicto Sanctorum exercitiorum feruore conſtitutus Willibrordus, Sacerdotali gradui inauguratus eſt, in eoque præ cæteris ſodalibus, etiam Sacerdotibus, eluxit teſtante Beda lib. 5. Hiſtoriæ Anglicanæ cap. 11. Diſponebatur, nimirum, à Deo, abolitis varijs Idolorum ſacrificijs, illaturus gentibus verum & ſublime Noui Teſtamenti Sacrificium & pro ſua parte impleturus illud Malachię 1. *Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus & in omni lo-*

eo sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.

Sed à quo Sacerdotalem ordinem accepit? Respondet Leydensis, ab Egberto, eo, nempe, sub cuius magisterio in Hibernia hactenus fuerat, quem supponit & intitulat Archiepiscopum Eboracensem. Idem facilè dicerent qui eundem Egbertum eodem titulo honorant. Verùm error est & quidem satis crassus, haustus ex Pseudo-marcellino qui vitam S. Swiberti, quæ exstat apud Surium 1. Martij, nobis obtrusit & se nomine Sancti Marcellini venditauit, quem in hoc opere simul refutandum suscepimus. Egbertus S. Willibrordi in Hibernia director, non fuit Episcopus, vt infra docebitur: multò minus Archiepiscopus Eboracensis, ideo ordinem sacrum impertire non potuit. Egbertus ille Eboracensis longè alius & posterior est ab Egberto de quo agimus, vt clarissimè docet series Episcoporum Eboracensium apud Malmesburiensem aliosque omnes historicos, tam Anglicos, quam externos, vt Molanum, Miræum, Gretserum &c. creatus primò Episcopus Eboracensis anno Christi 731. postquam Willibrordus ex Hibernia emissus vltra quadraginta annos Frisijs prædicasset. Quis verò ordinem sacerdotalem ei contulerit, ne quidem habeo conijcere, quandoquidem nec domestica Hiberniæ monumenta hoc tradant.

Ast quo ætatis anno Sacerdos est factus? nec hoc legitur: solum vero-simile est eum non esse factum ante trigesimum ætatis annum, cum antiquitus ea ætas capessendo Sacerdotio præscriberetur, qua de re multi exierunt Canones qui eo tempore rigidè obseruabantur. sic Beda, Bonifacius ante annum trigesimum ætatis Sacerdotium non inierunt.

Trigesimo demum & tertio (ait Alcuinus) *ætatis suo anno maior egregio viro fidei flamma crescebat in pectore, ita vt ei parum videretur*

tur sibi soli tantummodo in religionis sanctitate sudasse, si non & alijs quoq; in prædicationis veritate prodesset. Audiuit in Borealibus mundi partibus messem quidem multam esse, sed operarios paucos: sed vt somnij Deo dispensante impleretur veritas, quod mater olim de eo se vidisse testatur, suæ conscius voluntatis, licet adhuc diuinæ dispensationis ignarus, illas in partes nauigare cogi tauit & clarissima euangelicæ prædicationis luce torpentes longa infidelitate populos, si Dei esset voluntas, illustrare.

Dices. Alcuinus refert fuisse ignarum Willibrordum diuinæ dispensationis; ergo vocationem suam non percepit, cum tamen superius dixerimus eum vocationem suam cognouisse. Respondetur, Willibrordus percipiens illam internam affectionem motionemque, satis conscius fuit factus suæ vocationis quantum ordinarie noscitur, præsertim cum ipse omni pietati deditus & sapienti Diuî Egberti consilio vsus, nihil temerè aggrederetur. Imò certius illam potuit agnoscere dum se eo trahi persentisceret, non obstante quod Egbertus & Wigbertus ab isto opere non sine Dei nutu repellerentur vt sequenti dissertatione audietur. Pro quâ materiâ notandum est ex Hieronymo Plato de bono Stat. Rel. lib. 3. cap. 36. non esse in negotio vocationis vel expetendas vel exspectandas diuinas reuelationes aut miracula quædam signaue extra ordinem naturæ. Cuius ea causa est, quoniam cum Deus nobis lumen mentis atque intelligentiæ inseuerit, quod fide instructum diuinaque adiutum gratia satis sufficit ad omnia quæ saluti nostræ conveniant cognoscenda, id à nobis exhiberi exerceriique vult, & ipse eo nobis tanquam interprete loquitur & indicat quæ oportet. Quamobrem magnopere falluntur qui in ista deliberatione Angelum de cælo ad se delabi cupiunt, aut in summa aliquod eiusmodi signum diuinæ voluntatis requirunt quod nihil dubitationis

bitationis admittat: quod non est faciendum, neque omnino aliud exigendnm quam ferat communis vsus ac mos Dei cum hominibus. Quo communi modo vocatum esse S. Willibrordum, præferunt verba Alcuini. Vnde quod dicitur, diuinæ dispensationis fuisse ignarus, intelligi potest quod non tam certò & apertè cognouerit sicuti res fidei vel clarè visum. Deinde ignarus erat quo medio illa vocatio conversioque executioni darentur: qualia media Deus suppeditaret: erat ignarus de Episcopatu, ad quem illum Deus æterna dispensatione ordinauerat: ignarus erat de periculis, de successu alijsque varijs euentibus qui in tam arduo negotio occurrere solent. Vbi iterum notandum ex eodem Plato ibidem, hunc esse morem Dei vocantis vt licet nos lumine suo adiuuet, hoc tamen sit lumen fidei, non autem apertæ visionis, ac propterea obscuritatem aliquam semper admixtam habeat.

Dissertatio Octava.

A quo & quomodo S. Willibrordus cum socijs ex Hibernia sit missus in Frisiam.

Missionem itionemque in Frisiam Alcuinus breuiter perstringit verbis inferius proferendis. Sed iuuabit prius ab altiori principio illam deducere idque ex Venerabili Beda S. Willibrordo coætaneo seruatis ipsiusmet verbis:

Venerabilis & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi & Sacerdos Egbertus, quem in Hibernia insula peregrinam ducere vitam pro adipiscenda in cœlis patria retulimus, proposuit animo plurimis prodesse; id est inito opere Apostolico verbum Dei aliquibus earum, quæ nondum audierant gentibus, euangelisando committere,

mittere, quarum in Germania plurimas nouerat esse nationes à quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originẽ duxisse noscuntur. Vnde hactenus à vicina gente Britonum corruptè Germani vocantur. Sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Huni, antiqui Saxones, Boruchtuarij; sunt etiam alij perplures ijsdem in partibus populi paganis adhuc ritibus seruientes, ad quos venire præfatus Christi miles circum-nauigatâ Britanniâ disposuit, si quos fortè ex illis ereptos Sathanæ ad Christum transferre valeret: vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda & adoranda beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi limina cogitauit. Sed ne aliquid horum perficeret, superna illi oracula simul & opera restiterunt; siquidem electis socijs strenuissimis & ad prædicandum verbum idoneis, vtpote actione simul & eruditione præclaris, præparatisq; omnibus quæ nauigantibus esse necessaria videbantur, venit die quadam primo mane ad eum vnus è fratribus discipulus quondam in Britannia & minister Deo dilecti Sacerdotis Boisil, cum esset idem Boisil Præpositus Monasterij Mailrosensis sub Abbate Eata, referens ei visionem quæ sibi eadem nocte apparuisset. Cum expletis, inquiens, hymnis matutinalibus in lecto membra deposuissem, ac leuis mihi somnus obrepsisset, apparuit magister quondam meus & nutritor amantissimus Boisil interrogauitq; num eum cognoscere possem. Aio, etiam. Tu es Boisil; at ille, adhoc, inquit, veni vt responsum Domini Saluatoris Egberto adferam, quod te tamen referente oportet ad illum venire. Dic ergo illi, quia non valet iter quod proposuit implere. Dei enim voluntatis est, vt ad Columbæ monasteria magis docendo pergat. erat autem Columba primus Doctor fidei Christianæ transmontanis Pictis ad Aquilonem primusq; fundator monasterij quod in Hiu insula multis diu Scotorum Pictorumq; populis venerabile mansit, qui videlicet Columba nunc à multis composito à cella & Columba nomine Columcelli vocatur. Audiens autem verba visionis Egbertus, præcepit fratri qui retulerat ne cuiquam alteri hæc referret, ne fortè illusoria esset visio. Ipse autem tacitus rem considerans

veracem esset timebat, nec tamen à parando itinere, quo ad gentes docendas iret, cessare volebat: ast post paucos dies rursum venit ad eum præfatus frater dicens, quia & ea nocte sibi post expletas matutinas Boisil per visum apparuerit dicens: quare tam negligenter ac tepidè dixisti Egberto quæ dicenda præcepi? At nunc vade & dic illi, quia velit nolit debet ad monasteria Columbæ venire, quia aratra eorum non rectè incedunt; oportet autem eum ad rectum hæc tramitem reuocare. Qui hæc audiens, denuo præcepit fratri ne hæc cuiquam patefaceret. ipse verò tametsi certus est factus de visione, nihilominus tentauit iter dispositum cum fratribus memoratis incipere. cumq; iam naui imposuissent, quæ tanti itineris necessitas poscebat, atq; opportunos aliquot diebus ventos exspectarent, facta est nocte quadam tam sua tempestas, quæ perditis nonnulla ex parte his quæ in naui erant rebus, ipsam in latus iacentem inter vndas relinqueret; saluata tamen sunt omnia quæ erant Egberti & sociorum eius. Tum ille quasi propheticum illud dicens, quia propter me est tempestas hæc, subtraxit se illi profectioni & remanere domi passus est. At verò vnus de socijs eius vocabulo Wicbertus, cum esset & ipse contemptu mundi ac doctrinæ scientia insignis (nam multis annis in Hibernia peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) ascendit nauem & Fresiam perveniens, duobus annis continuis genti illi ac Regi illius Radbodo verbum salutis prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud Barbaros invenit Auditores. Tunc reuersus ad dilectæ locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cepit. Beda lib. 5. histor. Anglicanæ cap. 10.

Vt autem vidit vir Domini Egbertus, quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permittebatur, retentus ob aliam Ecclesiæ vtilitatem, de qua oraculo fuerat præmonitus, nec Wicbertus illas deueniens in partes quidquam proficiebat, tentauit adhuc in opus verbi mittere viros sanctos & industrios, in quibus eximius Willibrordus Presbyterij gradu & merito præfulgebat. Ita idem ibidem cap. 11. quo demum eorum adiungit profectionem.

Vides

Vides hic quibus medijs Deus, qui mirabilis est in vijs suis, vocationem S. Willibrordi direxerit & ad effectum traxerit. proponit bono zelo S. Egbertus gentes adire, fidem erudire, sed non erat Zelus secundum scientiam, à Deo isti operi non erat destinatus ideoque ab eo impeditus per spiritus procellarnm, qui faciunt verbum eius. mansurus fuisset domi Sanctus Willibrordus ab æternitate isti operi selectus, sed præteriri nequijt cæleste decretum, cælo interius & exterius ad eius missionem Sanctum Egbertum impellente. Frustra profectionem affectat Egbertus, frustra nauigat & in Frisiâ moratur audentior Wicbertus: soli Willibrordo id debebatur. quemadmodum septem viri irrito conatu, quin & suo malo, ambierunt Saram filiam Raguelis, vtpote diuinitus Tobiæ Iuniori reseruatam, ita nequidquam Frisiam tentant alij, S. Willibrordo adolescenti triginta trium annorum ante tempora sæcularia desponsatam.

DISSERTATIO NONA.

Quinam sint Dani à Beda capite decimo memorati.

ANtequam pergamus operæ prætium erit explicare quinam sint illi populi ad quos transfretare S. Egbertus proposuerat, & quorum gratia postmodum S. Willibrordum cum socijs emisit. Sunt, inquit Beda, hi, *Fresones, Rugini, Dani, Huni, antiqui Saxones, Boructuarij.* Dani quinam hodie sint, palam est. apud Bedam eos esse credo quos à crebris per Europam vastationibus famosos, celebrant vocantq; Nortmannos historiæ, è septemtrionali Germaniæ parte

in nostrum orbem delatos; nam vtroque nomine ijdem veniunt. Probat hoc Eginhartus Carolo Magno à secretis: *vltimum*, aiens, *quod contra Nortmannos, qui Dani vocantur, primum piraticam exercentes, deinde maiori classe littora Galliæ atque Germaniæ vastantes, bellum est susceptum*, scilicet à Carolo Magno. Idem cernitur in vita S. Huberti: *Danorum gens à finibus suis egressa partem Austrasiorũ cæde & incendijs indifferenter vastabat: nam eosdem Nortmannos nostrates historiæ appellant.* Idem insinuat Regino dicens: *Carolo Aquis commorante, ducentarum nauiũ classe à Nortmannia in Frisiam appulisse Danos Frisijsq; deuictis tributum imposuisse.* E Nortmannia educit Danos & Frisiorum illos populatores Nortmannos fuisse & vocari aliæ perhibent historiæ; pro ijsdem ergo accipiunt Danos & Nortmannos ab aquilonari plaga desumpta nominatione; estque sententia Scribanij in Originibus Antuerpiensibus cap. 4. Goropij Becani in Gotodanicis, & fatetur Krantzius Gallicos scriptores Danos & Nortmannos pro ijsdem reputare. Adde Anglicos, vt clare videre est apud Huntodinensem lib. 4. Harpsfeldium sæculo nono, apud quos frequentius Dani scribuntur. Et sic intelligo Bedã. Admittendum nihilominus, si in rigore & propriè loquamur, distinctionem inter eosdem ponendam esse, non solum veluti inter genus & speciem, nomen speciale & generale, verumetiam vt inter duas species siue duo nomina specialia. Dani proprie erant qui ex regno Daciæ siue Daniæ; Nortmanni qui ex regno Norwegiæ procedebant, quibuscumque terminis ea regna tum describerentur, de quo vide Krantzium. Differentia illa etiã apud Gallicos scriptores subinde occurrit: Sigebertus anno 882. *Nortmanni*, inquit, *adiunctis sibi Danis Franciam ac Lotaringiam peruagantes, Ambianos, Atrebates, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachbantensium*

sium omnemq; circa Scaldim fluuium terram, Monasteria Sanctorum Vualarici & Richarij ferro & igne deuastant. Inde Wal fluuium ingressi, totam Batuam, palatium etiam Nemagi incendunt. Scriptor quidam Andainensis à Ioanne Roberti citatus in notis ad vitam Sancti Huberti notat. 169. memorat anno 879. Nortmannos Danorum sibi copias adiunxisse; vbi clara est distinctio inter Danos & Nortmannos. Similia habet Meierus in Annalibus, Locrius in Chronico Belgico. distinctio illa etiam reperitur apud citatos Anglos Huntindonensem prologo in lib. 5. Harpsfeldium supra cap. 15. Idem apud Hedam & Becanum; & hanc mirificè laudat Dousa pater lib. 1. Batauiæ, ac apertissimè hoc discrimen adstruit Krantzius, *Nortmanni*, aiens, *nonnumquam soli, aliquando Danis iuncti Britanniam & Galliam sunt populati; nec quieuêre donec de suo nomine Nortmanniam in littore Galliarum constituerent. Quamquam Gallorum Scriptores rem perturbantes, omnes ab Aquilone venientes soliti sint appellare Nortmannos, non discernentes inter Danos & eos qui veri sunt Nortmanni.* Itaque non omne discrimen inter Danos & Nortmannos est excludendum, quemadmodum aliqui volunt excludere. Licet enim Dania & Dani Boreã respectent, attamen quia Norwagia & Nortmanni in extremum vsq; Aquilonis protenduntur, merito specialiter Nortmannia, & habitatores Nortmanni vocantur. Quando primò orbi innotuerit nomen Danicum in expeditionibus per Europam, vide Dousam lib. 1. qui dissentit à Cambdeno sentiente non innotuisse orbi ante tempora Iustiniani, qui imperauit statim post annum quingentesimum. sed fallitur.

De primæuâ origine Danorum, antiquissimis eorum sedibus ante tempora Willibrordi, multa apud Saxonem Grammaticum, Krantzium in Dania, à quibus tamen longè discrepat Goropius supra. Curiosos eorum eò amando.

Dissertatio Decima.

Quinam Frisij.

DE eorum origine, nominis etymo nihil hic lubet velitare. de ijs multa Suffridus Petri quæ à Ponto Heutero non probantur & refutantur. eorum incrementum & decrementum, veterem & nouum statum generaliter perlustrabimus.

Frisij gens sunt Germanica. eos tempore Iulij Cæsaris obscurioris nominis fuisse, arctosque habitasse limites apparet, cum idem Cæsar nostratium locorum & Rheni sedulus explorator, nullam eorum mentionem faciat. Tiberij Cæsaris tempore innotescere & inclarescere cœperunt; quod colligitur ex verbis Taciti: *Eodem anno Frisii Transrhenanus populus pacem exuêre, nostra magis auaritia quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus iusserat modicum pro angustia rerum: vt in vsus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura, donec Olennius è primipilaribus, regendis Frisiis impositus, terga virorum delegit quorum ad formam acciperentur &c. ac primo boues ipsos, mox agros, postrema corpora coniugum aut liberorum seruitio tradebant.* Quid nostri Frisij? an ex fascia nondum vel vix eductis animus erat in calceis? nequaquam. *Hinc ira & questus, & postquam non subveniebat, remedium ex bello.* Vastissimam Romanorum potentiam nihil veriti, seruitutis impatientes, durum tributum negant, exactores patibulo affigunt, in præsidiarios sæuiunt, Olennio Præfecto præ metu in Fleuum munitum Castellum se propipiente. Missæ accersitæ frustra in eos legiones non vna clade attritæ. ex quibus concludit Tacitus

lib. 4.

lib. 4. Annal. *Clarum inde inter Germanos Frisium nomen.* Durauit ea rebellio septennium numquam armis aut vt sopita, donec tandem virtute ac prudentia Domitij Curbulonis ad imperij obsequium pertracti, sponte positis armis imperium agnouêre. Aliud generosi excelsiqúe animi specimen dederunt; nam non longè post Romam profecti pro negotio quod ipsis cum Didio Auito de cedendis alienis agris erat, *dum Neronem aliis curis intentum operiuntur, inter ea quæ Barbaris ostentantur, intrauere Pompei theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic per otium, dum consessum cauea, discrimina ordinum, quis eques, vbi Senatus percontantur, advertêre quosdam cultu externo in sedibus Senatorum, & quinam forent rogitantes, postquam audiuerant earum gentium Legatis id honoris datum, qui virtute & amicitia Romana præcellerent: nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamant: digrediunturq; & inter Patres considunt. quod comiter à visentibus exceptum quasi impetus antiqui & bona æmulatio. Nero ciuitate Romana ambos donauit. Frisios tamen discedere agris iussit.* ib. l. 13. Hinc intellige post tempora Iulij Cæsaris aut Augusti nomen aruaqúe sua non parum promouisse Frisios. Per multos annos sub Romano Imperio sedati Frisij, circa initium Vespasiani Imperatoris rebellantibus Batauis incentore Claudio Ciuili sese adiungunt cum ipsis dominatum externum pertæsi. Qua occasione magis increuerunt, vt de ijs Tacitus: *à Fronte Frisij excipiunt: maioribus minoribusq; Frisiis vocabulum est ex modo virium: vtræq; nationes vsq; ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntq; immensos insuper Lacus & Romanis classibus nauigatos &c.* lib. de morib. Ger. Talis status eorum erat stante Romana re. Ea in Gallijs retrolabente, pro gloria sua minime dormitantes Frisij circa annũ Christi quingentesimũ, vel forsan statim post annũ quadringentesimũ, vt insinuat Dousa l. 1. veterum Bructerorum trans Amisiã amnem partem pulsis Wiltis ac Batauis à Quadis, Saxoni-

bus, Wiltis non parum iam attritis, eodem teste occupauerunt, veteribus Batauis in eam Insulæ partem detrusis quæ Geldriæ attributa adhuc hodie Batauia dicitur, vulgo die Betuwe. Dousa illam contractionem Batauorum & coarctationem adscribit Nortmannis post annum octingentesimum Hollandiæ occupatoribus. Sed conciliari possunt, si dicamus primò à Frisijs ad angustiores limites quam ante redactos, & postmodum à Nortmannis ad angustiores, quos postmodum tenuerunt vsque ad hoc tempus. Sed vt nihil in orbe perennat, sæculo octauo per Pipinum Herstallum & Carolum Martellum eorũ pomeria sunt iterum diminuta, manente tamen in ditionibus occupatis Frisio nomine. Sæculo sequenti à Danis & Nortmannis vniuersa Batauia ac Cis-Rhenana exuti, in veteres Trans-Rhenanos limites sunt compulsi externosque Reges pati coacti. Quod damnum resarcire conantes, Amisiâ Traiecto versus Orientem fines extenderunt, agrosque occupauerunt, à quo tempore veteri diuisione, qua in maiorem minoremque (teste Tacito supra) separabantur, omissâ, Orientalis & Occidentalis, vt etiamnum hodie, dicie st cæpta Amisia fluuio distinctæ.

Nota primò, maiores Frisios putari à Petro Montano esse qui hodie Occidentales dicuntur: minores, qui Nort-Hollandi.

Nota secundò, Abrahamum Ortelium in suo theatro de Frisijs hunc in modum scribere: *Frisii veteribus fuerunt qui littora Germaniæ Aquilonaria tenent, vna gens, vnis moribus longò licet interuallo distans per Germaniæ littora. Ab Hollandia enim in Occiduum sumpto initio Orientem versus per Geldriam, Isalam, Rheni ostium, Diœceses Traiectensem, Monasterienſem & Bremensem ad Albim vsq; fluuium pertingit. Deinde ex latere Holsatiæ in Iutiam, quæ & Cimbrica Chersonesus, se flectit, interciſa aliquando paludibus*

dibus quas immenſos lacus vocat Tacitus, aliquando maris ſinubus. In horum finibus Amiſia iuxta Embdam in Oceanum effunditur. Ladera amnis, cuius Ptolomeus meminit, qui Iada vulgò appellatur, Friſios lambit, à quo adiacens ora Budiaden *dicitur. At Vidrus inter Biſactores ac Bructeros, nunc Weſtphalos & Friſios, fluens, & in mare inter Rhenum & Amiſiam egrediens nigra vnda, vernacule'* tſwert-water/ *dicitur.* Verùm, vt bene notat Pontus Heuterus lib. 2. de nouo Belgio cap. 8. quæ Ortelius ſcribit, intelligenda ſunt de medio tempore, quum inſtar turbinis celerrimè imperium protuliſſent Friſij, ſed mox iterum inde deiecti, vbi nunc viſuntur, conſtiterunt. De eodem tempore intelligendus Krantzius lib. 11. Saxoniæ cap. 6.

Ex prædictis collige tempore adventus S. Willibrordi Friſios fuiſſe qui modo Friſij præſertim Occidentales, Groeningani, Tranſiſalani, Traiectenſes, magna pars Geldrorum, Hollandi omnes aut pænè omnes. Quidam Zelandos adnumerant. exiſtimo tamen Zelandos Friſiorum nomine non fuiſſe recenſitos, nec eorum ſubfuiſſe imperio, ſed cum Flandris ſub dominio Francorum,

Friſia, vt olim, ſic nunc diuiditur in Orientalem & Occidentalem. Orientalis Belgio non adnumeratur ſeruiens impotentibus Regulis, & nuper à confœderatis Belgij Ordinibus Mansfeltij ope pænè ſubacta. Occidentalis, ſub qua Territorium Groeningenſe, Belgij eſt pars. eius ſaltē portio à prima inſtitutione Hollandici Comitatus per Carolum Simplicem anno 913. factâ, ſubiecta fuit Hollandiç Comiti, ſed paucos niſi armis domiti agnoſcere voluerunt Friſij; vnde continua cum Hollandis bella. Altiorem titulum Friſia poſſeſſorem non tribuit quam Domini. Ciuilibus noſtris bellis à verâ Religione per S. Willibrordum inductâ, & à Principe deficientes, maluerunt Hollandis veteribus hoſtibus coniungi, quam Principi.

Dissertatio XI.

Quinam Rugini? Quinam Huni.

Vgini populi sunt ex Insula Rugia sita in mari Baltico siue Orientali (ooster-schye-zee) è regione Pomeraniæ ad flumen Penæ: ex qua exiêre qui circa annum 476. in Italia regnum Longobardiæ condiderunt: fuit olim, teste Krantzio, Wandalicæ gentis caput, proprio ornata Rege. Sed succedentibus temporibus varijs dominis subijcitur, nunc Pomerano, ni fallor, parens. vrbes habuit præclaras, inter quas præcipuæ Arcona & Carentina, quas post annum 1150. sibi subiecit Rex Daniæ ope & consilio Henrici Ducis Saxoniæ, qui in eo negotio vsus est operâ & legatione Domini Henrici Episcopi Raceburgensis ex Præmonstratensi ordine quarti. Vsq; ad dictum annum Idololatriæ sordibus iacuit inquinata, sicuti ante paucos annos ferè Wandalia: quod mirum videri potest, cum iam à sæculis in vicinia & per totam Germaniã tot fuerunt instituti Episcopatus, tot Ecclesiæ, Apostolici viri & Principes Catholici: sed videtur eã conversionem, vt reliquorum Wandalorum, Deus Opt. Max. Sanctissimo Patri nostro Norberto eiusque sodalibus reseruasse, qui antequam ad Archiepiscopatum Magdeburgensem raperetur, Wandalis operam Euangelicam suam impendere meditabatur, & Archiepiscopus factus, tum per se, tum per sui ordinis viros glorioso effecit, institutis ibidem per Principes viros diuersis Episcopatibus & Ordini Præmonstratensi annexis. De quo negotio

negotio fusè Krantzius in Wandalia, & in Metropoli Saxoniæ & Wandaliæ. Miræus in Chronico Præmonstratensi.

Existimo autem & colligitur ex dictis, Ruginos Bedæ vocari, qui apud posteriores Scriptores vocantur Wandali, cum Krantzius dicat Rugiam, quæ adhuc sola nomen seruat, fuisse Wandalicæ Gentis caput & Ruginos fuisse inter Wandalos, vel eosdem cum Wandalis.

Multi auctores Hunnos siue Hunos (qui & Chunni, Chuni) à Iugris in extremo Aquilonis deducunt. De eorum ortu primisque sedibus sentit Krantzius lib. 2. Daniæ cap. 21. & præfat. ad 1. lib. Saxoniæ, Hunos supra Russos ad Orientem olim habitasse provt Saxo Grammaticus ostendit, quum nonnulla quæ Danis obvenerunt bella cum ea gente commemorat: adeoque Russos inter Danos & Hunos; nam per Russos Danis & vicisim Hunis patuisse transitum quum invicem belligerarent: vastam autē illam regionem, quam olim Sauromatæ, nunc Tartari, tenent, tum Hunos gentem efferam tenuisse. Accedit testimonium Berosi qui Hunos Europæos fuisse, non Asiaticos, testatur. Ast Goropius in Goto-Danicis fuse demonstrare conatur Hunos primo consedisse apud Colchos inter Bæotim & Caspium mare siue Hyrcanum, qui paulatim ad Tanaiticam planitiem & inde ad fines Gothorum progressi, Alanis adiuncti Ostrogothos subiugarunt & inde in Westrogothos impetum fecerunt. Venisse etiam ad Istrum, nunc Danubium, Marcellino teste: postremo verò in Sarmatiæ eā. partē quā Auari siue Auarini quondam tenuerunt, ad quam è Norico, Pannonia, Dacia à Carolo Magno multis cladibus compulsi confugerunt, quo longè remoti Francorum arma non amplius experirentur. vide Krantz. l. 3. Sax. c. 6. & 16. Goropio consentit Sigebertus in Chronico, vbi de Hunorum gestis passim multa refert.

Hunos & Auares eosdem esse populos contendit Krantzius lib. 3. Daniæ cap. 19. & lib. 2. Saxoniæ cap. 6. & 13. & Auares dictos primum post cladem Catalaunicam, tum, scilicet, Attila eorum Rege pereunte, quum se omnibus eo nomine invisos cernerent, à Duce suo Auaro, Auares dici amasse (vnde detorto nomine Bauari sunt appellati) Noricum tenentes trans Danubium Regionē Italiæ proximam. eosdem esse sentiunt etiam Molanus militiæ sacræ Ducum Brabantiæ cap. 13. Sigebertus supra, Robertus Gaguinus in historiâ Reg. Franc. Goropius mauult Hunos & Auares esse distinctos populos, & interdum eodem nomine (quod etiam admittit Baronius ad annum 788.) recenseri, siue quod Huni Auarinorum agros inhabitarent, siue quod contra Adversarios coniunctis auxilijs agentes, inter sese commiscerentur. In hisce iudicium non fero; ferat cui plus lubentiæ.

Petes. cur Beda post Ruginos statim nominat Hunos relictis tot gentibus intermedijs? Respondetur, Admodū verosimile esse ex bellis quæ Huni contra Gothos & Danos fecerunt, vti ex Goropio iam diximus & late narrat Krantzius lib. 1. Daniæ & alibi, tempore Bedæ & Egberti Hunos proximos Ruginis id est Wandalis consedisse.

Quinam antiqui Saxones sint, superius est scitum. An sint indigenæ, an aliunde processerint, inter authores certatur. Krantzius in eam abit sententiam esse indigenas, quemadmodum Tacitus pronunciat de Germanis. Vide præfationē ad lib. primum Saxoniæ. Idem non ægrè sentirem de Frisijs inter Germanos computatis. De Boruchtuarijs dicetur infra.

Hîc lector, notatum velim, in antiquarum gentium investigatione, tantam occurrere nominum, locorumq; varietatem, discrepantiam, obscuritatem, vt certi aliquid

statuere

ſtatuere admodum ſit difficile, nonnumquam impoſſibile. Provenit id maximam partem ex gentium crebra migratione mutuaque expulſione, in quâ locis nomina impoſita relinquebant, vel noua imponebant, nunc auctiores, nunc contractiores fines inhabitabant, quod intimat Albinæ Seneca epiſtolâ conſolatoriâ. Idipſum conqueritur Plinius: *alibi mutato Prouinciarum modo, alibi itinerum auctis aut diminutis paſſibus incubuêre Maria, tam longo æuo alibi proceſſêre littora, torſêre ſe & fluminum aut correxêre flexus; præterea aliunde alijs exordium menſuræ eſt.* quod intimat Albinæ Seneca epiſtolâ conſolatoriâ. lege etiam Tertullianum libro de Pallio cap. 2. Certè à Strabonis tempore, qui ſub Tiberio Cæſare vixit, vſque ad Ptolomeum Alexandrinum, qui imperante Antonino (is imperauit ab anno 139. vſque ad 162.) Pio Auguſto ſitum orbis deſcripſit, tanta nominum mutatio facta eſt, vt pauciſſimos populos eo nomine recenſeri videas ab vno, quo nominauerit alter. Quare nihil mirum in locis, populis antiquis inquirendis, diſcrepantes eſſe Authorum ſententias, quæ ſi ad ſua diuerſa tempora referri valerent, plurimùm conciliatæ forent.

DISSERTATIO XII.

De profectione S. Willibrordi, Sociorumque in Friſiam.

EAm ſic proponit Alcuinus: *Aſſumptiſq; ſecum duodecim fratribus eo fidei feruore, quo & ipſe, armatus, nauim conſcendit; quorum aliqui poſtea ob prædicationis Euangelicæ inſtantiam martyrio coronati ſunt: aliqui verò Epiſcopatus ordinem accipientes, poſt ſanctæ prædicationis labores, in pace quieuerunt. Igitur vir Dei cum ſocijs, ſicut*

prædiximus, nauigauit, donec prosperocursu ad ostia Rheni fluminis vela deposuit, ibiq; optata telluris statione refocillati sunt & mox ad Castellum Traiectum, quod in ipsa fluminis ripa situm est, pervenerunt &c.

Videntur hic Author & Beda supra relatus aduersa scribere. hic enim adstruit S. Willibrordum cum socijs emissum ab Egberto, ac si alias spontè iturus non fuisset: ille eum ardore mentis inflammatum quasi proprio marte, nullo dirigente ac mittente in Frisiam perveniſſe. Verum licet hæc in speciem contrarietatem habeant, reuera tamen contraria non sunt, & Alcuinus per Bedam vel potius vterque per alterutrum est exponendus. fuit calore sancto incensus S. Willibrordus gratia cælesti intus operante Barbaros externos erudiendi: vel advertit illam flammam S. Egbertus, vel Willibrordus ipsi aperuit ideoque illum emisit tanquam diuinitus ad talem messem prædestinatum; vel certè Deo ita disponente, qui cius, quod inspirat, etiam media procurat, ab Egberto electus ad iter fuit. Egberti delectu gaudens S. Willibrordus, quo iam animus trahebat, lubens sequebatur ac si nullo directore aut monitore moueretur, secuturus etiam si nullus hominũ ordinaret. Ita Alcuinus aperit promptam voluntatem eundi, quam S. Willibrordus per Spiritum sanctum iam conceperat: Beda aperit media quibus illa voluntas ad effectum deuenerit.

Dubium primum. Num ex Anglia huc venerit Willibrordus? ita namque loquuntur Vincentius in speculo, Trithemius in compendio rerum Francicarum lib. 1. & non nemo alius. Respondetur. hactenus ex dictis constare S. Willibrordum sodalibus comitatum ex Hibernia soluisse, ex qua ab Egberto est emissus. Num verò in transfretando portus aliquos Angliæ intrauerit, ex quibus posteà

ſteà ſoluiſſet; ſiue an per Angliæ regnum iter huc ſumpſerit, quemadmodum frequenter Hiberni hodie iter ſuum hâc inſtituunt, præter conijcere nihil habemus. Imaginor potius vno velo transîtis omnibus littoribus continuum mare ſulcaſſe Friſiam vſque,

Vbi demum dente tenaci
Anchora fundabat nauem.

Quid enim opus Angliæ arua adire? ex alto mari ad latera retrorſum reflectere, moras trahere? & hoc optime quadrat citato textui Alcuini. Videntur Vincentius & Trithemius decepti lectione Marcellini, qui ſub perſona S. Marcellini apud Surium prima Martij vitam S. Swiberti ſtylo mandauit, in qua refert S. Swibertum cum S. Willibr. ex Anglia, & quidem ex Conuentu Eboracenſi, nulla mentione Hiberniæ factâ immediate eſſe emiſſos in Friſiam ab Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo. Verum fallit & longè fallitur laruatus ille Marcellinus. Eius relatio repugnat V. Bedæ S. Willibrordi conterranei & coætanei & omnibus alijs hiſtoricis, Anglicis, & Hibernis, imo omnibus probatis ſcriptoribus, qui vnanimiter aſſerunt S. Willibrordum ſocioſque antequam Friſiam peterent, per plures annos in Hibernia Anachoreticam & monaſticam vitam duxiſſe, atque ex ea ab Egberto in Hiberniâ Archimandrita (non Archiepiſcopo) immediatè eſſe miſſos in Friſiam. Vide Bedam lib. 50. Hiſtoriæ cap. Decimo, vndecimo, & 12. & ſequentem noſtrã diſſertationem. Si quis velit excuſare Vincentium & Trithemium, poſſet dicere illos vel totum illud regnum, quod hodie magnam Britanniam nominamus, Angliam appellare; quemadmodum externi omnes noſtras ſeptemdecim Prouincias linguâ, moribus, titulis, & nominibus alioquin diſcriminatas Flandriam appellant: vel intelligere ſoluiſſe eos ex Anglia mediatè,

quia

quia in Anglia nati, atque ex eâ Hiberniam petiisse, inde huc. Verum non sic loqueretur S. Marcellinus S. Willibrordi collega, quia eo agente appellatio Anglię nondum Britanniæ erat indita.

Dubium secundum. An rectè idem Trithemius suprà dicat Sanctum Willibrordum de Anglia venisse in Franciã Gallicanam, quasi non in Frisiam sed in Franciam Gallicanam venisset? Respondetur; ex superioribus liquere S. Willeb. superato mari per Rhenum in Frisiã Vltraiectumque primò appulisse, ibidemque aliquantulum moratum ad Pipinum in Austrasiã (quæ Francia Gallicana erat) sese contulisse. Quare (nisi quis velit Trithemium errasse) intelligendus & hic est venisse Willibrordum in Galliam Francicanam mediatè postquã in Frisia nonnihil hęsisset: ac forsan à Trithemio citerior Frisia & Vltraiectensis ditio sub Francia Gallicana sunt censæ. Quamquam enim iuxta distributionẽ Iulii Cæsaris Rhenus disterminator esset Galliæ & Germaniæ, citeriore ripâ Galliæ, vlteriore Germaniæ decretâ, Vltraiectum esset in Germanica, attamen Valentinus Imperator occupatum Vltraiectum asseruit Imperio Gallorum; perstetitq; sub Dominio eorum etiam tempore Chilperici & Dagoberti Franciæ Regum quovsque Frisiæ Reges invasores Dominium tyrannicé ibidem vsurparent, à quo tandem, vt paulo prius citeriore Frisiâ, à Pipino Herstallo statim post aduentum S. Willibrordi sunt exuti, magnam Frisiæ portionem Vltraiectumque Gallijs reasserente.

Dis-

Quis qualisve fuerit S. Egbertus Willibrordi emissor? An fuerit Episcopus siue Archiepiscopus & quidem Eboracensis?

FVisse Episcopum, probatur primò. quia Beda vocat illum Reuerendissimum. Secundò, Alcuinus vocat Episcopum. Tertiò, Marcellinus S. Willibrordi emisionem illam enarrans, intitulat illum Archiepiscopum Eboracensem. Textum illum plures sequuntur. Quarto, vidi in insigni Parochiali Ecclesia S. Willibrordo dicata Altare egregio opere cælato, in quo Egbertus mittens pingitur ornamentis Episcopalibus & subscribitur Episcopus. Quintò, quomodo aliàs potuisset Egbertus illos mittere ad prædicandum? hoc enim solum Pontifici & Episcopis competit.

Vt hæc difficultas, si modo difficultas sit, tollatur, placet S. Egbertum Willibrordi directorem delineare, idque verbis diui Bedæ.

Anno Domini Incarnationis 664. erant multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum qui tempore Finani & Colmani Episcoporum, relicta patriæ insula, Britannia videlicet, vel diuinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratiâ in Hiberniam secesserant, & quidam quidem mox se monasticæ conversationi fideliter mancipaueruut, alij magis circumeundo per cellas magistrorũ lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti libentissimè suscipientes, victum eis quotidianũ sine pretio, libros quoq; ad legendum & magisterium gratuitum præbere curabant. Erant inter hos duo Iuuenes magnæ indolis de nobilibus Anglorum Edelhun & Egbert, quorum prior frater fuit Edelhun viri æquè Deo dilecti, qui & ipse æuo sequenti Hyberniam gratiâ legendi adijt, & bene instructus in patriam redijt atq; Episcopus in prouincia Lindisse factus, multo Ecclesiam tempore nobi-

lißimè rexit. Hi ergo cum eſſent in Monaſterio, quod lingua Scotorum Rathmelſigi appellatur, & omnes ſocij ipſorum vel mortalitate de ſæculo rapti, vel per alia eſſent loca diſperſi, correpti ſunt ambo morbo eiuſdem mortalitatis & grauißime afflicti. è quibus Egbert, ſicut quidam mihi referebat veraciſſimus & venerandæ canitiei Presbyter, qui ſe hæc ab ipſo audiuiſſe perhibebat, cum ſe exiſtimaret eſſe moriturum, egreſſus eſt tempore matutino de cubiculo in quo infirmi quieſcebant, & reſidens ſolus in loco opportuno cæpit ſedulus cogitare de actibus ſuis & compunctus memoria peccatorum ſuorum, faciem lachrymis abluebat atq; intimo ex corde Deum precabatur ne adhuc mori deberet, priuſquam vel præteritas negligentias, quas in pueritia vel infantia commiſerat, perfectius ex tempore caſtigaret, vel in bonis operibus abundantius ſe exerceret. Vouet etiam votum, quia adeo peregrinus viuere vellet, vt numquam in Inſulam, in qua natus eſt id eſt Britanniam, rediret: quod præter ſolennem canonici temporis Pſalmodiam (ſi non valetudo corporis obſiſteret) quotidie Pſalterium totum in memoriam diuinæ laudis decantaret: quod omni ſeptimana diem cum nocte ieiunus tranſiret. Cumq; finitis lachrymis, precibus & votis domum rediret, invenit ſodalem dormientem, & ipſe quoq; lectulum conſcendens cæpit in quietem membra laxare, & cum paulum quieſceret, expergefactus ſodalis reſpexit eum & ait: O frater Egberte, ô quid feciſti? ſperabam quia pariter ad vitam eternam intraremus. verumtamen ſcito quia quæ poſtulaſti accipies. didicerat enim per viſionem & quid ille petiſſet, & quia petita impetraſſet. Quid multa? ipſe Edelhun proxima nocte defunctus eſt. At verò Egbertus decuſſa moleſtia ægritudinis conualuit, ac multo poſt tempore viuens acceptum Sacerdotij gradum condignis ornauit actibus. Duxit autem vitam in magna humilitatis, manſuetudinis, continentiæ, ſimplicitatis, & iuſtitiæ perfectione; vnde & genti ſuæ, & illis in quibus exulabat nationibus Scotorum ſiue Pictorum, & exemplo viuendi & inſtantia docendi & authoritate corripiendi & pietate largiendi de his quæ à diuitibus acceperat, multum profuit.

Hæc Beda lib. 3. Hiſtor. Anglic. cap. 27. Anno

Anno 716. Dum vigeret in Britannia longum schisma de seruando Paschate, quibusdam contra consuetum Ecclesiæ Romanæ morem illud celebrantibus, inter quos erant Monachi Scoticæ nationis qui Insulam Hiu incolebant, venit ad eos de Hibernia Deo amabilis & cum omni honorificentia nominandus Pater ac Sacerdos Egbertus, honorificè ab eis & multo cum gaudio susceptus. Qui quoniam & Doctor suauissimus, & eorum quæ agenda docebat, executor erat deuotissimus, libenter auditus est ab vniuersis. Immutauit pijs ac sedulis exhortationibus inueteratam illam traditionem parentum eorum, de quibus Apostolicum illum licet proferre sermonem, Quod æmulationem Dei habebant, sed non secundum scientiam, Catholicoq; illos atq; Apostolico more celebrationem præcipuæ solemnitatis sub figura coronæ perpetuæ agere perdocuit.

Suscepерunt autem Huienses Monachi docente Egberto ritus viuendi Catholicos sub Abbate Duumchado postannos circiter octuaginta, ex quo ad prædicandum genti Anglorum Aidanum miserunt Antistitem. Mansit autē vir Domini Egbertus annos 13. *in præfata insula, quam ipse velut noua quadam relucente gratia Ecclesiasticæ societatis & pacis Christo consecrauerat. Annoq; Incarnationis Dominicæ* 729. *quo Pascha Dominicum octauo Kalendarum Maiarū die celebrabatur, cum Missarum solemnia in memoriam eiusdem Dominicæ Resurrectionis celebrasset, eodem die & ipse migrauit ad Dominum, ac gaudium summæ festiuitatis, quod cum Fratribus, quos ad vnitatis gratiam conuerterat, inchoauit, cum Domino & Apostolis cæterisq; cæli ciuibus compleuit; Imo id ipsum celebrare sine fine non desinit.* Ita idem lib. 5. Historie cap. 23. Ex dictis liquet Egbertum nec Episcopum nec Archiepiscopum, multo minus Eboracensem, fuisse, vel hoc solo argumento, quod ab adolescentia semper fuerit aut in Hibernia aut in Scotia versatus, & votum de non redeundo in patriam fecerat: Eboracum autē consistat inter Anglos in prouincia Northumbrorum. Deinde Beda exactus Episcoporum Britan-

eorumque ordinationum annotator, numquam de Episcopatu Egberti eiusque ordinationis vel minimam mentionem facit; quinimo continenter in Monasterijs inter Religiosos conuersatum fuisse plane eloquitur, neque vlterius quam Presbyterum aut Sacerdotem appellat.

Ad Primum, Reuerendissimus vocatur à Beda, non ob honorem Pontificalem, sed ob virtutis & sanctitatis eminentiam, quibus toti Hiberniæ & Britanniæ erat venerabilis. Sic idem Beda lib. 5. cap. 21. Adrianum Abbatem coöperatorem Theodori Episcopi Cantuarienſis Reuerendissimum vocat, quem tamen ex solo Beda constat numquam fuisse Episcopum.

Ad Secundum. Quod Alcuinus eum Episcopum intitulet, opinor textum eius ibi esse corruptum & ab aliquo incauto insertum; nisi dicamus Alcuinum nomen Episcopi latius sumere pro Inspectore, Superintendente quomodò Apostolus accipit 1. ad Timot. 3. ad Philippenses 1. Actor 20. quia instar Episcopi multorum Monasteriorum erat pater, multorum director, Instructor, ab omnibus magni habitus. Attamen quia nomen Episcopi in vitis SS. & in Historijs propriè accipitur & accipi debet, & Alcuinus aliàs in vsitato significato semper vsurpat provt denotat dignitatem Episcopalem, malo admittere textus adulterationem, quæ orta censeri potest ex confusione nominum, de qua statim. Ad 3. Historiam S. Marcellini de Swiberto, quæ est apud Surium 1. Martij, vitiatam lęsamque esse res ipsa & Authores loquuntur & quidem nominatim cap. 4. quo Egbertus S. Willibrordi & Suiberti missor indigetatur Archiepiscopus Eboracensis: tempore enim adventus eorum in Frisiam nullum, nec Episcopum, nec Archiepiscopum Egbertum Eboraci sedisse, Anglicorum Historiæ nimis apertè profitentur. Pseudographiã

istam

istam aduertit D. Molanus oculatus & solidus Historiarum tractator in Natalibus Sanctorum Belgij 24. Aprilis: *Sunt autem*, inquit, *manifestè vitiata per cuiusdam imperitiam gesta S. Swiberti in quibus hæc Egberto Archiepiscopo Eboracensi tribuuntur. Siquidem is anno 31. vltra septingentesimum factus est Eboraci Episcopus pro Wilfrido quidem, sed non illo qui Frisijs per hyemem primus prædicauit: & anno demum 35. accepto pallio primus post Paulinum factus est Archiepiscopus Eboracensis.*

Multi hoc turbido fonte potarunt, fateor, sed bonâ fide, sine vlla discussione, errorem non quærentes, tamen inuenientes; errorem detestantes, tamen inbibentes.

Ad 4. Picturę, scripturæ, rythmi populares, historiæ vernaculæ, monumenta etiam publica, non rarò ex fabulis, figmentis, apocryphis efformantur, tam in prophanis (quod frequentius est) quam in sacris; quare ex ijs nihil efficaciter probatur. Eadem citata tabula exhibet Pipinum S. Willibrordi adiutorem & Mæcenatem cum corona & sceptris regalibus Regemque Franciæ inscribit, quod apertissimè falsum est, cum non ille Pipinus (qui solum fuit Maior domus, dictus Herstallus) sed eius nepos Pipinus breuis factus fuerit Rex Franciæ circa annum 752. decem vel duodecim annis post mortem Willibr. Administrabat quidem Herstallus Franciam & Austrasiam potestate regiâ, numquam autem nomen Regis, coronam aut sceptra regalia vsurpabat.

Ad 5. posset sentiri Egbertus habuisse potestatem delegatam à Pontifice Prædicatores mittendi & gentibus prædicandi (id enim Historia missionis videtur significare aut supponere) nisi obstaret venerabilis Beda referens S. Willibrordum statim post ingressum in Frisiam Romam concessisse Apostolicam benedictionem & licentiam prædicandi petiturum, quod non feciſſet, nec eguisset, si ab Eg-

berto eam participasset. Quare melius ad argumentum respondetur, missionem ab Egberto peractam, imperfectam & inchoatam siue familiarem solummodo fuisse, qua destinari potest quis ad proximum erraticum instruendum. Missionem verò completam siue authoritatiuam id est qua ex Authoritate verbum Dei deprædicarent, Sacramenta dispensarent, ligarent ac soluerent, populum regerent, à Præsule Romano S. Willibrordus suo & sodalium nomine petijt & inpetrauit; nec eam sibi præsumpsit Egbertus vir humillimus; quinimo eius impetrationem eum simul intendisse & consuluisse, mox videbimus.

Dissertatio XIV.

Ex quo loco siue patria S. Egbertus Willibrordum in Frisiam misit.

LEgo apud bonum Authorem B. Egbertum Eremiticam in Iona Insula vitam ducentem cum sodalibus aliquot prædicandi Euangelij causa in Germaniam traijcere constituisse, sed monitis diuinis & tempestate prohibitum, B. Wigberto nihilominus in Frisiam pergente. Ex quibus verbis prætenditur & quiuis concipiet Egbertum ex Insula Iona, prius Hiudicta, iter in Germaniam tentasse, ac Wigbertum ex eadem eo transfretasse. Consequenter à S. Willibrordo, qui in monasterio sub disciplina Egberti poliebatur, ab eadem huc enauigatum: nam Willibrordus ab accessu ad S. Egbertum, vsque ad profectionem, eidem tredecim continuis annis ibidem adhæsisse significantissimè intimat Alcuinus, nec vllus in contrarium. Restat ergo ex Hiuensi Insula nos Willibrordum recepisse. Verum nollem id alicui,

alicui persuasum: aduersantur apertè Beda, Alcuinus. Apud Bedam quidem supra relatum, habemus Egbertum ex Britannia in Hiberniam secessisse, ibidemque peregrinam vitam traxisse.

Secundò, Egberto inuito numine profectionem ad Barbaros paranti oraculo prædicitur & mandatur ire ad monasteria Columbæ (quæ vel quorum primum ac præcipuum erat in Hui insula Pictorum) Religiosos, quorum aratra non recte incedebant, instructurus; ergo non erat tum apud Pictos aut in Insula Hui, aliàs Iona, nec ex ijs nauem soluere potuit S. Wigbertus. 3. narrante eodem Beda, Egbertus ex Hibernia in Ionam non pervenit nisi anno 716. longè post demissum S. Willibrordum, in eaque perseuerans moritur. Antea in Iona siue inter Pictos non docuisse loquitur silentium Bedæ, alioquin laudabilè Egberti opus silentio non pressuri. Accedit S. Willibrordum sodalesque in Hibernia morando, nullum cum Insularibus Huiensibus coniunctionem habuisse: imo ab ijs plane erant diuersi propter schisma quod iam longo tempore vigebat inter Hibernos & Pictos quibuscum consentiebant Huienses. Deniqué apud Alcuinum discimus S. Willibrordum in Hiberniam ad S. Egbertum iuisse strictioris obseruantiæ ergô ibidemque per tredecim annos egisse, scilicet vsque ad institutum iter versus Frisones anno 690; non ergo missus est ex Insula Iona ad quam primò accessit Egbertus anno 716. erat namque illa non in Hibernia siue antiqua Scotia, sed in Regione Pictorum quæ posterioribus seculis demum Scotiæ nomen arripuit prout nunc retinet, in eaque tabulæ topographicæ dictam Ionam representant. Consule Cauellum in præfatione ad libros Ioannis Scoti in Magistrum, cui nomen Scotiæ respectu Regionis antiquorum Pictorum, nunc Scotorum,

est

est recens & S. Bernardi (qui vixit & floruit post annum 1100.) tempore nondum aut vix peruulgatum.

Dices Primò. Ante itum S. Willibrordi refertur à Beda lib 3. Histor. Anglicanæ cap. 27. Egbertus genti suæ & illis in quibus exulabat nationibus Scotorum siue Pictorum plurimum profuisse; ergo ante discessum S. Willibrordi apud Pictos in Insula Iona versabatur Egbertus &c. Respondetur, inde non colligi in qua plaga ageret Egbertus dum alienos soles meditaretur, quandoquidē plures nationes enumerentur. Secundò. Abstracta & aoristos narratio illa est; neque ad certum tempus restricta: recte enim accipitur de toto tempore vitæ ipsius vbicumque esset. Tertiò, Pictis id est modernis Scotis profuisse scribitur, sed non additur in Regione Pictorum; sicuti suæ Anglorum genti profuit, non in eorum regione, quam amplius non intrare iam pridem vouerat. Confluebant verò in Hiberniā pientissimis & eruditissimis magistris abundantem, pietatis & doctrinæ causâ Britonum & Pictorum classes, quibus sacri illi Anachoretæ & Doctores salutarem operam misericorditer impendebant.

Dices Secundò. Egbertus ab itinere prohibitus iubetur ire ad monasteria Columbæ docenda, cuius monasterium vel monasteria erant, vt diximus, in Iona Insula; ergo saltem Egbertus, quando S. Willibrordum emisit, quæ emissio contigit biennio post istam iussionem, erat in Iona Insula & inter Pictos, & per consequens S. Willibrordum, qui ei semper adhærebat, ex iis ad Frisios misit. Posset aliquis respondere, Egbertum post perceptum oraculum statim in Ionam commeasse ac mox reuertisse, Willibrordum emisisse ac anno 716. iterato eandem intrasse in eaque desiisse. Sed videtur, vt dictum est, id aduersari Bedæ. Quare Secuudò. Oraculum non edicere Egberto statim

statim eundum ad monasteria Columbæ: ad veritatem eius sufficit suo tempore iuisse. voluit enim Deus Egbertum remanere in Hiberniâ quem præordinauerat debito tempore ad monasteria Columbæ destinare. Nec Beda recenset illum statim adiuisse. Tertiò, admodùm probabilè est extitisse monasteria instituti & regiminis Columbæ in Hiberniâ, saltem in parte Hiberniæ Pictis propinquâ, ad quæ reformanda statim se receperit Egbertus, (erat namque Hibernis iuxta ac Pictis venerabilis Columba gratumque eius institutum) inde reversum ad Frisiam Willibrordum dimisisse, ac demum anno 716. in Ionam profectum. Quomodo enim longo interuallo ab Hibernia in Iona distans emisisset Willibrordum socioque in Hiberniâ agentes?

DISSERTATIO XV.

De Origine Vrbis Vltraiectinæ.

VAledicto itaque hoc S. Patre Egbertoomnibus amicis longùm valere iussis, duodecim Dominici gregis arietes ex Hibernico littore soluentes, fælicibus auris acti, tandem

Iuxta exspectatum portus tenuêre petitos.

Legationis suæ effectum procuraturi, Wiltaburgũ, (nunc Vltraiectum) intrant, in quo residebat Radbodus Frisonum Dux, qui ante aliquot annos armorum vi Francis illud eripuerat, aut saltem vi & armis contra Francos detinebat. Nullum maleficium Sacris Apostolis est illatum, & clementer à Radbodo habiti, quamuis eorum monitionibus obedire recusarent duræ ceruicis Barbari.

Vt verò nihil omittamus quod ad pleniſsimã Hiſtoriæ

S. Willibrordi eiusque sodalium intelligentiam illustrationemque spectare posset, aliquot dissertatiunculas de vrbis Vltraiectinæ origine, situ, nominibus adiungemus. Certi aliquid definire non profiteor, neque id est possibile in tanta rerum antiquarum obscuritate: diuersorum sententias plurimùm recitabo, lectori iudicio relicto.

Nonnulli existimant Vltraiectum conditum tempore Neronis Romanorum Imperatoris ab exule quodam Antonio Neronianam tyrannidē fugiente. Existimationem eam plurimis refellit Guilelmus Heda Nobilis Traiectinarum rerum Scriptor in proæmialibus ad historiam Vltraiectinam: cap. 3. & Lambertus Hortensius lib. 1. secessionum Vltraiectinarum pro fabula repudiat, eo quod apud Scriptores nusquā omnino vel tenuis mentio fiat talis exulis. Alij initium sumpsisse ab Antonio Triumviro Iulij Cæsaris in Gallicis & Germanicis expeditionibus Collegâ, oppidorum & aliarum arcium conditore. Et hoc vero proximius esse indicat idem Hortensius. Hedæ magis placet origo attributa sub Druso Imperatore, qui Rheno plurima castella imposuit; fossam, quam Drusianam vocamus, aliàs Isalam, duxit. Raphael Volaterranus Traiecti Ptolomæi naualia ponit; cui contrariantur Petrus Appianus qui ea Swollam, alij qui Campē, Bernardus Furmerius qui Doccum Frisiæ, ea interpretantur. Quid ages Lector?

Imus obscuri sola sub nocte per vmbram. Mihi probabile est ante aduentum Iulij Cæsaris Vltraiectum floruisse siue oppidum, siue vrbem. Eò cogitationem manu ducunt commoditas situs, vbertas soli cui circumvicina non certent: quam vtilem situationem habitatores Rheni, qui ante Iulium frequentes erant, non neglexisse, est credibile. Et solent quæ in vrbes eriguntur, antea diu fuisse habitata: cum igitur statim post obitum Cæsaris consensu Au-

thorum

thorum Vltraiectum vrbs fuerit, verisimile est prius vel tanquam vrbem siue oppidum claruisse, & quidem ob aquas Rhenanas mercatu nobile. Huius verisimilitudinem adiudicant nobis dicti Hortensius & Heda supra. Quando autem cœperit habitari, nimis incertum, aut quando vrbs facta, præter superiores opiniones nihil restat quod adferam.

DISSERTATIO XVI.

De eius nominibus eorumque variatione.

SIcuti Prouinciæ sæpe vocabula variarunt, ita & vrbes siue oppida, idque varijs ex occasionibus: vt à situ, conditore, instauratore, victore, Dominatore &c. Antoninam ab initio vrbē eam fuisse appellatã, apud Authores constare asserit Hortensius & sic vocatam esse reliqui Authores tanquam certum habent. Vnicus quem vidi Pontus Heuterus lib. 2. De veteri & nouo Belgio cap. 9. dubius est hisce verbis: *Lambertus Hortensius aliquando dictum vult Vltraiectum Antoninam, sed id mihi rationibus non satis firmis, nec recepti Scriptoris testimonio comprobat.*

Admisso Antoninam nonnumquam dictum, varietas rursum est à quonam illud nomen profluxerit Hortensius vero propius esse censet ab Antonio Triumviro Cęsaris Iulij in Galliis collegâ, de quo supra. Heda verosimilius putat nomen istud sortitum ab Antonia Drusi coniuge: aut ab Antonia vxore L. Domitij ex Octauia sorore Augusti genita: aut Antonia matre Claudij filii Drusi Germanici, veluti ab Agrippina, Colonia Agrippina: à Druso eius patre, fossa Drusiana: à Flauio Fratre Arminij Fleuum Castrum: à Vipsania Marci Agrippæ filia, Vespæ: ab Al-

phego, Alphen: ab Aſpernate, Aſperen: à Vetere, Caſtra vetera, licet Caſtra vetera fuêre tempore Cæſaris & cętera id genus nomina ſortita, quorũ adhuc ſunt veſtigia, inquit idem.

Certum eſt poſteriori tempore dictum fuiſſe Traiectum, Vltraiectum, Wiltaburgum, Viltaburgum, Wultaburgum, quæ quatuor idem non eſſe exiſtimo, nec ab eodem fonte, quamuis incerto ortu. Wiltaburgum dictum volunt à Wiltis, qui Batauiam cum vicinis ditionibus eiectis Romanis occuparint, & Traiecti arcem ædificarint vel inſederint à ſe ſic vocatam. Verum hoc refellit Heda: quare Traiectum mauult Vlpium potius quam Wiltorum dici: Wiltos enim, qui & Sclaui ſeu Velatabi dicuntur, vna cum Saxonibus incurſiones illuc feciſſe non abnegat, ſed pedem fixiſſe infieiatur. Douſa tamen l. 6. Annal. tenet Wiltos in Batauicis conſediſſe & arces cõdidiſſe. de ea originatione hanc adfert cenſurã Heuterus ſupra: *Sunt* inquit, *qui Vltraiectum dictum volunt à* **Wilt** *ac* **Dzecht** / *quod Wiltorum olim gens Batauiã cum vicinis ditionibus eiectis Romanis occuparit. Verum id quidẽ eſſe, ſed vnde venerint diſcere nondũ potui. Suffrido enim nec hîc fido. Sunt enim qui eos, non ſine probabili coniectura, è vocis etymo deſumpta hac de cauſa vocatos Wiltos velint, quod vnde veniſſent nemini conſtaret, ac ſi dicas* **Wilt-volck** / *quod ſignificat homines ſilueſtres ac ignotos.* **Dzecht** *veteri Gallorum lingua oppidum ſignificare volunt, ac proinde ſonare* **Wiltdzecht** *Wiltorum vrbem affirmant, corruptumq́ id primum in* **Vtrecht**, *ac tandem in* **Vltrecht**. Petrus Bertius affirmat **Dzecht** ſiue **Trecht** Batauis ſignificare forum. Vnde **Haeſtrecht** / **Herendzecht**/ **Papendzecht**/ **Barendzecht** &c. Indeque oppidum Vltraiectum nominari, vt in Italia forum Cornelij, Iulij, Liuij. Vnde autem nomen Vltraiectum ſiue **Vtrecht** quod modo retinet, originem nanciſcatur, pariter eſt incertum. Vnam opinio-

opinionem iam diximus. Aliorum est qui Vlpiam Tricesimam legionem, vbi nunc est Vltraiectum, olim hibernantem, ac à Ptolomæo memoratam, nomen Vltraiecto dedisse autumant, facilè duabus vocibus, aliquot elisis litteris in vnum coeuntibus ac ex Vlpia tricesima Vltrecht ac Utrecht conficientes. Et hinc etiam aliqui nomē Vtricesium Vltraiecto cudunt, sed abusiuè. Heda suprà verius credit ab Vlpio Traiano Augusto instauratore Vltraiectumquasi Vlpium Traiectum fuisse nuncupatum. Illum enim, teste Sexto Aurelio, collapsam vrbem ædificijs restaurasse, & iuxta Eutropium vrbem trans Rhenum in Germania reparauisse, à quo & multa loca nomen sumpsêre, veluti forum Vlpium, forum Traianum Traianopolis & in Galliis circa Rhenum Colonia Traiana & Castra Vlpia quæ fuerunt legionis Tricesimæ apud Ptolomæum, vt in itinerario Antonini Imperatoris legitur. Addit tamen idem Heda, non abs re, Vltraiectum à Balderico Episcopo fuisse dictum, quasi Traiectum vltra Rhenum (mutatis scilicet nomine & originatione) quod vrbem à Normannis euersam ad Rhenum instaurarit, Rhenumque ponte strauerit. Hortensius Vltraiectū, siue Traiectum (quod Gallicam vocem esse interpretatur Beda) à traijciendo vocatam esse existimat: nam cum ostium Rheni mercatorum frequentiâ esset nobile, compendio in Gallias & obiectas Oceano insulas prono alueo inde soluentibus traiectus cursusq; patebat, qui postea in Leccæ ripam miliare ab urbe submotus, pristinum vocabulum & vsum retinet. Nihilominus repudiat illam nomenclaturam Petrus Montanus, eo quod, inquit, Wultaburgum ad Rheni ripam supra Traiectum ad duo vel amplius passuum millia sediisse, res ipsa loquatur.

Vanè commentatur quidam Amandus Ziriczeus Vltra-

iectum esse natum siue extractum ex Traiecto (ad Mosam scilicet) ac inde dici Wtrecht quasi Wyt Trecht id est ex (wt) aut extractum & quasi extensum ex Trecht, ad Mosam. Certè talem Patrem, Matrem, talẽ genituram, educturam numquam agnouit nobile Vltraiectum. Et vnde habet Traiectum Mosæ esse prius & antiquius Vltraiecto? Ego contrarium potius adstruxero.

Non à vero abiturus mihi videtur, qui Vtrecht opinaretur sonare & idem esse, quod Outrecht id est vetus Traiectum respectu Traiecti ad Mosam natu iunioris. nam in antiquis diplomatibus Imperatorum & Principum, quæ profert Heda per pluria sæcula, quod modo vocatur Traiectum, sępissimè & ordinarie appellatur vetus Traiectum, numquam Vltraiectum. Vnde meritò suspicari est ex Outrecht fluxisse Vtrecht molliori nomenclaturâ aut (forsan à Gallis) Oultrecht / & inde Vltraiectum & Wtrecht.

Quidquid de dictis opinionibus sit (nam plus immorari non lubet ne cum Aristophanæo Socrate audiam ἱερευς τῶν λεπτάτων λήρων, (id est Sacerdos tenuissimarum nugarum) modo appellatur Traiectum, Vltraiectum, & ad distinctionem Traiecti ad Mosam, Traiectum ad Rhenum, Rhenotraiectum, Traiectum inferius. quarum vrbium distinctionem optandum solertius obseruassent externi nostratium rerum Scriptores, loca eorumq; Episcopos, res gestas, præ ignorantia confundentium non sine Alitheæ vulnere, vt Volaterranus Commentariorum lib. 7. aiens Sanctum Lambertum & Sanctum Seruatium fuisse Episcopos Vltraiectinos: & Texera S. Seruatium transtulisse sedem Tungrorum Vltraiectum.

De antiquo ſitu vrbis Vltraiectenſis.

E illo mens eſt Hedæ in Prolog. c. 1. ſitum vrbis oram Rheni vel vtramque potius ripam complexum, idq; fuiſſe nemini dubium: cum id ex plurimis indicijs & veſtigiis, tum in primis ex vita Willibrordi, ex priuilegiis donationibusque Regū atq; Imperatorum perſpicuè conſtet. Nam in litteris Clotarij, Theodeberti, nec non Pipinorum & ſequacium Regum Francorum clarè habetur Traiectum vetus ad flumē Rhenum ſitum. At Baldricus Epiſcopus (qui Ottoni ex Imperatoribus Germanorum eius Nominis primo à conſilio & filij eius præceptor extitit) illam à Normannis ſubuerſā inſtaurauit & pontem Rheno impoſuiſſe legitur. Verum an ſemper cis Rhenum, an vltra illum (qui plerumque alueum mutauit curſumq; declinauit) hæc vrbs ſita fuerit, incertum habet Heda, quamuis in vita S. Frederici Epiſcopi & martyris aliquid de hoc legatur & in quadā littera donationis Caroli Magni de Eccleſia dicta Obkirca clare conſtet Rhenum alio alueo, quam modò, decurriſſe, & differentiam fuiſſe inter Rhenum & Leccam. Hortenſius vult vrbem Rheno dumtaxat fuiſſe lateralem, & quidem ab initio in Germanico ſolo conditam atque adeo Batauis fuiſſe tranſrhenanam. Initio Rhenum non Leccæ ripis mare intraſſe, ſed ad Doreſtadum anfractuoſo curſu in diuerſum abeuntem Vltraiectum alluiſſe. Inde reflexo in Occidentem amne, Woerdam & Leijdam, Hollandorum nunc oppida, ſinuoſo diuortio præterlabentē, ad Catwicum vetuſtam Cattorum Coloniam in Oceanum vaſto gurgite ſeſe effudiſſe.

Facilius

Facilius ego Hedæ accesserim asserenti potius ad vtrãque Rheni ripam situatam fuisse. Indicia sunt, Primo, continuæ contentiones inter Gallos & Germanos de vrbis Iurisdictione. Tenuerant antea Germani; Valens Imperator ijs extortam Galliæ asseruit. Iterum Radbodus aut eius parens, expulsis Gallis, Frisiæ vendicat sub Dagoberto Galliæ Rege, vel paulo post. Vltimò, Pipinus exturbatis Frisiis, suo Domino Francię Regi recuperauit. Quas discordias credibile est accidisse quod vrbs ad vtramque Rheni (qui Galliæ & Germaniæ erat antiquus disterminator) ripam locaretur: & cùm vnam Rempublicam vnumquecorpus efficeret, non poterat quietè nisi ab vno Domino possideri: non fert vnus mundus duos soles. Secundò, Legitur Vltraiectum olim situm ad ostium vel ostia Rheni: quod difficile est intellectu, nisi imaginemur fluuium intrando & exeundo vrbem, ostia effecisse. Non enim dicimus v. g. Antuerpiam, cuius vnicum latus præterlabitur Scaldis, ad ostium Scaldis esse situm: & certum est Vltraiecti ostia, quibus Rhenus in Oceanum mergitur, quæ propria fluuiorum sunt ostia, non fuisse. Forsan quis intelliget Rhenum quidem præterlabentem, tamen quibusdam ductis alueis simul intima vrbis inuisentẽ, eoque pacto ostia sortientem. Sit ita, quod certò non noscitur. Opinari nostrum proposuimus, non apodixin in re casca claram cognitionem fugiente. Mihi fauet Petrus Montanus in descriptione Episcopatus Vltraiectini ad tabulas P. Kærij sic eloquens: *Situm est Traiectum ad veterem alueum Rheni, qui priusquam in Leccam proruisset, illud olim interluebat; atq; hinc porro ad Oceanum properabat. Vnde etiam hodie aquæ ab accolis vndiq; conquisitæ, & per varias fossas in vrbem corriuatæ, ac Woerdenum inde & Leydam eâ, qua Rhenus tunc viâ, perductæ, Rheni apud promiscuam multitudinem nomine celebrantur.*

tur. Verbo, interluebat, fluuium vrbem secuisse dat intelligere.

DISSERTATIO XVIII.

Inter quos populos olim fuerit situm Vltraiectum.

HEda affirmat non esse situm in Frisijs, licet ab illis aliquando fuerit occupatum, quandoquidem Frisij sint Trāsrhenani & habitent in Germania, sed inter Batauos (qui inter Rhenum & Wahalim vnâ cum flumine Mosâ sedes habent) ad Oceanum pertingentes, aut potius inter Marsos vicinos esse collocandum.

Vt quod nobis occurrit aperiamus: Marsi vbinam Regionis degerint, nullus indubitatè affirmet; dumtaxat certū ex Tacito fuisse vicinos Caninefatibus, de quorum sede non exigua inter Chorographos est dissensio, cui eadem discordia de Marsis adnascitur. Demus nihilominus Hedæ tempore Taciti, vel potius antè, in Republica Marsorum Traiectū fuisse, cuius nota esse potest pagus Marsen non procul Traiecto; Verumtamē Batauis succedaneo æuo efflorescentibus finesque amplissimé extendentibus subfuisse, non inficiandum: nam post scripta Taciti & Ptolomæi, quorum hic sæculo secundo, alter sæculo primo claruit, creberrimæ factæ sunt gentium & vocabulorum mutationes: sæpe namque nationes ac populi iuventute abundantes nouarum rerum cupiditate abducti, vel leui aliqua domestica cogente necessitate, aut opimiori aliena gleba illecti, nunc toti migrabant, nunc iuuentutem emittebant, occupatis sua Iura, nomina, imponebant, nec an-

te Christianissimum erat aliud solemnius. Assertum nostrum suadent vicina Betua, Batauorum, à quibus nomen mutuauit, portio. 2. Batauorum potentia cui facile cessit Marsacorum exigua turba: erat enim cõsuetum Barbaris imbecilliores vicinos pellere, aut in ius nomenq; redigere. 3. Ita sentit Pont. Heut. l. 1. de vet. & no. Belg. c. 12. Batauorum fines sic describens: *Comprehendit igitur olim (mea sententia) insula Batauia quidquid à primâ Rheni ad arcẽ Lobecanã sectione, hinc Wahalis alueo, Helij ad occidentem ostio, inde Rheni per Vechtam decurrentis fundo ad Fleulum vsq; ostium versus septentrionem terrarũ includitur, nimirum, Vniuersam Betuam, insulam Bommelanam, ditionem Vltraiectinam intra Vechtam ac Oceanum comprehensam, Vniuersam Hollandiã quæ Brielâ, Flielandiâ indeq; tracta ad Vechtam rectâ linea includitur.* Inundãte exterorum alluuie Saxonum, Wiltorum, Quadorum, Sclauorum, Wilti (à quibus Wiltaburgum) summam obtinuerunt, non tamen diuturnè. Negat hoc Hedanus, sed plurium Authorum sententiæ adhæreo. Non multo post Frisij pro more sæculorum pomeria dilatandi cupidine accensi, Batauis iã externorum vi non parum attritis in angustos limites compulsis, Vltraiectum, Hollandiam, vicinaque suo subijciunt imperio nominique. Exinde Vltraiectum sub Frisia est recensitum, mansitque sub ea appellatione vsque ad aduentum Nortmannorum, post quem peregrina vocabula inuecta & formæ Prouinciarum multùm immutatæ. Hinc tanquam proprium occupatum à Frisijs, à quibus Franci nonnumquam extorquebant: Hinc S. Willibrordus eò profectus, ad Frisios profectus scribitur: Episcopus factus Traiectensium, Archiepiscopus Frisiorum est inscriptus. Imo pars ditionis Vltraiectinę Austrasiæ vicinior circa Batauodurum, nomine citerioris Frisiæ apud Bedam eiusque ætatis Historicos venit. Confirmat hæc præclara oratio (quæ

apud

apud Douſam in Annalib.) Adelboldi Epiſcopi Traiectenſis 19. Dominia Eccleſiæ ſuæ in Hollandiâ bello recuperare conantis captiuiad Theodoricum Hollandiæ Comitem inuaſorem victorem:

Quum enim, ait, *ita à maioribus accepiſſem Friſiam vniuerſam iam inde à D. Guillibrordi temporibus, vtpote beneficio Pipini ipſi aſſignatam, per 170. annos in Vltraiectini Præſulatus fide ac obſequio continuaſſe: cumq; idem ſatis compertum haberem Traiectum vrbẽ hanc noſtram Friſiæ totius Metropolim habitam atq; appellatã antiquitus, ita exiſtimabam Prouincias iſtas velut hæreditarium Diui Martini patrimonium ad Dominos priores reuerti debere.*

Ex ea antiqua appellatione obtinuit, vt etiam poſt variationes per Nortmannos factas, Vltraiectenſis ditio, Hollandia vicineq́ue ſub nomine Friſiæ ſint cenſę. Credit potius Douſa Robertum Flandriæ Comitem Friſij cognomẽ conſecutum non à Tranſrhenanis tantum Friſijs, ſed ab vniuerſa Hollandia in dotem acceptâ aut edomitâ, adeo gratum antiquitùs fuit Friſiæ nomen. Quin modo Ordines Hollandiæ titulum Weſtfriſiæ, quâ magna Hollandiæ pars intelligitur, ferunt.

Dices. Rhenus erat limes conſtitutus à Iulio Cæſare inter Gallos & Germanos, cum itaque Traiectum eſſet in

Gallia cis Rhenum, & Frisij Transrhenani iuxta Ptolomæũ & Tacitum inter Germanos, nõ potuit Traiectum Frisijs adnumerari. Ref. nos sua Hedæ libenter permittere si ad vnicum Taciti vel Ptolomæi testimonium aciem figamus, quod ille solùm egisse apparet. Dicimus verò succesſiuè sortitum fuisse Traiectum diuersa Imperia & sub diuersis populis numeratum esse. Nec quidem quæ adfert Heda pro æuo Taciti aut Ptolomæi, demonstraut.

Primò, nam etsi Frisij Transrhenani fuerint, non sequitur eos aliqua cis Rhenana non possediſse, præsertim vicina, quale probabiliter fuit Vltraiectum, sicuti, astipulante Tacito, Batani Cisrhenani aliqua in Transrhenanis possidebant. 2. Nõ est indubitatum Traiectum in Gallico solo stetisse, cum à Lamberto Hortensio asseratur conditum in solo Germanico, adeoque inter Transrhenanos potuisse æstimari. 3. (omisso incertum esse an in omni ora Rheni hoc Iulius decreuerit) nullius pensi erat Barbaris ille limes Iulianus ob innatã pœnè aliena inuadendi consuetudinem prædãdique cupiditatẽ: sic transito Rheno primũm Catti, postea Saxones, Wilti, Sclaui, Quadi, Batauiam sunt adorsi: nimis vetusta & præscripta illis erat licentia, quam vt à Cæsare coërceretur: nam ante eius bella Gallica comperies, eodem testante, pleroſque Belgas ortos esse à Germanis, Rhenumque antiquitùs transgressos propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque incolas expulisse. Vide eius lib. 2. de bello Gallico. Nec ipse Cæsar anxius custos fuit suæ designationis, qui, teste Appiano lib. de bello Gallico, primus omnium Rhenum transire est ausus, etiam inuitis Germanis. Lege eundem Cæsarẽ de Bello Galli. lib. 4. sic sua occasione Frisij, sic viciſſim Batani, sic Franci Rhenum superarunt. Præter terminos orbis nullus terminus est auaritiæ.

DISSER-

Quâ viâ per mare Vltraiectum delatus S. Willibrordus, eius occasione de Rheno eiusque antiquis alueis & ostijs.

AD hanc antiquam vrbem nobileque emporium ex Hiberniâ nauigauit S. Willibrordus & Sodales pro Christo animam deponere parati. Etquandoquidem ijqui de accessu S. Willibrordi sociorumque eius in Frisiam agunt, eum cum sodalibus recto itinere per Rhenum nauigio Wiltaburgum, nunc Vltraiectum, applicuisse narrent, explicare visũ fuit quodnam Rheni ostium intrarit, quamque semitam tenuerit: Modo enim nullum tale exstare apparet, quo recto cursu nauis beneficio Traiectum attingere potuerit. In cuius explicationem aliquid de Rheno eiusque præsertim veteribus alueis, ostijsque agemus, ad itineris Apostolorum nostrorum, quo ad nos delati sunt, liberaliorem illustrationem.

Plures Rhenani amnis alueos ostiaque quibus aquas suas in Oceanũ deferret, tempore suo fuisse disertè asserit Iulius Cæsar de bello Gallico lib. 4. distinctè tamen, quęnã ea sint & quot, non explicat, Duo nominat Plinius lib. 4. naturalis Historiæ cap. 15. Hælium & Fleuum, ac consequenter duos alueos. Hunc forsitan secutus poëta ille carmine cecinit:

te Cymbrica Thetys
Diuisum bifido consumit Rhene meatu.

Tacitus Fleui Castelli mentionem faciens, non obscurè nominis adlusione fluminis ostium indicat. Minutiùs hi loquuntur, for-

tè non tam quod cætera ignorarent, sed quod ea tanquam ignobliora minorumque nominis & famæ negligenda putarint. Haud inficiandum Hollandiam, Zelandiam, Frisiã adolescentes, Ponto infido nimiùm vicinas, crebras aquarias mutationes subijsse, quod inquisitores in diuersas sententias traxit. Ast horum rationem non inimus; ad antiquiora, certiora, & famosiora digitum magis vertimus. Vt igitur breuiter, omissis controuersijs quæ hic agitantur, rem expediamus, Primis Romani Imperij temporibus, quemadmodum ex Cæsare, Tacito, Plinioque collatis constat, tres Rheni exitus, quinque verò alueos aquarum eius vectores exstitisse, satis compertum est. Plures fuisse non crediderim, quamquam aliqui in plures inclinent, forsitan Aquagia, Euripos, minoraque Rheni emissaria (quale ad Egmundam statuitur à Naunio) & recentiora adcomputantes. Quó referri potest canalis ille Rheni, quẽ per Harlemum & Alcmariam Cornelius Aurelius ducit.

De ostiis.

PRimum ostium fuit versus septemtrionem, Fleuum appellatum, per quod Vechta Rheni soboles & Isala Transrhenanus se in Oceanum proijciebant, aquis hodie absorptum post inundationem Sacri nemoris, per quam modernus Sinus meridionalis emersit: stetisseque communi metatorum calculo putatur ad Insulã modò dictam Vlielandt, aviti nominis vestigiũ seruantẽ. In qua insula erat Castellum Romanorum præsidium in quod Olennius Præfectus ferociam Frisiorum fugiens sese recepit iuxta Tacitum lib. 4. Annal.

Secun-

Secundum fuit circa vicum Catwicanum vltra Leidam oppidum Hollandiæ, eo loci vbi quondam ſtetit arx Britannica erecta ſiue inſtaurata à Seuero Imperatore, qui imperauit ab anno Chriſti 195. vſque ad annum 212. & à Nortmannis poſtea deſtructa, ſiue ſecundum Douſam à Quadis, Saxonibus aut Francis. In quo eodem loco fertur C. Caligula antè in teſtimonium ridendæ contra conchas marinas victoriæ excitaſſe altiſſimam turrim, ex qua, veluti Pharo, curſui nauium dirigendo nocturni ignes emicarent. Et hoc oſtium hodie eſt deſtructum. Qua verò occaſione obſtructio illa Catwicani oris, & quando acciderit, non vna omnibus hiſtoricis eſt mens. Sunt qui ſolùm naturæ operâ factum credant, ſabuloſis tumulis Rheni oſtium occupantibus, à quibus inhibito curſu neceſſe fuit Rhenum retrogradi, eiuſque alueum elanguere. Alij diuinæ Numinis vltioni adſcribunt, iram ſuam per procellas, tonitrua, fulgura & ſigna de cœlo teſtantis. Tertijs placet magis ſtudio Prouincialium populorum ad furentem Rheni immoderatè Cererẽ infeſtantis impetum cohibendum, quaſi obtorto collo, eius aquas in Leccam diſtortas, ac infirmante curſu à Neptuni arenâ facile exitum ſuperatum, alueum euacuatum, omni honore ad Leccã prolem tranſlato. Sic nec tempora conueniunt: alijs ſub Hungero 11. Traiectenſium Præſule circa annum 860. alijs ad viciniora tempora illam Rheni cladem reducentibus.

Tertium oſtium antiquitus appellatum eſt Hælium, cuius ſitus eſt maior obſcuritas. Douſa probat exſtitiſſe circa inſulam Zelandiæ Walachriam idque ex Plinio ſcribente: *In Rheno ipſo prope centum millia paſſuum nobiliſſima Batauorum inſula & Caninefatum & aliæ Friſiorum, Chaucorum, Friſia bonum, Sturionum, Marſacorum, quæ ſternuntur inter Hælium & Fleuũ. Ita appellãtur oſtia in quæ effuſus Rhenus à Septentrione in Lacus, ab Occidente*

cidente in amnem Mosam se spargit, medio inter hac ore modicum nomini suo custodiens alueum. Plurium sententia est stetisse iuxta oppidum Brielanum, vbi sese Mosa aliis ditatus amnibus vastissimo hiatu in Oceanum exonerat. Nec refragatur Plinius; illa nãq; centum millia passuum, Romanorum scilicet, conficiunt centum milliaria Italica, de quibus Plinium intelligo: centum verò talia solum conficiunt horaria siue nostratia viginti quinque aut vigintisex, Germanica pauciora, quę facile inuenies inter Vlielandiã & Brielam. 2. Plinius non addit quâ viâ metiatur sua centum millia passuum, num rectâ, an circulari per gentes quas simul enumerat.

De Alveis.

ALueos, quibus Rhenanæ aquæ ad Oceanum deuoluebantur, priscis Romanorum temporibus quinque fluxisse Authorum testimonijs docemur. Primâ sui sectione ad arcem Lobecanam bifidum se formans Rhenus, statim duos obtinet. Primus est Wahalis dictus Iulio Cæsari, Tacito sub eodem nomine notus, possidens ad Gallicam ripam Neomagum vrbem veteribus celebratissimam ac infra eam ad quartum milliare se Mosæ iungens moxque iterum ab eo se separans, demum circa Castrum Louenstenium se secundò associans, Insulam efficit Bomeliam, vulgo dictam **Bommeler-Weert**. Inde non procul perdito nomine Mosæ, Lingę ac Isalæ Cisrhenanæ commixtus, Meruæ appellationem cum illis accipit. Transîto Dordraco ac ad Rotterodamum in communi nomine Mosæ restituto, simul ad Oceanum patrem anhelantes, cõmuni ostio Hęlio communes aquas euomunt. Ab hac diuisione ad Lobecã Rheno bicornis epitheton à Virgilio lib. 8. Æneidos tribui accipio

cipio & Wahalim, Wael, Wal esse eundem cum Iambal (de cuius Ortographia dudum apud antiquarios mota est quæstio) Seruij Grammatici annotantis bicornem Rhenum vocari à Marone, quod per duos fluat alueos: vnum quà Romanum imperium sit, alterum quà influat Barbaros ibique Iambal vocari. Probat identitas finalis terminationis V. in B. facilè mobili & in initialibus corruptione accedente non insuetâ Scriptoribus oscitabundis aut imperitis. Quidni etiam dicam Sincfal fluuium, cuius mentio est in archiuis Frisiæ, cum Wahali, Wael, Wal coincidere? alludit etiam finalis terminatio initio aliquibus additionibus per imperitiam aut incuriam annexis, aut ex syllabis præcedētis alicuius dictionis malè diuisę adhęrentibus. Alijs aliud placet. bene est. nos nostra apponimus, rapiat quisque quod suo palato est gratius.

Alter alueus est qui rectâ Wiltaburgum ceu Antoninā, nunc Vltraiectum, petebat, eoque salutato per Castra Alphena, Oppidum Lugdunum, Catwico ostio egrediebatur Neptuno se immergens.

Tertius alueus oriebatur in ciuitate Wiltaburgensi, vbi Rhenus se iteratò findēs, altera sui parte sub Vechtę nomine versus Aquilonem præterlabens Wespam ac Mudam oppidula, superatis lacubus Septentrionalibus, per Fleuiū ostium mare petebat.

Quartus, quem modicum alueum Plinius appellat, oritur ad Batauodurum à Rheno enixus nomen Leccæ sortitus, quo inter Rotterodamum & Dordracum Mosæ commixtus, ad Hælium portum Rhenus properabat.

Quintum alueum nactus est Rhenus tempore Augusti Cęsaris ducta fossa à Rheno in Salam siue Isalam fluuium ad oppidum Dousborch Authore Druso Augusti priuigno, vnde & fossa Drusiana nominatur, qua delatus in Isa-

lameiq́ue permixtus vnà ad Sacrum nemus Fleuumq́ue concedebat.

Hodierno die ex quinq́ue numeratis Rhenanas vndas vehentibus, superstites manent tres; primus, quartus, quintus, etiamnum Rheni aquas vectantes: cæteri duo elanguidi, stagnantes continent. Est tamen hodie & quartus, qui quanto tempore fluxerit, ignoratur, ille scilicet, per quem Isala Cisrhenanus ad oppidum Vianam è Lecca leniter fluens, Iselsteinium, Oudewaterum, Gaudam adlambens, in Mosam labitur.

Vt nunc iuxta intentum nostrum declaremus quo cursu S. Willibrordus cum suis Vltraiectum aduenerit: Cornelius Aurelius lib. 2. Batauiæ, sentit illum ingressum per aliquod Rheni ostium iuxta Egmundã. Dabo eiusmet verba: *Postremò Rhenus exinde progrediens & prope Alcmariam reflexo cursu Veronam versus (olim ciuitatẽ Frisiorum maximam, sed à Batauorum Comite solo potenter æquatam) ad Eurum vsq́; grandi lacu procurrit. Tandem circa arcem domumq́; suo illustrem nomine & vetustiss. morum Dominorum de Egmunda monumentum (qui de ipso Radbodo Frisonum Rege trahunt originem) tutissimum aperiebat nauibus portum, quæ de mari appulso Batauos & Rhenanos suis cum mercibus ædire cupiebant. In eum portum primo Iustiniani Imperatoris anno nostræq́; salutis 687. S. Wilfridus Lindisfarensis Episcopus Romam iturus flante Fauonio appulsus est, qui ab Adgillo Frisiorũ Rege patre Radbodi & omni populo honorifice receptus, primus in Frisia Christum per Hyemem prædicauit & complures fonte abluit salutari. In hunc etiam anno 690. missus à S. Egberto Eboracensi Archiepiscopo Willibrordus, regnante in Anglia Catholico Rege Alfrido & Præsule Coloniæ Aldegrino, cũ undecim verbi Dei cõoperatoribus, vt Frisiam conuerteret, appulit.*

Verum existimo longè vero similius esse ex Britannia nauigio delatum per ostium Cadwicanum, ac per Lugdunum

dunum nunc vrbem Leidensem. Quia, præterquam quod ostij alicuius ad Egmundam apud alium scriptorem commemorationem non videam (ac certè nec famosum, nec antiquum potuit fuisse) ibi erat ordinarius consuetus traiectus ex Batavia in Britanniam, & contra, cum Sosimus (sic scribit Cambdenus) Oceanũ inter Britanniã & Rheni ostium Cadwicanum interfusum 900. stadijs tamquam vsitatum traiectum dimensus est, scripseritque annonam é Britanniâ ad hunc locum subvehi solere. Deinde erat ibi portus ac alueus celeberrimus & frequentatissimus, quẽadmodum indicat arx Britannica. Erant ibi aquæ Rheni famosiores crebriorque eius nauigatio, quod suadere potest telonium Romanorum Rhenanæ ripæ impositum. Præterea erat rectus Rheni cursus rectaque via Traiectum versus, aliàs frustra circuire fuisset necesse. Postremò ita sæpius habent Chronica Hollandiæ à me visa. Est etiam expressa sententia Ioannis Leidensis lib. 2. Chronici cap. 6. Idipsum præ se ferunt verba Alcuini: *Igitur vir Dei cum socijs nauigauit donec prospero cursu ad ostia Rheni fluminis vela deposuit, ibiq; optata telluris statione refocillati sunt, & mox ad castellũ Traiectum, quod in ipsa fluminis ripa situm est, peruenerunt.*

Quod S. Willibrordus scribatur appulisse Grauelingam, puto accipiendum esse, non de nauigatione, qua ille ex Hibernià in Frisiam exscendit anno 690. sed de alterius temporis accessu seu appulsu. Ipse namq; in Brabantia & Zelandia prædicans, Flandriæ maritimas oras etiam inuisebat, vt constat de Bierflieto, Axelia, Hulsto &c.

Iuuabit accuratum lectorem oblata occasione annotare verbis Cornelij mox prolatis tres manifestos lapsus contineri, siue ipsius sint, siue Typothetarum. Primus est, veniisse Wilfridum in Frisiam anno 687. Quem manifestè redarguit V. Beda tam in Epitome, quam Historiâ, affirmans

S. Wilfridum primò expulsum Episcopatu an. 678. illaque expulsione in Frisiã nauigasse, cum Adgillo locutum, plurimos ibidem Christo lucrifeciss. Præterea, eodem & Anglicanis Historicis consentientibus, S. Wilfridus primâ exturbatione ex Frisia Romam perrexit sedente Agathone Papa, per quem cõgregata Synodo absolutus, dignus Episcopatu & restitutione est iudicatus: Agatho verò sedit ab anno 679. vsque 682. Huic concatenatus alius, veniſſe primo anno Iustiniani Imperatoris. Veritas est adueniſſe imperante Constantino III. Pogonato, qui imperauit tam solus, quam cum filijs ab anno 669. vsque in annũ 686, quo anno aut sequenti Iustinianus cœpit imperare solus cum antea duobus tantùm cum patre regnasset annis.

Secundus error est, Wilfridum fuisse Episcopum Lindisfarensem, scribi deberet Lindisfarnensem: nec fuit Wilfridus Episcopus Lindisfarnensis, nisi in quantum erat Episcopus totius Northumbriæ, sub qua Lindisfarnenses. Vnde obseruandum aliam esse insulam *Farnæ*, aliam Lindisfarnæ: Item aliam esse prouinciam & Episcopatum Lindisfarorum aut Lindisfarẽsium & Lindisfarnẽsium: incautis similitudo nominum est decipula.

Tertius est, missum S. Willibrordum ab Egberto Archiepiscopo Eboracensi, quem supra patefecimus.

Incertum pariter est Egmundanos Dominos à Radbodo Frisonum Rege originem trahere. Pontus Heuterus in descriptione Genealogiarum Belgicarum quàm parum à fabulis absit talis Genealogia satis indicat.

Hæc per transennam, & quasi paregω̃ς, non despectu Authorum (humanum est labi, mihi potest accidere, nec vnius omnia perspicere) sed amore veritatis conseruandæ & propagandæ, eò magis quod alios videã in eos scopulos illidere & veritati naufragium facere.

No-

Nota ex verbis Alcuini supra cognosci S. Willibrordum ad ostia Rheni (Cadwicana intelligo) demissis velis quieuisse, & exscensione facta cum sodalibus corpora à mari fessa curasse hospitio aliquo exceptum. Vnde vlterius est colligere eo æuo Cadwicanum Rheni tractum fuisse habitatum.

DISSERTATIO XX.

De quodam statu Vrbis Vltraiectinæ ante adventum Willibrordi.

SAnctum Willibrordum cum socijs superato mari & emenso flumine vrbem Traiectensem intrasse iam vidimus. Quantùm in ea egerint, quantùm hæserint, silentio nimio premitur. Non dubitandum Radbodum caput gentis adijsse, aduentus sui causam exposuisse, licentiam verbi Dei deprædicandi flagitasse, tùm priuatim, tùm propalàm fidem Christianã proposuisse. Sed præfrictæ frontis Frisonibus cuncta aspernantibus diuersium ab ijs fecerunt, qui eliminatâ Catholicâ Religione in Idololatria obstinabant. Superius est relatum Valentinianum Imperatorem Vltraiectum Germanis ereptum Galliæ asseruisse, & constat Dagobertum Franciæ & Austrasiæ Regem ibidem regnasse. Num toto medio tempore inter Valentinianum siue Clodoueum primum Franciæ Regem Catholicum, qui decessit anno 514, & Dagobertum qui cœpit regnare anno 632, sub Gallico aut Francico imperio steterit, perparum est à vetustate. Si coniecturæ præsidio agendum, cõiectari potest Frisios post Valentinianum, qui desijt anno 455 & Clodoveum, ante Dagobertum interdum saltem recuperasse. Fundamentum est, quia Sacellum Diui Thomæ (addunt alij & Sancti Martini) fundatum

tum est à Dagoberto qui vt diximus anno 632 cæpit præesse & decessit anno 645 nec legitur vllum aliud ibi prius esse conditum; imo nullum apparet antea fuisse. Cur enim de aliorum destructione, ædificatione, restauratione nulla esset mentio? cur de alterius fundo, ruinis, nulla lis cum Episcopo Colonienſi, in litterisBonifacij nulla motio? confirmatur ex eiusdem litteris:

Et refert (ait Bonifacius in litteris ad Zachariam Pontificem*) quod quia ab antiquo Rege Dagoberto Castellum Traiectum cum destructa Ecclesia ad Colonienſem Parochiã donatum in ea conditione fuisset, vt Episcopus Colonienſis Gentem Frisonum ad fidem Christi conuerteret, & eorum prædicator esset, quod & ipse non fecit &c.*

An antea sub tot Catholicis Regibus, sine Episcopo, sine Pastore? an vnicum sacellum in ciuitate datum Episcopo, si plura fuerint vel ante exstiterint? cur iam prius Episcopo committitur Ecclesia gentium, cur adeo exilis Christianismus, si à Valentiniano aut Clodoueo primo vsque ad Dagobertum Vltraiecto continuò sunt potiti. In fidem difficulter cadit (si non interpolatè Franci regnarint vsque ad Dagobertum) sine Religione, sine templo, sine Pastore, oppidum celebre fuisse relictum, quandoquidem Franci postquam Christi doctrinam susceperunt, feruentisime in quamcumque regni partem eam propagare, instituere, vi & armis

& armis inducere: in fidem potius venit Francorum imperio saltem subinde abolito, simul veram Religionem à Clodoueo, siue alijs plantatam, exaruisse. Nec omnino (quaquā apparenter) aduersantur, qui aiunt, Christianum ritum incœpisse vigere Traiecti tempore quo Reges Francorum illum recepêre, longè antè aduentum S. Willibrordi, nam (præterquam quod effatum illud infirmari possit ex iam dictis) nec addunt, nec inde sequitur, non fuisse per interualla interruptum. Confirmat nostra Leidensis lib. 1. Chronici cap. 19. asserens primam Ecclesiam Christianā Traiecti esse fundatam à Dagoberto Rege Francorum; significans antea nullam ibi vnquam stetisse: quod non accidisset, si Franci continuò vrbe fuissent potiti, si non pertinaces Frisij, saltem intermedio tempore, inuasissent.

Hære pauxillum Lector vt vites crassum Anachronismum Lamberti Hortensij narrantis præfatā Ecclesiam Diui Tomę ædificatam à Dagoberto anno Domini 577. Repugnat omnibus historijs Francorum, siue de primo, siue de secundo Dagoberto sit sermo: nam neuter eo anno regnauit aut natus fuit. Demus per negligentiam Typographorum omissum esse vnum centenarium & signare voluisse anno 677. est quidem mitior error, est tamen error, cum eorundem consensu Dagobertus primus Ecclesiæ Diui Thomæ fundator ante annum 650. corpore exutus fuerit: Dagobertus verò secundus regnum prius incœperit circa annum 716. Consule annales Francicos & conspicietur Syrtis. Similia peccata circa annum Dagoberti odoratus est studiosissimus Heda in proemialibus cap. 5. quo loco plane aperte falsum est Dagobertum obijsse sub Iustiniano Iuniore Constantini filio, cū Iustinianus ille omnium testimonijs primò imperiū auspicatus sit post annum 680. Frequē-

tissimè

tissimè obuius est error calcularius, partim ex Graphiariorum oscitantia, partim ex Scriptorũ incuriositate res magis quam tempora proferre amantium, partim quod cæcus cæcum ducat, hoc est quod aliorum ἁμαρτήματα securi sine discussione sequantur. Nõ dico nos annos semper certò posse designare destitutos frequentius sufficientibus documentis, verum quantum assequi possumus quam probabilissimè designemus. Sic vereor aliquid humanitùs accidisse Ioanni Leidensi apud quẽ Dagobertus sacellum S. Thomæ condit anno 648. Malo annum retrosiorem. Nemo alius quantum scio (inspexi autem plurimos & probatissimos) eo vsque vitales eius dies prorogat. Imo nec vltra annum 645. Et cur in extremum vitæ punctum distulisset pius Rex, præsertim cum pater Clotarius (modò Hedæ assentiamur) iam possessiones & media tali operi antea disposuisset.

Dissertatio XXI.

Quando Frisij Vltraiectum occuparint.

Loquimur de occupatione quæ fuit vltima ante aduentũ S. Willibrordi. Quæstio obscura & de qua etiam nihil certi à veteribus relictum est. Solum habemus Ecclesiã in honorem S. Thomæ à Dagoberto exstructam non multò post præduræ cervicis Frisones solo tenus destruxisse. Sub Dagoberto Rege Saxonum & Baiororum victore id factum, difficile est creditu: potius sub Sigeberto filio qui Austrasiam potitus est puer trium, vel, secundum Trithemium, septem annorum, sub tutoribus tamen strenuis, Adagisilo Palatij rectore & Cuniberto Episcopo Colonensi, Pipino Landensi adhuc bellum

bellum administrante & post eum Grimoaldo filio testibus Gramaio, Sigeberto, Mirço alijsq;, quibus Frisios præualuisse fors nõ æquum credere. Probabilissimum est occupasse Frisios statim ab obitu Sigeberti Regis, qui contigit circa annum 655. post quem Francorum Reges à solita virtute degenerantes, socordia, luxu, regnum sordidabant, de dignitate Regia, de Maioratu continuæ ardebant contentiones, propter Magistratus ambitiones, Ebroini (potius Euerwini) & magistrorum domus insolentias, perpetes flagrarẽt discordiæ idque etiam ante annum 670. cui occasioni intentis Frisijs, haud arduum fuit Traiectum magnamque citerioris Frisiæ partem sibi vendicare, quibus insederunt vsque dum Pipinus Herstallus factus Maior domus Austrasiæ & Franciæ armata manu eos retrocedere cõegit.

DISSERTATIO XXII.

Quis Frisiorum Rex Traiectum occuparit.

T hoc caligine operitur. Heda & Dousa dum aiunt Radbodum occupasse Regiam Traiecti, possunt intelligi id adscribere Radbodo. Nos conformiter ad præcedentem resolutionẽ malumus adscribere Adgillo Patri Radbodi, quem adhuc in viuis egisse anno 678. disertè edocet Beda agens de S. Wilfridi in Frisiam eo anno accessu. Argumento nobis est quod Historiæ vnanimiter tradant sacellum à Dagoberto exstructum, non longè post Frisios deiecisse; quod non longè post, cadit potius in Adgillum, quam Radbodum. Heda & Dousa exponi possunt de occupatione detentiua,

quâ, scilicet, vi & armis Radbodus contra Francos Regiam tenebat. Deuicta ab Adgillo vrbe, Frisones extirpata Catholica Religione auspicijs Regum Franciæ introducta memoratum templum S. Thomæ solo æquarunt. Cornelius Aurelius in descriptione Episcoporum Traiectensiũ narrat illud destructum à Danis & Nortmannis: qua præuia authoritate, equidem nescio. Si per Danos & Nortmannos intelligat eos, quorum crebræ vastationes per Belgium describuntur, palam labitur, cum eæ contigerint post S. Willibrordi obitum sub Gregorio tertio Traiectensium Episcopo, & deinceps. Vt verò Aurelium excusemus (nam excuso potius cum possum quam accuso) non vsque erit absurdum cogitare Frisios in occupando Traiecto contra vires Francorum Danos & Nortmãnos vicinos in auxilium vocasse, prout Barbari isti non semel cõmunibus armis Francis bella mouerunt.

Quod ad Adgillum attinet, vir fuit admodum mitis erga S. Wilfridum Eboracensi sede pulsum, quem in Frisiam venientem honorificè excepit, libenter audiuit, ei liberam prædicationem & baptismum per ditiones suas permisit. Quinimo firmam cum eo amicitiam coluit: cum enim Ebroinus Francię Tyrannus Anglorum instinctu litteris, etiam auro oblato, ab eo postularet Wilfridum necari aut è regione fugari, Adgillus lectas audiente Wilfrido litteras proiecit in ignem, addens, sic ardeat qui pacem cum amico initam pro auri cupiditate dissoluit. Finis vitæ ei fuit anno 679. aut 680. successorem reliquit Radbodum filium, qui dein per quadraginta annos Francorum arma exercuit.

Supposuimus hactenus Adgillum & Radbodum veros fuisse Frisiæ Reges; nunc id ipsum exactius est perpendendum, & sit.

DISSER-

Num Adgillus, Radbodus, veri fuerint Reges Frisiæ, An tantum Duces.

IN hanc velitationem protrudunt nos laudati viri, Ado, Sigebertus (quorum prior ille sub Ludouico Simplici circa annum 880; Posterior sub Henrico tertio anno 1100. claruêre) Radbodum Frisiæ Principem Ducis solùm titulo honorantes. Cum ijs sunt Trithemius, Albertus Krantzius lib. 11. Saxoniæ cap .6. negans Frisios suæ gentis aliquando Regẽ habuisse. Limitat suæ gentis, nolens negare externos Nortmannorum Reges invitis nonnumquam impositos, duos Godfridos, Roricum, Sigefridum, Rollonem, &c. vide eundem lib. 2. Norwagiæ & lib. 4. Daniæ.

Veruntamen propterhorum dicta, non est quod nobilissimæ genti insignia regia auferamus, pluribus ijsque vetustioribus Authoritatibus pro ea staturis; Venerab. Bedæ contemporanei, nec nimium remoti (longiùs audit regium nomen) Marcellini putatitij vitæ Sancti Swiberti Scriptoris; Alcuini florentis sub Carolo Magno: Ionæ Abbatis in vita S. Wulfranni, Reginonis, qui anno 900. Scafnaburgensis, qui 1075. vixerunt: Annalium vetustorum à Doctissimo Pythæo editorum: Hædæ: Ioannis Becani, quorum omnium suffragijs Regis titulo decorantur Adgillus & filius Radbodus & assentiuntur recentiores; vt mirer excidisse Krantzio, falsò gloriari Frisios se aliquando suæ gentis Regem habuisse, nullo exhibito contra eos testimonio, nulla addita ratione. Sane ad Regiam dignitatem introducendam, non defuit terræ latitudo; non for-

tuna, non fortia facta, non spiritus populo animoso, nec æmulatio vicinorum quibus reges erant præfecti. Madeblicum *Frisiorum* Regum opus & arcem Regiam fuisse multis est persuasum. Vide Batauiam Adriani Iunij & Petri Bertij.

Nec obijciat siue Krantzius siue quis alius, prædictos Authores nostros fautores, Reges accipere lato vocabulo à regendo, quo omnes qui præsident, præsertim cum splendore & potentia, Reges possunt nominari: inspiciat & perlegat dumtaxat eos, percipiet eos inter Reges, Duces, Cõites optimè potuisse distinguere & proprie loqui, prout Historico congruit: v. g. Venerab. Beda lib. 5. histo. cap. 11. Radbodum Regem, Pipinum verò, quem constabat Regem non esse, solum Ducem Francorum nominat, quamquam Regia Authoritate ingentique potentia imperaret. Regalem hanc Radbodi coronam defendendam pariter suscepit Ianus Dousa, apud quem Ado & Sigebertus excusantur, scilicet, denegasse Radbodo Regis titulum propter contumeliosam catholici ritus irrisionem, & in gentilismo pertinaciam, quâ Rex audire non merebatur.

Dissertatio XXIV.

A quo tempore Reges Frisia nacta est.

Esp. tempus præcisum plane est incertum ob fugientem nos antiquitatem. Occo Scarlensis & Chronica Frisiæ statuunt Adgillum patrẽ Radbodi quintum *Regem Frisiæ*, consequenter *Radbodum*, sub quo venit S. Willibrordus, sextum. Suffridus lib. 1. de Origine Frisiorum cap. 9. Duo condit *Frisiæ* Regna, Orientale cuius caput Stauria, & Occidentale cuius caput Medenblicum, in quibus Reges esse cœperint anno

anno 392 cum antea solum essent Duces: ac anno 533. sub Beroaldo vtrumque Regnum fuisse coniunctum ac deinceps sic perseueraſſe per aliquot Reges, scilicet, Agdillum, Radbodum, Adgillum 2. Gondobaldum, Radbodum 2. Suffrido sua sint, quia pleræque eius narrationes de antiquis Frisiæ Rebus à probatis authoribus reprobantur. Nobis interim saltē verò proximum est, *Frisios* Regio sceptro vti cœpisse inter annum Christi 400. & 500. quo æuo ex angustis spatijs in amplissimos sese diffuderunt terminos. Tum opes Regiæ dignitati tolerandæ, vires, arma Regia Maiestate digna: prouocabant tum generosam Frisicā indolem vicina Regna Francorum, Austrasiorum, Danorum quibus erant collaterales, quibuscum non rarò negotia. Et solent Nationes auctis Prouinciarum terminis, ampliatis Iurisdictionibus, augustiores titulos assumere. Sic olim nunc hæc, nunc illa Monarchia. Sic ad idem tempus quo Frisia, aucto in immensum *Francorum* Imperio, Austrasiæ Regnum 511. exoritur primo eius Rege Theodorico filio Magni Clodouei primi *Francię* Regis Christiani Metis solium suum locante fuitque is secundus Princeps Christianus, qui Brabantiæ, quæ sub Austrasia continebatur, præfuit, à quo Marchionatum Antuerpiensem originem sumpsisse multi perhibent. Vide Molanum militię sacræ Ducum Brabantiæ cap. 2. Lipsium lib. 1. Louanij cap. 12. Sic Lusitania quondam Ducatus, in Regnum est elata post annum 1100. Sic simile alijs Regionibus euenit: est, scilicet, natura Imperij aliud. Regnum res inter Diuos hominesque pulcherrima est, inquit Liuius.

Quousque sceptrum in Frisia duraverit.

CItati initio præcedentis dissertationis Authores & Chronica vulgaria Frisiæ, post deuictum à Carolo Martello Radbodum anno 719. vt postea videbitur, tres aut quatuor succedaneos Frisię Reges enumerant, vti mox vidimus.

Verum ego sentio Radbodo per Martellum interempto Regalem dignitatem in Frisia commortuam. Tum namque Frisiorũ vires, quæ antea viuente Radbodo per Pipinum & filium Martellum non parũ erant acciſæ, adeo detritæ sunt, vt Regiæ dignitati pro æquo sustentandæ non suffecerint: insecutæ statim grauissimæ Aquilonarium deuastationes, non modo eam resumere non siuerint, sed insuper exterorum Regum Nortmannorum iugum pati coëgerint nimis præter liberi & bellatoris populi sententiã. Suffragatur nobis Hermannus Contractus (fuit is Illustris Wolferadi Comitis Veringensis Frater anno 1050) his verbis: *Anno 729. Carlus nauali euectione regnum Frisonum ingreditur, interfectisq; quã plurimis Popponem Ducem eorum interemit, subuersisq; lucis, fanis, victor cum magna præda reuertitur.* Eadem plane verba habent vetustissimi Annales Pythęani. Quod Regnum vsitato hactenus vocabulo vocent, Regem non nominent, imo Popponẽ (qui filius Radbodi à nonnullis habetur) Ducem tantùm, indicio est iam Dignitatem Regiã cessare cœpisse, aut quasi suspensam hæsisse. Cur enim in prælio, in patriæ summo discrimine non compareret Rex? cur non audiretur Rex, sicuti ante? Cur nulla actio, nulla tractatio, nullus Regis status describitur? An à parente adeo degener otiosus aut formidolosus latuit in tanta Regni perturbatione? Nec deinceps apud vllum antiquum Classicum Scriptorẽ Frisiæ

siæ dõesticus Rex reperitur. Authores initio citatos, Chronica vernacula quæ indoctæ plebis manu teruntur, non sequimur. De his Ianus Dousa iudicio nostro omnino subscribens ita enuntiat: *Adgillus Radbodi filius ac Regni successor, Gondobaldus Nepos &c. mera sunt febricitantium somnia, quos equidẽ nec natos vnquam nec denatos fuisse vt credam animus induci potest. Eos proinde cum Scarlensi & Architectonibus suis in Fostelandiam siue in Vtopiam potius delegandos censeo.*

Non soli Frisiæ ea versarunt fatorũ licia. Austrasię regnum per 150. & amplius annos, vigens desijt anno 667. Lotharingiæ amplissimum à Lothario secundò primi Lotharij filio anno 855 conditum, intra primum centenariũ corruit. Burgundię antiquissmum inchoatum statim post ann. 400. multo tẽpore florentissimum, tandem minui, diuidi, ac postremò post annum 800. plane interire. Sic Monarchia Persica, Medorum, Assyriorum, Græca, Romana, internecioni sunt datæ; simile spectatissimis Prouincijs & familijs euenit. Ne foràs peregrinemur, Domus Burgundica per plurimos annos summa potentia, & opima pace viguit immẽso suo splendore totius Europæ ditiones obnubilans: terrori erat Italię, Germaniæ, Franciæ, Hispaniæ. Sed quam diu auscultemus Philippum Comineum virum Patritium equestris ordinis totius tragediæ inspectorem: *Burgundicus*, inquit, *populus* (cõplectebatur ille Belgas) *lõgè florẽtissimus fuit, sub tribus ordine Principibus optimis & pientißimis viris supra 120 annos. tandem verò Deus excitauit ijs Carolum* (Pugnacẽ) *qui continuis bellis, laboribus atq; sumptibus eos exercuit, defatigauit & exhausit, hyeme præsertim. Ante Nouesium autem factum fuit initium calamitatum, quæ deinde tribus aut quatuor aduersis prælijs durarunt donec interficeretur. Quo quidem tempore sic erat debilitatum omne ipsius robur atque potentia, vt omnes, in quibus auta liqua facultas erat, aut voluntas præclara, vel mortui essent, vel capti vel grauiter afsli-*

afflicti. Vidi equidem & cognitam habeo potissimam Europæ partem, sed florentiorem nullam noui Prouinciam, quam erant hæ Caroli ditiones, quo tempore in ijs vixi. nunc ecce Deus tam insignem & potentem familiam ac Clarissimorum virorum Domicilium, nostro orbe celeberrimum & honoratissimum per 100. & eo plures annos, breui temporis puncto plane subuertit. Quum reliqui omnes circum populi diuexarentur bellis aliisq; incommodis, hæc sola domus felicissima semper fuit, ita quidem, vt externi multi Principes ad eam veluti in opportunissimum portum è fluctibus & tempestate sese reciperent. Ludouicus Rex Adolescens cum à Patre suo dissideret, ad Philippum Caroli Patrem sese contulit honorifice admodum & amanter ab eo per sex annos habitus. Eduardi Angliæ Regis ambo Fratres, Clarentius & Gloceſtrius, & è Lancastrijs multi rebus aduersis opem & patrocinium ab hac domo petierunt. Breuiter ingens fuit eius familiæ splendor & gloria & ecce nunc miserabiliter est afflicta, sic vt vicinis omnibus exemplo esse posit. Est nimirum Deus, à quo salus regnorum omnium & incrementum & occasus & initia dependent. Hæc Comineus comment. lib. 7.

Contemplor diuinum Numen sceptri Frisici interitũcladesque obstinato populo per Austrasianos illatas, siue permisisse, siue ordinasse in præparamentum facilioris aditus Euangelicæ veritatis. Excelsi montes, aridi, saxei, infrugiferi sunt: valles roridæ, abundantes frumento. Saxones gens ferox & valida Christũ peruicaciter respuebãt, ast post 33 annorum continua bella per Carolum humiliati, abiecto dęmonum cultu & relictis patriæ cæremonijs, Christianæ fidei atque religionis Sacramenta receperunt. Teste Gregorio Turonensi lib. 2, cap 31. Sanctus Remigius Archiepiscopus Rhemensis Clodoueo Francorum Regi aquam baptismalem suscepturo dixit: Depone mitis colla Sicamber. Deus superbis resistit, humiliatis præparat gratiam.

Quo tempore S. Willibrordus Frisiam Vltraiectensemque portum intrarit?

CONcors Chronologorum calculus est ex Hibernia in Frisiã Vltraiectũq; appulisse an. Christianæ salutis 690. Ita textus Marcellini de vita S. Swiberti, Theofridus Abbas Epternacensis, Ioannes à Beca, Guilielmus Heda, G. Nouiomagus in Catalogo Episcoporum Vltraiectensium, Leydensis in Chronico Hollandiæ, Vincentius in speculo Historiali. Et sequuntur posteriores, Molanus, Bruschius in catalogo monasteriorum Germaniæ, Aurelius, Haręus in annalibus Brabantię, Tabula Chronologica Ægidij Bucherij ad Chronicum Leodiense, Miræus, Rosweijda & cõplures alij. Et supposuimus dissertatione prima dictumque per annum computantur anni Natiuitatis, ætatis, Apostolatus & Episcopatus eiusdem Sancti. Ac omnino conuincitur ex epistola Diui Bonifacij ad Zachariam Papam, quâ asseuerat Sanctum Willibrordum prædicasse quinquaginta annis; non inuenientur vero tot, nisi eum venisse anno 690. & obijsse 739. statuatur. Quod si reperiantur qui simpliciter designant eius introitum anno 692. vel 93. aut 696. in quales me incidisse recordor, vel errori Typothetarum, qui frequens lues est numeralibus notis, imputandum, vel de alijs atque alijs accessionibus missionibusue sunt accipiendi. Nos de prima accessione loquimur qua Willibrordus primùm intrauit, licet propter duritiam gentis cito transijt, nec notabilem moram traxit. Qui anno 692. vel tertio vt Trithemius, Barlandus in Chronico Ducum Brabantię cap. 4. intelligi possunt respicere ad secundum accessum, quo iam obtentis licentia à Pipino & Sergij Papę benedictione,

etiam recuperato per eundem Pipinum Vltraiecto, eò iterum illuc prędicationis causa est regressus. Qui anno 696. vel septimo, intendere ad tempus quo Episcopali gradu adauctus, insuper à Pipino Castello Traiectensi sedi Episcopali condendę donatus, Roma Vltraiectum redijt ac ampliore potestate docere & gubernare cœpit. Stet itaque cõmunis calculus ex Hibernia in Frisiam Vltraiectũque primùm adnauigasse anno Christi 690.

Verum quo anni tempore? præter rationabiliter opinari, nihil habetur, scilicet, veniſſe verno tempore, siue æstate ineunte, cum nec hyems nec eius propinquitas longæ marinæ nauigationi, aut tam grandium negotiorum expeditioni potuerint esse accommodæ, imo nociuæ.

Quo mense, quo die?

Hîc nec crepuscula & auras
Respicimus clausi tenebris & carcere cæco.

Appendix.

POstquam sic apud me aduentũ S. Willibrordi anno 690. stabilijssem, occurrit mihi Iacobi Gretseri de Episcopis & Sanctis Aichstadiensibus liber doctissimus, & qui in cõfutando Pseudo-Marcellino mecum optime conuenit. Vnico tamen à me discrepat. Illud est: Sanctum Willibrordum in Frisiam primò adueniſſe anno 693. idq; iuxta Bedam: *Quæ missio*, inquit, *siue Euangelica legatio* (Willibrordi & sodalium) *accidit, vt quidem Pseudo-Marcellinus ait, anno Dominicæ incarnationis DCXC; Sed ex Beda lib. 5. aperte colligitur eam incidisse in annum Redemp-*

Redemptoris DCXCIII. Nam cum Beda cap. 9. dixisset Berechtwaldum Archiepiscopum fuisse ordinatum anno DCXCIII. statim cap. 10. ait: Eo tempore &c. pergitq; recensere quid Egbertus Presbyter circa missionem in Frisiam tentauerit effeceritq;.

Ego verò contrarium ex Beda colligo. Habet hic Beda, consentiente Gretsero, Berechtwaldum hæsisse in Francia consecrationis Episcopalis ergô anno sequenti electionem eius, nimirum anno 693: & dum ibi hæreret, venisse in Britanniam S. Swibertum à confratribus in Frisia verbo Dei mancipatis electum ad similem consecrationem obtinendam. Quod vt clarius cernatur, apponam ipsamet verba Bedę. Is postquam lib. 5. hist. Anglic. cap. 8. obitum Theodori Archiepiscopi Cantuariensis narrasset, cap. sequenti de eius successore agens sic pergit: *Qui Berechtwaldus electus est quidem in Episcopatum anno Dominicæ Incarnationis 692. die primò mensis Iulij regnantibus in Cantia Wichtredo & Sueberdo. Ordinatus autem sequenti anno scilicet 693. tertia die Kalendarum Iuliarum Dominicâ à Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum & sedit in sede sua pridie Kalendarum Septembrium Dominicâ, eodem videlicet anno 693. Deinde eodem lib. ca. 12. agens de electione & consecratione S. Swiberti: quem Swibertum,* inquit, *Britanniam destinatum ad petitionem confratrum eligentium ordinauit Reuerendissimus Wilfridus Episcopus qui tunc forte patria pulsus in Merciorum regionibus exulabat: non enim eo tempore Episcopum habebat Cantia, defuncto quidem Theodoro, sed necdum Berechtwaldo successore eius, qui trans mare ordinandus ierat, ad sedem Episcopatus sui reverso.*

Venit ergo ex Frisia in Britanniam & Episcopalem Insulam obtinuit S. Swibertus anno 693. Berechwaldo etiamnum in Francia morante, & nondum ad suam sedem reuerso; sed antequam à confratribus in Britanniam insulādus destinaretur, iam ad minus duobus annis ab Hibernia

absentes ipse, Willibrordus socijque in Frisia versati fuerant, adeoque ante Episcopatum & consecrationem Berchtwaldi ex Hibernia soluerant, in Frisia fuerant idque commodissime anno 690. secundum communem opinionem. Inter discessum autem S. Willibrordi, & consecrationem Berchtwaldi, facile duos aut tres annos intercessisse declaratur: quod ex ea longo itinere in Frisiam aduenerint: eò appulsi apud Radbodum Regem versabantur. Inde Willibrordus suo sociorumque nomine ad Pipinum in Austrasia degentem proficiscitur: à Pipino Romam: Româ obtenta licentia prædicandi iterum ad Pipinum: à Pipino Frisiam repetit, qua tempestate magni bellorum motus surrexerunt inter Radbodum & Pipinum, magnæ Frisiorum deuastationes, vt nihil aut perparum gentium conuersioni sese dare Apostolici viri valuerint. Mox anno 692. aut 693. armata manu Vltraiectum Pipinus occupat: Radbodû in Frisię interiora fugat: ad occupatã vrbẽ S. Willibrordum Sodalesque remittit, qui tùm cum fructu Frisijs prædicare, Gentilium conuersioni serio incumbere cœperunt: Ecclesias ædificare, Neophytos colligere; ad quæ consummanda & promouenda opus fuit electione Episcopi. De eâdem decretum fit. Post quę demum S. Swibertus à confratribus electus in Britanniam renauigat ac à S. Wilfrido apud Mercios versante Pontificalem χειροτονίαν suscipit Berchtwaldo Cantuarienſi Archiepiscopo (cuius Iuris id aliàs fuisset) ex Gallia ad sedem suam nondum reduce. Quis non videt hic inter aduentum S. Willibrordi ex Hibernia in Frisiam, & Episcopalem infulationem S. Swiberti duos aut tres annos facilè interueniſſe & minus recte annum aduentus S. Willibrordi colligi ex anno consecrationis Berechtwaldi?

Quod autem Beda conatum S. Egberti & emissionem

S. Willi

S. Willibrordi narret post consecrationem Berechtwaldi anno 693. peractam, non est quod velit post eam aut anno 693. S. Willibrordum ex Hibernia in Frisiam esse ab Egberto directum, sed quia cap. 8. retulerat obitum celeberrimi Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, imo totius Angliæ, idque anno 690, voluit statim subiungere sedis successionem eiusque successorẽ, ac breviter coniunctim absoluere eius electionem inaugurationemque. Iis sic absolutis orationem retrahens pergit ad enarrationem dimissionis S. Willibrordi ex Hibernia per S. Egbertum, ac vt ab altiori principio eam tradat, prius edisserit quædam quasi præambula de S. Egberto, magis arripiens filum historiæ, quam temporis. Quare verba Bedæ, Eodem tempore, quæ sunt initialia capitis decimi, non sunt referenda ad annum consecrationis Berechtwaldi, sed ad tempora Theodori. Certe si secundum formam Gretseri argumentari valeat, probabitur dictum frustraneum conatum S. Egberti cap. 10. contentum similiter incidisse in annum 693, cum Beda postquam cap. 9. dixisset Berechtwaldum Archiepiscopum fuisse ordinatum anno 693, statim cap. 10. pergat recensere quid Egbertus Presbyter circa missionem in Frisiam tentauerit. Hoc tamen apertè falsum est; nam eum accidisse biennio ante emissionem S. Willibrordi manifeste colligitur ex eodem Beda eodem cap. 10; imo verè contigit anno 688.

APPENDIX ALTERA.

QVò plenius comprehendatur tempus celeberrimi aduentus Apostolicorum virorum & simul data occasione exponatur tabula Chronologica quam de illis aliquando confecimus,

Hæc addito.

Dicto anno 690. currebat littera dominicalis B: erat Indictio 3. Cyclus solaris 27. Cyclus lunæ 7.

Quid littera Dominicalis sit, notius est quam vt exponatur. Variatur ea quotannis & quidem bis anno bissextili. Variationis duplex est ratio. Prima: Annus solaris communis continet dies 365, quos si computaueris per numerum septenarium, exurgent hebdomadæ 52, remanebitque vnus dies solitarius residuus: iam cum litteræ correspondentes diebus cuiusque hebdomadæ sint septem, A, B, C, D, E, F, G, quarum crebra repetitione integrè absoluuntur dictę 52. hebdomadæ, oportuit pro residuo die A. poni in fine anni, sicut fuit in principio; atque inde necessario sequitur litteræ Dominicalis variatio in anno sequenti. Hinc etiampatet cur litteræ dominicales retrogradè sibi succedant. Secundò, ratio specialis pro anno Bissextili est: annus solaris communis præter dies 365. habet residuas sex horas, quæ annuatim collectę in quarto anno (quo solo euenit annus bissextilis) constituunt diem vnum, qui intercalatur sexto Kalendas Martij cum repetita littera F. Vnde consequitur litteræ Dominicalis iterata mutatio.

Cyclus indictionalis (qui Indictio communius dicitur) est tempus trium lustrorum, siue reuolutio quindecim annorum, initio sumpto à primo vsque ad 15, post quem reditur ad vnitatem. Eius vsus frequens est in diplomatibus Pontificijs & Ecclesiasticorum transactis; quin & in historijs non raro occurrit. De eius origine, nominibus, lege Baronium ad annum 312, qui ibidem probat eius vsum eodem anno 312 sub Constantino Magno primùm incœpisse. Primitus quælibet Indictio initium habebat à Septembri, posterius & modò initium sumit à Kalendis Ianuarij.

Cyclus

Cyclus Solaris, est reuolutio (græce enim κύκλος est orbis seu circuitus) 28 annorum Solarium, non quod tantum spatij Sol consumat in percurrendo Orbe Signiferi suo proprio circulo, verum quod in 28 annis ad sua redeant principia omnes varietates, quę ex littera Solari, id est Dominicali, ex Bissexto & concurrentibus evenerunt. Quod huic Cyclo deputentur 28 anni, causa est: cum singulæ hebdomadæ sint 7 dierum & bissexti solum 4 anno contingant, si 7 per 4 multiplicaueris, exurget numerus annorum 28 in quibus omnes diuersitates ex dictis causis prouenientes ad pristinam redibunt formam, & bissextus per omnes ferias id est dies hebdomadæ cucurrit. Modum inuestigandi quotus Cyclus Solaris sit quoque anno, lege apud Ioannem Stoefflerum in Kalendario Romano propositione 3.

Cyclus Lunaris, qui & decennouennalis, 19. annos Solares comprehendit, in quibus prisci arbitrati sunt lunam, quam nonnumquam cum Sole habuit ad pristinam reuerti positionem & in totannis omnem diuersitatem compleri. Anni siue partes huius Cycli, vocantur aurei numeri.

DISSERTATIO XXVII.

Quibus Principibus aduenerit S. Willibrordus.

HAc de materia ait Marcellinus in vita Diui Swiberti apud Surium 1. Martij, Diuina comitante clementia celeriter in Wiltenburgum advectos (Willibrordum & socios) anno 590, Pontificante Romæ Apostolico viro S. Sergio Papa anno suo 3: Imperante pijssimo Imperatore Iustiniano, ac regnante in Anglia glorioso Alfrido Rege Northumbrorum

rum: Episcopante in Ecclesiâ Colonienſi Aldewino 10. Episcopo eiuſdem Ecclesiæ:

Adhibeamus manum ad ſingula, illuſtremus, augmentemus.

(Pontificante Romę Sergio &c.) Erat verè annus 690. tertius annus Pontificatus Sergij cõſentiẽtibus Clariſsimo Baronio & Onuphrio exacto Principum RR. Inueſtigatore. Is de Sergij temporibus ſummatim hæc: *Sergius Tiberij filius Antiochenus Syrus Panhormi in Sicilia ortus, R.S.E. Presbyter Cardinalis titulo S. Suſannæ ad duas domos à Cunone Papa factus, qui Impp. Caſſ: Iuſtiniano, Leontio & Tyberio Abſimaro Augg. ſedit annos* 13. *menſes* 8. *dies* 23. *Creatus* 16. *Kalendis Ianuarij anno* 686, *conſecratus die Natali Chriſti. Ordinationes duas menſe Martij fecit Epiſcoporum ſedecim, Presbyterorum octodecim, Diaconorum* 4. *Obijt* 6. *Idus Septembris anno* 701. *indictione* 14. *ſepultus ad S. Petrum P. C. Imp. Cæſ. Fla. Tiberij Abſimari Auguſti. Vacauit ſedes menſem vnum, dies* 23.

Neque diſſentit, credo, Baronius aiens ſediſſe vltra annos 13, menſes 8, tantum dies 14. Baronij enim computus valet à die conſecrationis quo iam conſecratus cœpit plene gubernare: Onuphrij verò à die electionis.

Et exigui momenti diſcrepantia eſt, quod Baronius dicat obiiſſe 5. idus Septembris, Onuphrius 6. Oritur talis diſcrepantia quod alius ſumat integros dies, alius inchoatos: alius à veſpera, alius à media nocte, alius ab aurora diem inchoet. Adde vnius diei diſcrepantiam non debere torquere Hiſtoricos; quod enim paulum diſtat non diſtare videtur. Plura de Sergio ad diſſertationem 95.

(Imperãte pijſsimo imperatore Iuſtiniano) Erat is Iuſtinianus Iunior, de cuius annis Onuphrius accuratus calculatorquem in PP. RR. libenter prę alijs ſequor.

Imp.

Imp. Cæsar Fl. Heraclius Iustinianus Iunior p. f. PP. Augustus.

Vgustus à Patre appellatus Constantinopoli mortuo fratre suo Tyberto Cæsare anno Domini DCXXCIIII. coronatus à Theodoro II. Patriarcha P.C. Constantini V. Augusti anno XVII.

Imperauit annos XII. & menses V. cum Patre annos II. Post Patrẽ mortuum, annos X. menses V.

Solus imperare cœpit die obitus Patris Constantinopoli circa Kalendas Februarij anno Domini DCXXCVI. post Consulatum suum anno I. *Coactus à Leontio, qui contra eum Imperium arripuerat, abdicauit circa mensem Iulium anno Domini DCXCVI Constantinopoli, & relegatus est mansitq; exul Chersoneæ in Ponto annos X. Restitutus mense Augusto anno Domini DCCVI. P. C. Apsimari Augusti anno VI, Iterumq; imperauit cum solo Tyberio Constantino Cæsare annos plus minus VI. Occisus fuit cum filio Constantinopoli Idibus Augusti anno Domini DCCXII. post secundum Consulatum suum anno V. insidiis Philippici qui post imperauit. Vixit annos XLII.*

(Pyssimo) Epitheton illud Iustiniano illi plane disconuenit: quamquam enim post recuperatum Imperium pietatis aliquod specimen exhibuerit Pontificis pedes osculando humi prostratus, Priuilegia Ecclesiæ confirmando, ante tamen de restitutionem & post restitutionem ea impietatis & crudelitatis genera exercuit, Deo per plagas multas ipsius iniquitatem contestante, vt potius impijssimus, quam pijssimus debeat intitulari. Hæsito subinde an non sit additum ab imperito Scriptore nesciente (est

enim textus ille Marcellini ab aliena manu omninò consutus) distinguere inter Iustinianum cognomento Magnum Imperantem anno Christi 527, cuius magna laus est in historijs & hunc Iustinianum Imperantem tempore aduentus SS. Willibrordi & Swiberti. Interim titulum Pijssimi videtur ei facile tributurus Hermannus Schedel, & transeat tanquam titulus honoris. vt consueto Imperatoribus more vocetur Pijssimus: illa enim speciosa attributa magnatibus, non significant qualitatem in ipsis actu residentem, sed qualitatem debitam vel conuenientem tali statui.

(Regnante in Anglia Alfrido) Erat tùm Anglia, potius Britannia postmodum dicta Anglia, dissecta in septem regna, inter quæ erat Northumbrorum; cui in aduentu S. Willibrordi præsidebat Alfridus Rex Nonus, & quidem quintum annum, quantum colligere est ex Beda. Alfridum describit ita Malmesburiensis l. 1. *Egfredi necẽ cum insignior fama vbiq; loqueretur, etiã ad fratres Alfridi aures Anxia præcipiti pervenit epistola penná. Is quia nothus erat, factione Optimatũ, quamquã senior, regno indignus æstimatus in Hyberniã seu vi seu indignatione secesserat. Ibi & ab odio germani tutus & magno otio litteris imbutus, omni philosophia composuerat animũ; quocirca Imperii habenis habiliorem æstimantes qui quondam expulerant, vltrò expetiuerunt. Necessitas medelam ad preces refudit: nec eos ille sua spe frustratus est: nam per decem & nouem annos summa pace & gaudio Prouinciæ præfuit, nihil vnquam, præterquam in persecutione magni Wilfridi, quod liuor edax carpere posset, admittens. Habuit successorem filium Osredum octo annorum puerum, qui per vndecim annos regnauit.*

(Episcopante in Ecclesia Colonienſi Aldewino decimo Episcopo.) Hic Aldewinus siue Aldeluinus aut Adelunius decimus numeratur Episcopus à Francisco Irenico lib. 3. exeg. Germaniæ cap. 36. qui ait: quo sæculo ille Præsulatus Colo-

Colonienſis exorſus fuerit, nulli, nec in eorum Annalibus liquere. Multos Maternum illic primum præſulē fuiſſe dicere, vt eorum Catalogus. Id tamen veritati proximum ēſſe ſecundum Archiepiſcopum exſtitiſſe Seuerum anno Domini 343. Conſtantini temporibus. Interim enim ob fidei Chriſtianæ perſecutores nullum præfuiſſe huic Epiſcopatui. Alij ſub Tungrorum ac Treuirorum Thyarâ ſubiectos Colonienſes fuiſſe tunc temporis arbitrantur, à quibus tertius Euergiſlus refertur, Solinus quartus, inde Simoneus, Remedius, Cunibertus, Boraldus, Gyſo, Adelwinus. Variant itidem non parum catalogi Archiepiſcoporum Colonienſium. Democharis inter primos reponit Irenico non nominatos. Rurſum Baronius ex iudicio Reuerendiſsimi Domini Lindani Epiſcopi Ruremundenſis opinatur ſecundum Epiſcopum Colonienſium fuiſſe alterum Maternum primo cognominem temporibus Conſtantini Magni, quem tamen Democharis & Irenicus ignorant. Gazeus in hiſtoria Eccleſiaſtica Gallica ſecutus Baronium duos Maternos enumerat, & Aldewinum XII. In his Authorū diſsidijs conſultus à me V.P. Georgius Garnefelt Carthuſianus Colonienſis Presbyter, qui in Annalibus Colonienſibus cōtexendis multo tempore & multùm accurate laborauit, Reſpondit, Aldeuinum non eſſe prēciſè decimū Epiſcopum Colonienſem. Quapropter illa verba, Decimo Epiſcopo Colonienſis Eccleſiæ, ſe putare ab aliquo Gloſſatore in margine annotata, deinde à Librario cum textu coniuncta. Huius viri fidei ego acquieſco.

Adnauigante Apoſtolico viro Franciæ ſceptrum tenebat Theodoricus Rex. De cuius annis inchoati & finiti regiminis admodum variant Hiſtorici. Sunt qui anno 690. vitâ ceſsiſſe, pluresvſque in annum 694. eandem prorogaſſe affirmāt. Per huius Theodorici (inquit Gaguinus in hiſtoria

Francorum) incuriam atque socordiam res Francorum deterior facta est, quippe cum Respublica cubicularijs Regiis & Præfecto Palatij liberè crederetur: Regi verò per inertiam mos inoleuit Palatio nisi ad Kalendas Maj non egredi, moderationem omnem aliis permittere, ostendere se populo vno dumtaxat die, à quo salutatus & munere donatus, cum & ipse reciproca populo dona exhibuisset, domum abire, ibique toto anno incolere. Primo anno Regno eiectus, postmodum restitutus multarum turbarum in Francia origo fuit instigatore Ebroino tyranno. Consule eundem Gaguinum & Trithemium in compendio Regum Francorum.

In eorundem aduentu pacificè in Maioratu Frãciæ & Austrasiæ agebat Pipinus quartus Dux Brabantiæ inscriptus. Maioratum Francicum extorsit à Theodorico Rege deuicto cum antea tantùm esset Maior Austrasianorum.

Tungrensi Cathedræ insidebat S. Lambertus Episcopus 29. per Pipinum ab exilio reuocatus: eratque annus eius 33.

In Cathedra Eboracensi Regni Northumbrorum in Britannia agebat S. Wilfridus restitutus, vtramque parochiam Eboracensem & Hagulstadensem regens, expulsis qui eas occupauerant Bosa & Ioanne: Verum eodem anno siue ante accessum S. Willibrordi, siue post iterum pellitur Bosa Hagulstadensem, Ioanne Eboracensem repetentibus. De his tribus postremis Principibus fusius in sequentibus legito.

De regressu S. Willibrordi à Radbodo ad Pipinum. Quid citerior Frisia.

SAnctus Willibrordus itaque sub his Principibus cum Sodalibus Vltraiectum ingressus, Radbodi Regi propositio suo negotioque propter quod adnauigarat expositis, cum frustra apud eum subditosque Idolomaniâ obsitos ageret, Pipinum Herstallum Maiorem domus Franciæ & Austrasiæ petijt, quęsiturus & tentaturus auxilia conuersioni Frisiorum idonea. Narrat id nobis Beda lib. 5. hist. cap. 11. *Qui*, inquit, *cum illò aduenissent, (erant autem numero duodecim) diuerterunt ad præfatum Principem Pipinum, à quo gratanter sunt susceptI.* Ne dubites gaudiũ S. Viro adfuisse spẽq; cõficiundi negotij ex adeo hũana Pipini susceptione. Adauctius verò quãdo Pipinus, *Quia* (pergit Beda) *nuper citeriorẽ Frisiã expulso inde Radbodo Rege cæperat, illò eos denuo ad prædicandũ misit. Ipse quoq; imperiali authoritate iuuans, ne quis prædicantibus quidquã molestiæ inferret: eos quoq; qui fidem susciperе vellent, multis beneficiis attollens.* Quæ omnia simul sumpta intellige post acceptam licentiam à Roma; Beda enim multos annos sępe breuiter sine calculo perstringit.

Cæleste illud numen, cœli terręque moderator, mittit quidem electos suos ad gentium conuersionem pluribus supernaturalibus mediis instructos, & potens est alia addere vt nullius hominis ope egeant, attamen quia gratia non est in destructionem naturæ, humana auxilia, media, non vult contemni aut negligi, quę Principes abundantius possunt depromere, vtpote constituti à Deo Ecclesiæ nutritores, propagatores, defensores. Petit ea S. Apostolus, concedit Pipinus, addens edictum mortalium genio accommodatum, qui ex natura sua Principum minis à

malo facilius arcentur, & sperata eorundem beneuolentia ad virtutem facilius promouentur. Nec incassùm fuerunt petitio & concessio: nam eo edicto, inquit Beda, factum est vt in breui multi ab idolis ad fidem Christi conuerterentur. Sed hîc annectendum

Dvbiolvm.

Quidnam intelligatur per citeriorem Frisiam in verbis Bedæ iam citatis?

NOnnulli, inter quos Leydensis, interpretãtur citeriorem Frisiam in Beda (cuius verba profert Leydensis) Vltraiectum, vel saltẽ sub illa Vltraiectum comprehendunt. Verior intellectus est per citeriorem Frisiam, non Vltraiectum, sed partem Frisiæ Austrasijs viciniorem veluti Durostadium, Teijsterbandiã & vicinas regiunculas intelligi. Primò. Quia Vltraiectum communi historicorum consensu occupatum est à Pipino an. 2. aut 3. post aduentum nostrorum Apostolorum; citerior vero Frisia apud Bedã ante eorundem accessum: dicit enim Beda, *Nuper citeriorem Frisiam* &c. scilicet antequam Willibrordus cum suis aduenirent. 2. Heda apertè distinguit inter citeriorem Frisiam & Vltraiectum apparetque eum Vltraiectum excludere à citeriore Frisia. Quare occupatio Vltraiecti & Frisiæ citerioris: expulsio Radbodi è citeriore Frisia, & expulsio eius ex Vltraiecto, non sunt confundendæ, sed distinguendę. Nam turbatis Franciæ Rebus, Nobilibus de Maioratu inter sese grauissime præliantibus, in odium Christiani nominis Franciæ & Austrasiæ fines non ratò lacessebant Barbari Frisij, ac Franci eos reprimere, coercere & fugare non semel sunt coacti, nec vnica inuasione absoluerunt.

Obten-

Obtenta licentia prædicandi à Pipino, & data missione in citeriorem Frisiam, S. Willibrordus Romam pergit ad Sergium Pontificem. Sed antequam de eius itione ad Vrbem agamus, dicenda prius multa de sociis S. Willibrordi, quot & quinã fuerint: de Pipinis eorumque missionibus, tam ad huius historiæ quã tractamus cognitionem & intelligentiam, quam aliarum istius temporis perquam necessaria, quorum ignoratione mirum Chaos in historias est aduectum.

DISSERTATIO XXIX.

Quot fuerint socij S. Willibrordi?

ALij S. Willibrordum cum duodecim Socijs aduenientem proponunt, ac si præter illum duodecim alij adfuerint. Ita N. Harpsfeldius, Fasciculus temporum, Trithemius in compendio Regum Francorum. Alij cum vndecim, & duodecim sint ipsomet S. Willibrordo adnumerato: quæ supputatio est communis & longè verior. Est Marcellini apud Surium 1. Martij, Leydensis, Hedæ, Molani, Mirei, Haræi, Hamconij, Furmerij lib. 3. cap. 6. passimque tenetur, & convincit Beda loquens de missis à Sancto Egberto: *qui cum*, inquit, *illò* (in Frisiam) *aduenissent, erant enim numero duodecim, diuerterunt ad Pipinum &c.* significans tam Willibrordum, quam alios collectim sumptos, fuisse numero duodecim, nec Willibrordum à duodenario numero segregat. Existimo illos qui eum cum duodecim in Frisiam nauigantem referunt, duodenario numero ipsum includere licet duriore modo loquendi. Sic Harpsfeldius postquam dixisset S. Willibrordum cum duodecim socijs Frisiam perrexisse, vndecim tamen solùm præter Willibror-

brordum enumerat. Quod ad Leydensem attinet qui ab alijs videtur discrepare, obseruandum illum non tam recēsere eos, qui cum Willibrordo ex Hibernia soluerunt, quā aliquos eius Principales cooperatores, quales potuerunt aliqui postmodum superueniſſe.

Petes. Quinam sint illi duodecim quos S. Egbertus Frisijs erudiendis emisit? Resp. communiter enumerantur hi: Willibrordus, Swibertus, Wigbertus, Acca, Wilibaldus, Winibaldus, duo Ewaldi, Werenfridus, Marcellinus, Lebuinus Presbyter & Adelbertus Leuita. Aliqui omisso aliquo nominatorum apponunt Ingelmundum aut Werwinum vt quidam Cornelius Hornanus Canonicus Regularis in mappa historiali edita Rhenotraiecti anno 1537.

Enumerationes hæ, quarum prior sumpta est ex Pseudo-Marcellino, qui sub nomine S. Marcellini vitam S. Swiberti tradit, turgent difficultatibus quas in particulari iam cogitamus discutere. Willibrordum & Swibertum Egberti fuisse emissarios omnino est certum, adtestante Beda & dubitare nefas. Adelbertum & Werenfridum connauigasse, non suppetit ratio cur dubitemus. De cęteris sit

Dissertatio XXX.

An S. Wicbertus cum Willibrordo transfretauerit in Frisiam.

Asseritur à multis in sodalitio eiusdem aduenientis fuisse Wicbertum & quidē eum qui per oraculū diuinum, detento domi S Egberto, audaciori animo in Frisiam velificauit, ac biennio in sterili prædicatione consumpto in Hiberniam redijt, narrante Beda lib. 5. cap. 10. Eundem Martyrio sublatum à Radbodo

Radbodo Rege in Insula Fostilandiæ. Fidem suam adducunt, non rationem. His plurimum obluctatur ipsa relatio eiusdē Bedę l. 5. c. 10. quę est talis: *At vero vnus de socijs eius vocabulo Wicbertus, cū esset & ipse contemptu mundi ac doctrinæ scientia insignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) ascendit nauem & Frisiā perueniens duobus annis continuis genti illi ac Regi illius Radbodo verbum salutis prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud Barbaros inuenit Auditores. Tunc reuersus ad dilectæ locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cœpit, & quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat.* Quibus verbis, maxime posterioribus, quiuis intelliget Wicbertum illum ex Frisia reducem domi hæsisse, patriæ studuisse, nec amplius Frisiam cogitasse. Secundò, cur alias Beda mentionem non feciſſet reuersionis eius in Frisiam, sicut fecit itionis in eam, & reuersionis ex ea, cum hoc ad materiæ explicationem, ad laudem S. Wicberti plurimum ponderis habuisset? cur gloriam Martyrij eius vel celasset vel ignorasset? 3. Wicbertus ex diuturna infrugifera verbi Dei seminatione sentiebat se non suffragante Deo laborare, id genus vocationis sibi nō destinari, præcedentibus præsertim oraculis quæ Egbertum domi detinuerant & pœne ipsum, qui tamen propria audacia se periculo cōmisit. Cur igitur iterum inuito cœlo se tali operi ingessisset? 4. Verba illa Bedæ initio capitis 11. *Tentauit adhuc* (Egbertus reuerso Wicberto) *in opus verbi Dei mittere illuc Sanctos & industrios*; meritò ingerunt Egbertum alios à se & Wicberto misisse. Cur enim Wicbertum remitteret, à quo fructum non viderat nec sperare dabatur, qui externis prodesse ad fidem non poterat? 5. Si remiserit Wicbertum, cùr ille contemptu mundi ac doctrinæ scientia insignis, qui multos annos in Hibernia

peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat, & quidem ante & diutius quã Willibrordus quantum apparet: qui in prędicatione Frisica iam erat exercitatus, locorum, populorum gnarus, cur, inquam, ille non sit alijs præfectus, prælatus, cur non ipse Dux gregis? Certe Marcellinus, potius Pseudo-Marcellinus, in vita S. Swiberti, cui contrarij maximè innituntur, pronuntians S. Wicbertum inter Comites S. Willibrordi cap. 6. eiusque enarrans in Fostilandia Martyrium cap. 7, non asserit fuisse eundem qui ante Willibrordum in Frisia prædicarat, quẽque cap. 5. è Frisia inglorię remeantem præmiserat: Imo hæc subticendo, aut non exprimendo, contrariũ indicat: cur enim non addidisset eundem, vel simile aliquod relatiuum? Ex his concludo & repeto, venerit non venerit aliquis S. Wicbertus cũ S. Willibrordo, intendo cõtendoque non fuisse illum à Beda commemoratum.

Si lubeat admittere aliquem S. Wicbertum cum illo vnà aduenisse martyriũque in Fostilandia oppetijsse, (quod omnino non nego, potuit namque fuisse binomius, ac sub alio nomine recensęri) habemus eâdem tempestate tres S. Wicbertos Germanicum solum radijs suarum doctrinarum illustrantes. 1. Wicbertum apud Bedam l. 5. c. 10. de quo iam disceptauimus, cuius vitæ exitum ignoramus. 2. Wicbertum Martyrem S. Willibrordi commilitonem. 3. Sanctum Wicbertum Confessorem Abbatem primum Fritislarienssem à S. Bonifacio Germanorum Apostolo constitutum, defunctum anno 747. Cuius vita est in Surio recentiori 13. Augusti quo, die pariter natalis secundi Wicberti celebratur. Talia ornamenta debemus Britannię SS. DD. ad Germanorum fælicitatem prodigæ.

Obseruandum, Pseudo-Marcellinum cap. 5. vitæ S. Swibertiasserere, Egbertum Archiepiscopum Eboracensem,

dum

dum in Frisiam proficisci prædicationis causa cogitaret, & oraculo Diuina detineretur domi, eò misisse Wicbertum canonicum suum, scilicet, Eboracensis Ecclesiæ. Vbi tot pœnè sunt falsa, quot verba: Egbertum qui Frisiam meditabatur & domi cælesti oraculo detinebatur vt Beda narrat lib. 5. cap. 10. non fuisse Episcopum aut Archiepiscopum multo minus Eboracensem supra dissertatione 13. clare est probatum. Quin ea quæ Beda dicto capite narrat, nullo modo convenire Egberto illi qui fuit longo post tempore Archiepiscopus Eboracensis, Anglicanæ euincũt historiæ.

Wicbertum Canonicum in Eboracensi Ecclesia egisse, aut ex Eboraco in Frisiam emissum, apertè etiam refutant verba Bedę ibidem mox prolata, scilicet, Wicbertum fuisse contemptu mundi insignem, multos annos in Hibernia peregrinum Anachoreticam in magna perfectione vitam egisse idque sub aut cum Egberto Presbytero & ab eodem Egberto ex Hibernia in Frisiam esse destinatum.

Pergit inde ille Marcellinus addens post biennij frustraneam Euangelizationem, Wicbertum in Angliam redijsse, scilicet ad suam Ecclesiam, ad suum Archiepiscopum Eboracensem; quod similiter manifeste refellit Beda ibidẽ referens: cum nullum tanti laboris fructum apud Barbaros inueniisset Auditores, tunc reuersum ad dilectæ locum peregrinationis, qui erat in Hibernia, solito in silentio Domino vacare cœpisse & quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis curasse amplius ex virtutum exemplis prodesse. Sed voluit figmentorum fabricator plasma suis membris proportionatum conficere. Quia enim Egbertum Archiepiscopum creauerat, voluit etiam Wicbertum Egberti subditum, siue consocium, canonicum crea-

re. Quos enim Episcopus sub se & in Ecclesia sua haberet nisi Canonicos? quem ex suo gremio potissimum emitteret, nisi Canonicum? Ita falsitas & mendacium etiam quærunt suam conformitatem.

Dissertatio XXXI.

De Acca.

Secundum multos eâdem naui cum S. Willibrordo Frisiæ arua tenet Acca ille S. Wilfridi in Episcopatu Hagulstaldensi successor, Venerabilis Bedę Męcenas. Argumentum nullum video præter iam sępe citatum textum Marcellini, potius Pseudo-Marcellini cap. 10. Vbi est, Accã cum S. Swiberto in Episcopum consecrando perrexisse è Frisia in Britanniam, ibidęque reuertente S. Swiberto detentum, à S. Wilfrido ordinatum in Episcopum Hagulstaldensem. Idem confirmatur cap, 14. Vt nostrum iudicium hac de re aperiamus, placet ipsum Accam ad viuum delineare penicillo ipsiusmet Bedæ in historia Anglicana varijs locis.

Acca à pueritia in Clero Sanctissimi ac Deo dilecti Bosæ Eboracensis Episcopi, (fuit is substitutus in locum S. Wilfridi expulsi) nutritus atque eruditus est. Absolutâ pœdiâ, ad Wilfridum Episcopum spe melioris propositi adueniens, omnem in eius obsequio vsque ad obitum illius expleuit ætatem. Beda lib. 5. cap. 21. Cum Wilfrido Romam venit anno 696. ibidemque apud Sanctissimum Frisonum gentis Episcopum Willibrordum cum suo Antistite Wilfrido morabatur eumque crebro audiebat quæ de mirandis Reliquiis S. Oswaldi Regis, ac Martyris in Britanniæ Prouincia gesta fuerant narrantem, lib. 3. cap. 13.

Romæ

Romæ etiam multa, quę in Patria nequiuerat, Ecclesiæ S. institutionis vtilia, didicit. lib. 5. cap. 21. Wilfrido Româ in Gallias venienti & graui infirmitate detento, fidele ministerium exhibuit, atque VVilfridus visionem quandam de restitutione in pristinam sedem (quæ ipsi à sede Apostolica iam secundò adiudicata est) familiariter aperuit. lib. 5. cap. 20. Ad cælestia translato VVilfrido, Episcopatum Hagulstaldensis Ecclesiæ suscepit pro eo Acca, eius hactenus Presbyter, vir strenuissimus & coram Deo & hominibus magnificus, qui & ipsius Ecclesiæ suæ, quæ in B. Andreæ Apostoli honorem consecrata est, ædificium multifario decore ac mirificis ampliauit operibus. Dedit namque operam vt acquisitis vndecumque Reliquijs BB. Apostolorum & Martyrum Christi, in venerationem illorum poneret Altaria distinctis porticibus in hoc ipsum intra muros eiusdem Ecclesiæ. Sed & historias passionum eorum, vnà cum cęteris Ecclesiasticis voluminibus, summa industria congregans, amplissimam ibi ac nobilissimã Bibliothecam fecit. Nec non & vasa sancta & luminaria aliaque eiusmodi, quæ ad ornatum domus Dei pertinent, studiosissimè parauit. Cantorem quoque egregium nomine Maban, qui à Successoribus discipulorum B. Papæ Gregorij in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersijt, ac per annos duodecim tenuit quatenus & ea, quæ illi non nouerant carmina Ecclesiastica doceret, & ea quæ quondam cognita longo vsu vel negligentia inueterari cœperant, huius doctrina in priscum renouarentur statum. Nam & ipse Episcopus Acca cantator erat peritissimus, & in Catholicæ fidei confessione castissimus. In Ecclesiasticæ quoque institutionis regulis solertissimus extiterat, & vsque dum sua præmia piæ deuotionis acciperet, existere non destitit. lib. 5. cap. 21.

Hic

Hic Acca perhibetur cum Sancto VVillibrordo ad Frisiorum conuersionem transfretasse. Sunt tamen argumẽta non parui roboris quę Accę Apostolatum illum denegant. 1. Quod à pueritia in Clero Sanctissimi Bosæ Eboracensis Episcopi nutritus & eruditus fuerit, quemadmodum pueri olim ad Ecclesiasticum statum destinati, tradi solebant Episcopo, in cuius conventu erudiebantur. Bosa creatus est Episcopus Eboracensis circa annum 679. in locum S. Wilfridi pulsi. Itaque non apparet anno 690, quo Willibrordus transfretauit, Accam habuisse ætatem tanto Apostolatui sustinendo idoneam. 2. S. VVillibrordus eiusque commilitones ante profectionem in Hibernia sub disciplina Egberti Anachoretæ agebant: quomodo enim aliàs potuissent ab illo emitti? Acca verò in Eboracensi Angliæ ditione mansit sub Episcopo instructus & educatus. 3. Ab instructione in Clero Eboracensi venit ad S. VVilfridum iã secundò Cathedra deturbatum anno 693. vel 694. eique deinceps fidus Achates adhæsit. Et quidem immediate ad S. VVilfridum accessit quantum verba Bedæ præseferunt, sicque non relinquitur locus itioni eius in Frisiam. Si inter scholas Eboracenses, & accessum ad VVilfridum intercessissent Apostolatus & quinquennalis siue triennalis prædicatio inter Frisios, non tacuisset Venerabilis Beda, cum ad laudem & vitam Accæ magnum haberent momentum. Simili ratione non siluisset eius regressum ex Frisia cum S. Swiberto eiusque detentionem a VVilfrido. Quarto, ad S. VVilfridum spe melioris propositi aduenies, voluntarium & deliberatũ accessum, spontaneã ministerij addictionem significat: ast hoc non conuenit cum ijs quę supra in textu, scilicet cũ S. Swiberto cõsecrando itineris socium veniisse ad VVilfridum & ab eodẽ

deten-

detentum quasi reluctantem & ad Frisios redire meditantem. 5. Quomodo VVilfrido se sociauit spe melioris propositi? melius propositum non est conuersione Frisiorum VVilfrido adhærere; commutatio est præstantioris propositi in minus præstans.

Impendit quidem meritoriam operam VVilfrido multis molestijs inuoluto, sed, præterquam quod hoc non sit excellentius Apostolatu inter Barbaros, euentuum & molestiarum VVilfridi erat incertus Acca.

Hæc me alienum ab inueterata opinione reddiderunt. Accam aliquem S VVillibrordo adfuisse, potest fieri, sed fuisse de quo Beda, sicuti passim sentitur, mihi non recipitur.

Ad locum Marcellini, qui vnicus est Dux contrariè aientium, Respondeo, Caput illud 10. (taceo interim de toto libro) esse pluribus erroribus respersum, vt non mirandum in Acca esse erratum.

Primus error est. *Ewaldos cum Acca & S. Swiberto consecrando perrexisse in Angliam* anno 695. qui error ex dissertatione sequēti & dissertatione 53. & 54. manifestè apparebit, quibus demonstrabitur conuenas S. Willibrordi eos non fuisse, & martyrium passos anno 693. vel 692: quomodo ergo potuerunt comitari Accam cum S. Swibertoin Angliam anno 695?

Secundus error est, *S. Swibertum perrexisse ad Wilfridum Egberto Archiepiscopo Eboracensi depresso graui infirmitatis incommodo &c.* Insignis fictio & prȩcedenti cacoplasmati bellè proportionata. Quia enim Egbertum Archiepiscopum Eboracensem S. Swibertum socioque ad Frisiam emisisse; Swibertum Abbatem & Canonicum creasse lectori antea proposuerat Author, miratus nunc cur tam Reuerendo adeoque ipsis colendo Præsule prætorito ad VVilfridum

consc-

consecrationis ergô pergeret S. Swibertus, finxit causã ex Vtopiâ allatam, nimirum grauem infirmitatem Egberti. Quis historicè peritus hîc non rideat aut miretur? nullus Archiepiscopus ea tempestate Eboraci sedit, nec vllus VVilfridus siue Archiepiscopus siue Episcopus, quod luce clarius est ex Beda & Anglicanis historijs. Erat autem in Cathedra Eboracensi an. 678. Bosa vsq; an. 687. pulso Wilfrido à Theodoro Archiepiscopo constitutus: dein iterũ pulso Wilfrido ab anno 691. vsque in annum 705. Wilfrido apud Mercios exulante.

Tertius error, *Retento Acca, quẽ in Episcopum Augustaldensis siue Lindisfarnensis Ecclesiæ consecrauit.* Hic pęnè tot vitia, quot verba. Si intelligatur cum Swiberto aut statim post Swibertum Acca consecratus Episcopus, planè falsum est: nã multis annis vsque ad obitum VVilfridi Acca ei adhæsit tanquam Presbyter, in eiusque obsequio mansit comes exilij & peregrinationis. Beda. lib. 5. historiæ. cap. 21.

Consecratum ab ipso VVilfrido Episcopum, ex eodem Beda nullo pacto colligitur, longe potius contrariũ. Cum enim cap. 20. exposuisset obitum S. VVilfridi (qui putatur incidisse in annum 708) cap. 21. asserit: *Anno post obitum præfati patris Wilfridi proximo obijt Adrianus Abbas &c.* & statim post: *Suscepit verò eo anno* (proximo vel etiam post) *pro Wilfrido Episcopatũ Hagulstaldensis Ecclesiæ Acca Presbyter eius vir & ipse sanctissimus &c.* Si anno proximo id est sequenti post obitum S. VVilfridi Acca Episcopatum id est ordinationem seu Episcopalem consecrationẽ acceperit, ergo à VVilfrido non est consecratus Episcopus. Si tum Acca eius Presbyter Episcopatum susceperit, ergo ante obitum VVilfridi solum Presbyter erat Acca, non Episcopus; dixisset aliàs Beda, eius Coepiscopus. Suadet idipsum ratio: nam consecrare Episcopos Britannię de Iure & consuetudine pertinebat

nebat ad Archiepiscopum Cantuariensem, non ad simplicem Episcopum. Consecrauerat quidem S. Wilfridus anno 693. Swibertum, sed ex singulari priuilegio & speciali licentia ob vacantiam sedis Metropolitanę per obitum Theodori: quam facultatem dum Acca fieret Episcopus iam dudum expirasse, vix dubium est reuerso eodem anno Berechtwaldo nouo Archiepiscopo Cantuariensi ex Gallijs, quò consecrationis obtinendæ ergô perrexerat: imo ipsomet Wilfrido multo cum inuidię obiecto ad humilem fortunã redacto, multis prærogatiuis spoliato, vtpote regimine totius Northumbrię & propriâ Eboracensi sede.

Falsum pręterea est Accam fuisse Episcopum Lindisfarnensem, multo magis si accipiatur talis institutus à S. Wilfrido. Vitiosè etiam confunduntur Episcopatus Hagulstaldensis & Lindisfarnensis, quasi vnus idemque esset. Crediderim illum textorem vitæ Swibertinę deceptum ex cursoria venerabilis Bedæ lectione apud quem lib. 4. cap. 12. & cap. 27. habemus S. Wilfridum Episcopum Hagulstaldensem & Lindisfarnensem, ac Eatam simili inscriptione. Arbitratus inde contextor eundem locum, eandem Ecclesiam esse, paribus titulis Accam donat quod Episcopus esset Hagulstaldensis. Verum erro est. Duo loca sunt, duæ Cathedrę Hagulstaldensis & Lindisfarnensis; hæc in Insula Oceani eiusdem nominis: illa in continenti Britanniæ iuxta Thynam amnem. Gubernarunt vt Episcopi simul dicta loca S. Wilfridus & Eata, sed Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis post triennium fugati ab Episcopatu suo S. Wilfridi Ecclesias separauit cuique proprium rectorem ordinans, Tumbertum Hagulstaldensi remanente Eata ad Lindisfarnensem. Idem lib. 4. cap. 12. & exinde separatæ perseuerarunt succedente postea Di-

no Cuthberto in Lindisfarnensi, Eata Episcopo Hagulstadensi adhuc viuente. idē l.4.c.18. Eatæ verò defuncto successit in Hagulstaldensi Ioannes vir Sanctus, de quo idem Beda l.5.c.2.& sequentibus. Cuthberto in Lindisfarnensi succenturiatus est Eadbertus circa annum 690. idem lib. 4. cap. 29. Ac tandem anno 731. Edilwaldus Episcopus est Lindisfarnensis, Acca Hagulstaldensem Pontificem agente; de quibus idem Beda lib. 5. cap. vltimo Chronicō suum ad annum 731. finiens: *At verò*, inquit, *Prouinciæ Northumbrorum, cui Rex Ceoluuf præest, quatuor nunc Episcopi Præsulatum tenent. Wilfridus* (est is alius à superiùs nominato) *in Eboracensi Ecclesia, EdelWaldus in Lindisfarnensi Ecclesia, Acca in Hagulstaldensi Ecclesia, Plechelmus in ea quæ Candida Casa vocatur, quæ multiplicatis fidelium plebibus in sedem Pontificatus addita, ipsum primum habet Antistitem &c.* Quibus verbis vitæ Swibertinæ contextor clarissimè redarguitur. Attende nunc Lector quam debili scipioni innitantur qui Accam illum Hagulstaldensem Pontificem S. Willibrordi conuenam eunt creatum. Non solum caput iam citatum vitiosum est, sed totus liber corruptissimus est erroribus scatens. Anno 1622. dum in illum commentarer, non dubitaui Pseudomarcellinum appellare, quem titulum postea vidi tributum eidem à Ioanne Herwerto Bauariæ Ducis Cancellario citante Gretserum quiisti Pseudomarcellino laruam detraxerit: Plures eius lapsus in decursu huius operis detego ex commentarijs à me confectis, quos mihi seruo. Dolendum eruditissimis viris imposuisse dum bona fide sine examine ei se crediderūt; quos tamen non fugillo; non enim eis propositum fuit singula particularia ad amussim discutere, nec alijs istam operam inuiderunt.

Appen-

Appendices duæ ad superioris Dissertationis & nostratium historiarum pleniorem intelligentiam.

PRIMA.

De Hãgulstaldensi & Lindisfarnensi sedibus.

HÆc nomina in vitis nostrorũ Sanctorũ non semel occurrunt. Haugulstaldehẽ secundũ Malbesburiens. de gestis Pontificum Anglorum lib. 3. vocatur locus 5. ab Eboraco milliaribus disparatus: fisco Regio famulabatur, quando eum Sanctus Wilfridus ab Etheldritha Regina pro alijs possessionibus commutauit. Vrbs fuit in regno Northumbriç magnificis ædificijs superba & Romæ æmula. Statim post annum 664. ibi est constituta sedes Episcopalis, quam primus rexit S. Wilfridus simul regens totam Northumbriã. Circa annum 681. cœpit proprios & distinctos ab Eboracẽsi & Lindisfarnensi habere Pastores, quemadmodum in proximâ dissertatione est scitum, fueruntque numero 11. vsque ad annum 840, quo tempore Dani, quos alij Nortmannos vocant, frequentibus incursionibus ingentem vastitatem toti Britanniæ attulerunt, ex qua secuta est extinctio Episcopatus Hagulstaldensis siue Haugulstaldensis, ditioque cum aliquot alijs cessit in Iurisdictionem Episcopi Eboracensis. Malmesburiensis supra de suo tempore agens: *Nunc*, inquit, *Haugustaldem villa est Archiepiscopi Eboracensis.* Verùm Franciscus Godwinus nouitius Scriptor Episcopus Landauensis ex numero Protestantium in Britannia

tannia, narrat per tumultus Danicos Regionem Haugulstaldensem cessisse in ditionem Episcoporum Eboracensium donec post aliquot sœcula Carleoli constituta est sedes, indicans Haugustaldem posterioribus ætatibus fuisse adiectum & subiectum Episcopo Carleolensi. Addit Godwinus Haugustaldem hodie vocari Hexham, olim Axelodunum Romanis celebratum.

Lindisfarne est locus circa limites Angliæ & Scotiæ, ad orientem in dextro Britanniæ Insulæ littore, qui bis in die incitante se æstu, quod toties accidit, semper duodecim horarum spatio aquis circumquaque cingitur, adeo vt plane Insula fiat; Idemque recedentibus pari temporis spatio vndis, remaneat reliquæ terræ coniunctus atque siccus. Circuitus est circiter trium millium passuum. Hodie Angli vocant Holy Island id est Insulam sanctam, quod ibi S. Aidani ac aliorum DD. corpora sepulta sint. Circa annum 634. nacta est primum Episcopum S. Aidanum, cui succesſere Finanus, Colmannus &c. Deinde administrata fuit aliquo tempore ab Episcopis Eboracensibus Ceadda, S. Wilfrido, nonnumquam ab Hagulstaldensibus. Sed anno 681. rursus peculiarem ei pastorem ordinauit Theodorus Archiepiscopus Cantuarienſis, manſitque hoc modo sui Iuris vsque ad annum 883; quo tempore Lindisfarne à Barbaris deuastatâ in oppidum Cestrienſe Dunelmo proximum sedes siue habitatio Episcopalis Lindisfarnensis transfertur, titulum Lindisfarnensis Ecclesiæ Episcopis continuo gerentibus, sicuti Episcopi Tungrenses desertis Tungris Traiecti ad Mosam commorantes. Elapso sæculo plus minus ex Cestria Dunelmum cum corpore S. Cuthberti Cathedra demigrat, sopiturque paulatim titulus Lindisfarnensis; & hodie dicuntur Episcopi Dunelmenses siti in Northumbria.

Obser-

Obseruandum diligenter (cuius inaduertentia aliquos in errores coniecit) aliam esse Insulã Farne, aliam Lindisfarne, sicut distinguunt eam Beda lib. 5. cap. 1. & Polidorus Virgilius lib. 4. historiæ Anglorum. Item aliam esse Prouinciam & Episcopatum Lindisfarorum, & Lindisfarnensium iuxta eundem Bedam lib. 4. cap. 12. & lib. 5. cap. vltimo; vbi vtriqúe diuersi Episcopi enumerantur.

APPENDIX SECVNDA.

De Acca Episcopo Haugulstadensi.

ACcam viuum suis coloribus ex Beda dedimus.

Mortuum anno 740. postquam viginti quatuorannis infulas gessisset, tradunt Chronica Anglicana. Hîc oritur difficultas, quomodo si anno 740. obierit, tantum numerentur 24. anni gesti Episcopatus, cum anno 709 fuerit factus Episcopus: ab anno autem 709. vsqúe 740. excurrant ad minimũ anni 30; triginta ergo annis Episcopatum rexit. Resp. Ne quenquam peccati condemnemus, conciliari hæc possunt, scilicet, terram deseruisse anno 740, & dictos viginti quatuor annos Infularum solum comprehendere & æquare annos quibus actu Haugustaldensem Cathedram rexit; reliquos vsque ad 30, esse eos quibus ab Episcopatu suo fugatus exul vixit, ideoque sileri. Deturbatum ab Ecclesia fuisse ex Anglicis Chronicis accepit Malmesburiensis supra, expulsumque post obitum Bedæ triennio, incertum an regressum, vide etiam

Nicolaum Harpsfeldium sæculo octauo cap. 22.

Altera difficultas occurrit. Hector Boetius lib. 9. rerum Scoticarum scribit Accam Episcopum Candidæ Casæ; & quidem de nostro Acca Haugulstaldensi eum intelligit non nemo scriptor. Contra, Omnes Historici Angliæ Accam agnoscunt solum Episcopum Haugulstaldensem, non Candidæ Casæ, nec vllus eorum inter Episcopos Candidæ Casæ aliquem Accam nominat. Quid agemus? Reuse erit Hector? non hoc fiat præpropere. Dici potest Accam Hectoris esse alium ab Acca nostro; facile enim est eiusdem nominis diuersos reperire. Quod verò Historici Angli nullum Accam in Candida Casa recensent, non mirum, cum solum recensent Episcopos quos habuit Candida Casa, postquam prorsus dignitate Episcopali priuata, nouiter est pristino honori restituta; quod contigit non longè ab anno 730. dato illi Episcopo Plechelmo, à quo solo Angli Catalogum Episcoporum Candidæ Casæ ordiuntur, cum tamen tam ex Hectore, quã Alcuino, cuius Epistolæ ad fratres Candidæ Casæ fragmenta profert Malmesburiensis supra in ijsdem Episcopis, constet, Sanctum Nimam siue Nimianum ibi primum Euangelium prædicasse & Episcopum fuisse. Quid vetat & nos addere aliquẽ Accam successorem? sicut Harpsfeldius ibidem commemorat quendam Enubertum ad annum 698. Si hoc non arrideat, & placeat Accam Hectoris & nostrum in vnum eundemque copulare, Secundo, dic Accam Haugulstaldensem è diocesi sua profugum in Candidam Casam se recepisse, ibidem munera Sacerdotalia & Episcopalia exercuisse, ideoque loci titulum Episcopalem meruisse, quamuis propriè isti loco non fuerit ordinatus Antistes. Sic Sanctus Swibertus Werdensis audit Episcopus, Sanctus Wilfridus exul, Merciorum. His contentus maneo donec

nec quid certius eluceſcat.

De tranſlatione corporis S. Accę, de ſignis ſanctitatis poſt mortem, conſuleRogerium Houeden priore parte Annalium in principio, Molanum in natalibus SS. Belgij, Harpsfeldium ſæculo octauo cap. 22.

DISSERTATIO XXXII.

De duobus Ewaldis.

ET hi eodem velo portum Wiltaburgenſem ſubierunt ſecundum textum Marcellinianum eiuſque ſequaces. Reclamat verò Beda lib. 5 cap. 11. qui poſtquam enarraſſet emiſſionem, profectionem duodecim (Willibrordi & ſociorum) in Friſiam, eorum diuergium ad Pipinum, remiſſionem in Friſiam, ſubiungit: *Horum* (Willibrordi, ſcilicet, ſociorumque) *ſecuti exempla duo quidam Presbyteri de natione Anglorum, qui in Hiberniamulto tempore pro aternâ patria exulauerant, venerunt in prouinciam antiquorum Saxonum ſi forte aliquos ibidem prædicando Chriſto acquirere poſſent: vterq; vocabatur Ewaldus.* Hîc ſeparatim & diſtinctim numerantur à Willibrordo eiuſque ſodalibus, ſeparata etiam eorum profectio, vt & actus: ſecuti narrantur exemplum Willibrordi eiuſque ſociorum; non ergo fuerunt inter illos duodecim, fuerunt præter illos, poſt illos venerunt attracti eorum præuio exemplo. Secundo, Venerunt in prouinciam antiquorum Saxonum id eſt Weſtphaliam, non Friſiam quò alij venerunt. Aliam prouinciam, aliud iter elegerunt. Nec apud Bedam in eorum actis aliquod veſtigium communicationis cum Willibrordo apparet.

Ter

Tertio. Alios socios suæ professionis aut cooperatores habuerunt, inter quos vnus Tilmon Monachus intra Willibrordi collegium nusquam notus. Vide Bedam ibidem & Miraum in Fastis Burgundicis & Belgicis 3. Octobris. Quarto. Quantum ex eodem Beda est colligere, Ewaldi primo ingressu in antiquam Saxoniam adeoque primo anno sui aduentus Martyrio affecti sunt; omnium verò consensu hoc accidit anno 693. vel 692; ergo non aduenerunt cum Willibrordo anno 690. Confirmatur. Quia socij S. Willibrordi eius exemplo non sunt profecti, sed simul cum ipso; instigatione, electione & directione S. Egberti iter inierunt. Beda ibidem.

Nostræ sententiæ est Trithemius in compendio Regum Franciæ, vbi agens de Clodouæo succedente Theodorico defuncto iuxta ipsum anno 693, pergit: *Quo anno* (primo Clodouæi, Christi 693. vel, si placet, 694) *duo Ewaldi albus & niger monachi & Presbyteri venientes de Anglia in Saxoniam Martyrisantur.* Afferit primo anno Clodouæi & venisse ex Anglia & Martyrisatos; venerunt ergo post Willibrordum.

Adiuuat etiam hanc Walterus Roleuinck Author Historiæ dictæ Fasciculus temporum qui in Carthusia Colonienſi pietate & eruditione egit vltra annos quinquaginta multis scriptis famosus. Is in Fasciculo temporum aduentum Ewaldorum ex Anglia in westphaliam, & adventum S. Willibrordi cum socijs in Frisiam, separatim, distinctis locis & tanquam duos diversos enumerat.

Idem plane sentit Nicolaus Harpsfeldius si attente legatur his verbis: *Præclarũ Willibrordi in propagando Euangelio stu diũ* (quo iã cũ Wicberto in Frisia erat occupatus vt in precedentibus verbis legitur) *multi alij in exemplũ traxerunt. Inter quos erãt Hewaldi qui diu è patria in Sãcta illa societate Willibrordi*

(in

(in Hibernia scilicet sub Egberto è qua S. Willibrordus iã exierat in Frisiã) *voluntarie exules degebant. Pietate inde producti, Saxoniã adierunt &c.* post S. VVillibrordũ ergò eiusque commilitones profecti.

Textum Marcellini, qui maximum & fere vnicum est fulcrum aliter sentientium, nihil moramur: censemus enim, vt supra, non esse S. Marcellini, sed potius cuiusdam longè recentioris Pseudo-Marcellini qui specioso Sancti Marcellini titulo sua commenta venditauit. Timuit anguem in herba Doctissimus Molanus, dum ex dicto textu narrans, non affirmans, duos Ewaldos recenseri inter socios S. Willibrordi, adiungit: *Quamquam Beda narrare videatur eos post quam multo tempore in Hibernia pro æterna patria exulauerant, secutos esse exempla duodecim primorũ*, scilicet Willibrordi & vndecim reliquorum. Difficultatem videbat Molanus, & non ausus illum Marcellinum negare, causam in medio relinquit. Nec mirum; non enim ei propositum erat singulas SS. Historias exacte discutere, præcipuè studebat Natales SS. Belgij congerere & in certum ordinem redigere, quod fæliciss.è præstitit.

DISSERTATIO XXXIII.

De Wilibaldo & Winibaldo.

ETiam Wilibaldus primus Episcopus Aichstadensis, & Germanus eius frater Winibaldus Abbas Heydenheymensis cum S. Willibrordo mare sulcantes in Frisiam exscensionem fecerunt anno 690. iuxta citatam Historiam S. Marcellino inscriptam.

Verum personato illi Marcellino soccum & cothurnum

hîc detraxerunt Iacobus Gretserus lib. de Sanctis Aichstadensibus, Henricus Canisius, Mathæus Raderus de S. Bauaria, & Doctissimi quique Apocalipsim illā recipiunt, vt Cancellarius Bauariæ Herwertus, Garnefeltius, Miræus &c. Ne igitur in re sat manifestata rationibus, quas in commentarijs ad Marcellinum contra Marcellinum aliquando congesseram, Lectorem remorer, solum producā Antonium Democharem qui ex tabulis Ecclesię Aichstadēsis fideliter depromptis adstruit, Wilibaldum primum Episcopum Aichstadensem S. Richardi Anglorum Regis & S. Bonnæ Bonifacij primi Archiepiscopi Moguntini sororis filium ac fratrem S. Winibaldi Abbatis primi Salsbergensis à S. Bonifacio consecratum in cænobio Turingię Salsbergensi an. 745. cum esset annorum 41. presedisse verò annis 36. obijsse 781. ætatis suæ 77. sepultum in Ecclesia Aichstadensi. Hinc sequitur Wilibaldum cum Sanctus Willibrordus anno 690. huc se contulit, nondum in lucem fuisse editum, ac primò natum anno 704.

Pergit Democharis; venisse è Thuringiâ ad fratrem Episcopum Winibaldum anno 750. qui vtriusque sexus cænobium Heydenheymense in illis partibus construxit & ibi Abbas vitam Religiosissimam perduxit ac sororem S. Walburgē noui cænobij Heydenheymensis præfecit Abbatissam congregationi Sanctimonialium. Præfuisse verò Winibaldum Abbatiæ Heydenheymensi annis decem, obijsse anno 760. ætatis 60. sepultum in eodem cœnobio. Hinc similiter collige, non nisi post adventum Willibrordi mundo productum Winibaldum, scilicet anno 700. & hos cum S. Willibrordo ex Hibernia ad Frisiī velificātes facit Marcellinus; ambulantes antequī viuerent, Doctores antequam discere poterant.

Molanus in Wilibaldo & Winibaldo recitat quidem ex

tex-

textu Marcellini eos cum S. Willibrordo aduenisse, attamẽ statim pòst dubium proponit & dubium relinquit. Alij, inquiens, eos referunt ad tempora paulo posteriora, Bonifacij scilicet eorum Auunculi, & aliter narrant historiam. Quorum fortassis concordiam ab Eijstatensibus dari posse. Ita ille. Verum frustra concordia ab Aichstadensibus imploratur à quibus inueterata falsitas per personatum siue corruptum Marcellinum causata, clarè manifestatur.

Nota hic 1. Molanum Wilibaldum Episcopum seniorẽ habere Winibaldo Abbate contra Democharem apud quẽ Winibaldus est natu maior. Difficultas tamen hæc non difficilis est conciliatu: nam (omitto quod propter omnimodam similitudinem nominum facile vitio typographiç per transmutationem vnius litteræ in aliam Winibaldus & Wilibaldus confundantur) alia atque alia ratione vterque potest dici senior: Winibaldus quia prior tempore auram vitalem hausit, Wilibaldus quia tempore prior laborauit in Aichstadensi prouincia ad quam accessit VVinibaldus frater.

Secundò, propter Authoritatem & dignitatem Episcopalem, cui subiectus erat frater.

Tertiò, & propriùs, quia Wilibaldus 20. annis fratri suo supervixit maioremque senectutem adeptus est.

Nota 2. Willibaldum intitulari Episcopũ Aichstadensẽ, Aureatensem, Eijstatensem, quæ tria idem inportant. Nam Aichstadensis Episcopatus nominatus etiam est Aureatensis ab Aureato vetussima vrbe quam Hunni vastarunt ad Almonum siue Altimulam amnem Norici sinus. Cum verò Wilibaldus ad dictum amnem excisa quercu cœnobium institueret, ad illud certatim vndequaque vt Religiosorum hominum consuetudinem assequerentur, mul-

ti accurrerunt, ac ibi iuxta monasterium sibi tuguriola ædificarunt, quæ cum muris & fossis monasterio inclusissent Wilibaldus Episcopus, appellauit id oppidi ab excisis quercubus Aichstadium, quasi oppidum ad eradicatas quercus conditum; & inde corruptè processit Eijstadium & corruptiùs Eeistretense.

Dissertatio XXXIV.

De Lebuino siue Leuino.

Similiter Lebuinus, qui à Gregorio tertio Vltraiectinorum Antistite ad Transisalanos Euangelizatum est directus, cum S. Willibrordo portum Wiltaburgensem subijt anno 690. Ita multi ex eodē Marcellino.

Sed non ego credulus illis.

Longè aliud loquuntur acta Lebuini siue Liafwini (diuersimodè enim scribitur) apud Surium ex Hucbaldo, apud Miræū ex Othelgrimo per Christophorum Brouuerum Societatis IESV edito. Verba Othelgrimi sunt: *Temporibus Gregorij 3. Vltraiectensis Episcopi venit & alius homo sactus Liafwinus Domino vocante adductus. Etenim referebat trina omnipotentis Dei admonitione terribiliter se exire iussum vt illo in loco & illis gentibus miseratoris nostri Euangelium prædicaret, petijtque à Gregorio demonstrari sibi locum diuinitus commendatum. Gaudens ille de Diuina clementia, direxit eum in confinium Francorum & Saxonum iuxta fluuium Isala ad locum qui dicitur Dauentre, dans ei comitem & cooperatorem verbi Dei Seruum Domini Marchellum & ipsum ex Anglorum genere à S. Willibrodo à pueritia e-*

nutritum. Ibi cum Ecclesiam construeret, plurimos conuertisset ad Dominum, sanctam animam reddens Domino locum illum suo honorificauit corpore.

Vides hîc nullam mentionem fieri Frisiorum, Willibrordi, Swiberti aliorumque sodalium, nullam mentionē Egberti Asceticæ in Hibernia, exitus ex eâ, quæ tamen characteres sunt conuenarum Sodalium S. Willibrordi. Similiter loquitur Hucbaldus post multa acta Lebuini prolixe descripta: *Exiens de terra & cognatione sua* (Lebuinus) *post habitâ Insulâ Anglorum euectione nauali Traiectum petijt Castrum Wiltenburgum antiquitus dictum, modo verò* Traiectum, *vbi reperiens quendam Venerabilem Virum nomine Gregorium ex nobili Francorum sanguine procreatum à B. Bonifacio Archiepiscopo olim à pueritia nutritum, exposuit ei omnem suū peregrinationis sibiq; cōmissæ prædicationis textum. Adhibuit quoq; illi Abbas Gregorius socium prædicationis inter Francos & Saxones quendam Venerabilem virum ex discipulis S. Præsulis Willibrordi nomine Marcellinum.* Vides hic etiam nullum indicium exhiberi aduentus in Frisiam cum S. VVillibrordo, ac proinde Lebuinum non esse numerandum inter conuenas S. VVillibrordi: cur enim qui adeo accuratè cursum vitæ Lebuini depingit, quiq; S. Lebuino contemporaneus, si Possevino credimus, certe eius tempori propinquus aut proximus fuit, tam nobilem Apostolatus gloriam suppressisset in tanta præsertim dicendi opportunitate, ne dicam necessitate? Cur in historia sua Hucbaldus 60. & vltra annorum (tot enim effluxerunt ab aduentu S. VVillibrordi in Frisiam vsque ad aduentum Lebuini, quibus non potuit multa præclara non egisse Lebuinus) cur, inquam, tot annorum hiatum in sua Historia reliquisset Hucbaldus qui longè minutiora consectatur? Non fuit talis Hucbaldus: longè aliud prę

se fert. Imo exhibitis Lebuini pueritia, studijs, Clericatu, Presbyterio, statim subiungit eius profectionem ad Gregorium, dans cognoscere accepisse Presbyteratum sub tempora Gregorij Episcopi circa annum 750. non autem sub tempora S. VVillibrordi ad Frisiã nauigantis: venisse ad Gregoriũ vigente ætate & florida, qualẽ nõ potuit habuisse, si cum VVillibrordo ad Frisiã antè nauigasset. Claruit verò Hucbaldus an. 925. sub Balderico 15. Vltra. Prçsule.

Idem Hucbaldus describens breuiter curriculum vitæ S. VVillibrordi eiusque profectionem in Frisiam, ne minimum signum dat comitatus aut cõmunicationis Lebuini cum illo: Imo nec cum Bonifacio eius successore, cuius acta etiam breuiter percurrit. Tota verò historiæ facies VVillibrordo in Frisiam pergente nondum natum fuisse Lebuinum ostendit, tantùm abest vt cum illo in Frisiam profectum profiteatur.

Denique secundum eundem Hucbaldum Lebuinus semper in Anglia est versatus, ex Anglia immediate huc applicuit: de exilio in Hibernia, de Egberto, de missiõe ab ipso, ne hilum apparet: socij autem S. VVillibrordi omnes ante Frisicum iter in Hibernia agebant, sub Egberti disciplina poliebantur, ab ipso sunt emissi.

Erit forsan qui sentiet Lebuinum bis venisse in Frisiã; primò cum S. VVillibrordo. 2. sub Gregorio tertio Prçsule. Verum hoc plane excludunt verba Othelgrimi. Cur enim non dixisset reuersum fuisse ad opus Apostolicum quod intermiserat? Cur omnem prædicationẽ sub VVillibrordo ignorasset aut silentio compressisset? Dignior res est, quam vt prætereatur. Multo magis talem sententiam aut conciliationem respuit Hucbaldus, vt mox est visum. Accedit Ratio. Nam si Lebuinus ille συνερχόμενος S. VVillibrordo fuerit, erat anno 690. ad minimum 30.

ant

aut circiter annorū vtpote Presbyter, vir strenuus & cōsequēter Gregorio Episcopo, qui cœpit regere circa an. 750. & plenè successit anno 755. erat facilè nonagenarius. Aſt quis credet hominem annis grauissimum, senili corpore, ex Britannia per duras, periculosas, & longinquas nauigationes in Frisiam aduolasse, inter Barbaros, vbi sudoris molestię & periculi omnia erant plena, sub inassueto solo laborare cœpisse. Talis quidem ætas insolita non est, verum in tali ætate proficisci ad adeo ardua & negotiosa opera, prorsus est insolitum. Christus ipse non tam senes Apostolos emisit, sed longè iuniores.

A nobis aperte stat Leydensis lib. 4. Chronici Belgici cap. 8. aiens; *Circa hæc etiam tempora*, Gregorij nimirum, *claruit in Anglia quidam nobilis Adolescens de prosapia nobili ibidem oriundus Lebuinus nomine*: Floruit, inquit, tempore Gregorij Adolescens Lebuinus; non ergo iuit in societate S. Willibrordi anno 690, quia tum circa tempora Gregorij habuisset ad minus 80. annorum ætatem, senex, non adolescēs. Imo sequitur proficiscente S. Willibrordo natum nondum fuisse, quia fuisset ad minus 60. annorum Gregorio Pontificatum inchoante, non Adolescens.

Mallem ego statuere duos Lebuinos: vnum S. Willibrordi comitē: alterum sub Gregorio aduenientē, quemadmodum tanquam de distinctis loquuntur Ioannes Becanus, Heda & Leidensis cap. 8. lib. 4. & cap. 40. lib. 2.

Nota apud Leidensem cap. 8. lib. 4. à Gregorio Episcopo mitti ad partes Isalanas cum' quodam B. Willibrordo quendam Lyfwinum, alium à dicto Lebuino, qui Lyfwinus obijsset in Oldensee. An sit error in re, an in nominibus, aut in vtrisque, mihi non liquet & alijs relinquo.

Nota 2. Verba illa Hucbaldi: *Lebuinus nauali electione*

aut

aut Traiectũ petijt, vbi reperiens quendã Venerabilem virum nomine Gregorium &c. Presbyterum, sed tunc pro tempore Episcopalis officij in eodem castro (Wiltenburch) *vel etiam Parochia Vicarium &c.* Vbi intellige S. Bonifacium stante contentione Ecclesiæ Traiectensis cum Colonienſi & quod ipse sępe longè abesse cogeretur, substituisse sibi Vicarium Traiecti Gregorium cum subdelegata potestate suæ legationis ad defensionẽ Ecclesiæ; ac simul Eobani Episcopi auxiliarium. Quem Gregorium postea dum in Frisiam vltimò pergeret secum assumens Eobanum, in eius locum substituit Ecclesiæ Traiectensis fixum Antistitem, adeoque S. Bonifacium vsque ad vltimum vitæ administrationem Episcopatus Vltraiectini retinuisse, eidemque immortuum anno 755. vide dissertationes 150. & 151.

Nota 30. teste Guilielmo Heda Baldericus 15. Vltraiectẽsis Episcopus diuina reuelatione corpus S. Lebuini inuenit & de terra leuatũ altiore & honorificẽ iore loco condidit. Bernulpus 20. eiusdem Ecclesiæ Episcopus apud Dauentriam instaurauit templum D. Lebuini, vbi & partem Canonicorum ex Ecclesia B. Mariæ Traiectensis, (quæ S. Saluatoris nunc dicitur) transmisit, assignans ex bonis dictæ Ecclesiæ, quæ admodum opulenta erat, quibus perpetuò illic Deo militarent.

DISSERTATIO XXXV.

De Marcellino.

NOminatus Marcellinus D. Lebuino in partẽ Apostolici operis ad Isalanos donatus à Gregorio Episcopo etiã in Willibrordiana naui anno 690. in Frisiæ arua aduolauit. Quis dubitabit? ipse Marcellinus sibi

sibi testis est in prologo ad vitam S. Swiberti Gregorio Episcopo suo dicatam.

Crederem equidem, nec hæsitarem, si scriptum illud illibatam fidem teneret & tot vulneribus Alytheæ inflictis seipsum non interimeret. Quare pariter sentio Marcellinum illum (alij Marchellum, alij Marchellinum scribunt) qui D. Lebuino ad partes Transisalaniæ est socius adiunctus, non adueniſſe in Frisiã anno 690. cum S. Willibrordo; superueniſſe vero posteriùs, quemadmodum plurimi Apostolis ex Anglia emissis & peregrè prædicantibus superuenerunt, eratque perpetua communicatio Britannorum, qui inter externos laborabant, & eos qui in Britannia hærebant; quod clarissime cernitur ex litteris S. Bonifacij qui ipsemet ex Anglia Vltraiectum ad magisterium S. Willibrordi iuit non semel, & rediuit. In sententiam meam me ducunt verba illa Othelgrimi: *Dans ei* (Lebuino) *comitem & cooperatorem verbi Dei seruum Domini Marchellum & ipsum ex Anglorum genere à S. Willibrordo à pueritia enutritum.* Nam vbi enutritus in pueritia à S. Willibrordo Marcellinus? in Anglia? in Hibernia? certe nec in Anglia, nec in Hibernia; nam ibidem S. Willibrordus met puer & adolescens continuò sub magisterio, sub nutritore egit: in Anglia, sub Abbate Rhipensi; in Hibernia, alieno solo, sub Egberto. Sui iuris ibi non erat S. Willibrordus, quomodo potuisset enutrire Marcellinum à pueritia? Confirmatur; quia socij S. Willibrordi omnes erant instituti & enutriti ab Egberto, non à Willibrordo; omnes pœnè erant æquales: omnes viri Sancti & industrij (ita socios S. VVillibrordi nominat Beda) imo in emissione versus Frisiam, aliqui erant seniores S. VVillibrordo, vt S. Swibertus; non ergo ille Marcellinus, qui iter cum S. VVillibrordo arripuit anno 690. enutritus fuit à pueritia à S. VVilli-

brordo, forsan fuit senior, ad summum enutritus fuit cum S. VVillibrordo, non ab ipso. Satius itaque dicas S. Marcellinum S. Lebuini commilitonem fuisse in pueris enutritum à S. Willibrordo in Episcopio & in scholis Vltraiectensibus iuxta morem istius ęui, quo episcopi summam curam gerebant scholarum & scholarium, præsertim eorum qui ad Ecclesiæ ministerium ordinabantur. Pueros recipiebant in Ecclesijs Cathedralibus, quæ monasteria appellabantur, quos in omni eruditione & virtute promoueban t, eorum opera in Ecclesiæ ministerijs vtebantur. Idem factum in Ecclesia Vltraiectensi sub S. VVillibrordi cura, sub qua etiam politus est Sanctus VViho postmodum primus episcopus Osnaburgensis. Sane etiam consueuisse Britannos ad scholas Episcoporum eos, qui ex Britannia in externas Regiones aduenerant, pueros transmittere, docet Epistola 5. Bonifacij. Quare inter duodecim illos viros Sanctos & industrios à S. Egberto in Frisiam destinatos non numerandus ille Marcellinus siue Marchelmus à pueritia per S. VVillibrordum enutritus & Lebuino cooperarius datus. Accedit ratio: quod si ille Marcellinus in numerum dictorum duodecim veniisset, iam Gregorio Pontificante & emittente nonagenarius exstitisset. Ast cui facile in animum inducetur hominem senectute grauem, venerabilem, laboribus plurimis per sexaginta annos defunctum, adiungi cooperatorem tanquam minus principalem alteri longe iuniori & quasi præcipuo Actori? potius Lebuinus debuisset Marcellino adiungi. Fuisse aliquē Marcellinum Sancto VVillibrordo συνερχόμενον non coinficias, solum non esse eundem ipsum de quo Hucbaldus & Othelgrimus. Timeo ex homonymia apud Authores ortas esse confusiones. Ipse Ludgerus in Epistola ad Rixfridum Episcopum Vltraiectensem plane insinuat S. Marcel-

Marcellinum S. Willibrordi conuenam & sodalem diuersum esse ab illo qui cum Lebuino in Isalanos sub Gregorio iuit: nam alios comites & collaboratores illi adscribit nulla facta mentione Lebuini, quam tamen Ludgerum oportuit feciſſe si Lebuinus erat principalis operator, quemadmodum eius vita ostendit. Contra, Hucbaldus, Othelgrimus, Commilitones Lebuini nominantes, solius Marcellini meminerunt nullos alios agnoscentes. Apud Ludgerum Marcellinus Dux & caput sociorum: apud Hucbaldum, Othelgrimum, Marcellinus tanquam inferior & accessorius proponitur.

Confirmatur denique nostra opinio ex eodem Hucbaldo, qui ait Gregorium Lebuino adhibuisse socium Marcellinum virum venerabilem, vnum ex discipulis S. Willibrordi. Ast Marcellinus S. Willibrordi comes anno 690. non erat discipulus S. VVillibrordi, erat discipulus Egberti, erat Presbyter, vir sanctus & Industrius, erat Coapostolus, cooperator, collega & confrater S. Willibrordi; alius itaque est ab eo qui Lebuino socius est additus.

Ad testimonium ex Marcellino ad nauseam citato & citando non opus multis respondere, cum scriptum illud vel nullius vel exiguæ fidei sit. Sanctum Marcellinum SS. Willibrordi & Swiberti Symmistam composuisse stylo eorundem acta, quemadmodum Rixfridus Episcopus affirmat & testatur, admitto: ipsius verò esse quod apud Surium prima Martij & passim sub nomine S. Marcellini producitur, nego. Est longè recentioris & quantum iudico, ad summum ducentorum annorum, quandoquidem nec Becanus, nec Leidensis, nec alij Scriptores ante æuũ decimum quartum istius textus vnquam recordentur, nũ-

quam nominent, citent aut sequantur, ei contraria aliquãdo tradant, aliàs procul dubio adeo vetustum & oculatum testem veneraturi, tam celebrem Authorem non ignoraturi qui Hollandiæ, Vltraiecti scrinia diligentissime peruestigarunt.

Vbinam remanserint aut lateant S. Marcellini elucubrationes, ignoratur. A doctis viris toto orbe sunt quæsitæ & quęruntur & nondum inuentæ. Existimo ego frequentibus Normannorum excursionibus Germanicas Gallicasque ditiones depeculantibus omnino interijsse. Vastã antiquorum monumentorum solitudinem eæ pepererũt, vnde ortæ priscorum actorum extrema ignorantia & incertitudo. Posteri, qui amissa siue obscurata Sanctorum gesta manifestare amarunt, suas meditationes, probabiles cogitat iones in medium adduxerunt, sua glossemata vendiderunt: aut dum ex varijs ea colligere & concinnare studuerunt, vbi nominum locorumque similitudinem inuenêre, vna eademque reputantes cum diuersa essent, mirum chaos inuexerunt, additis celebrium Authorum speciosis titulis; quod sæpe citatæ vitæ S. Swiberti sub nomine S. Marcellini euenisse, omnino persuasum habeo; vt merito recolamus illud doctissimi Molani tractantis vitam S. Odiliæ Gallobrabantæ (quæ procul dubio commixta est ex vita Odiliæ, potius Adeliæ, Brabanticæ & Odiliæ seu Othiliæ Germanicæ) aientis: *Debemus hoc frequentibus vastationibus, & potissimum iusto Dei iudicio quod quorundam Sanctorum vitæ historia prorsus interciderit, & quorundam probabiliter tantum exstet. De quibus tum certam demum habebimus notitiam quando cum eis facie ad faciem Dominum videbimus.* In Natal. SS. Belgij 30. Iunij.

DISSER-

De reliquis S. Willibrordi consodalibus & cur plerique lateant,

RElíquos connauigatores, scilicet VVerenfridum, Adalbertũ, quoniã de ijs ex antiquis scriptis aut iustis rationibus nõ suppetit sufficiẽs dubitandi ratio, S. Willibrordo omninò relinquimus. Cũ eo enauigasse vndecim sodales, nõ negauimus, nec negamus, imo affirmãus; negamus tantum fuisse eos (etiã si forte eiusdem nominis fuerint) quos inueterata multorum habet narratio.

Sed quęres; vbi manserint cęteri veri eius consodales? cur adeo obscuri? cur adeo ignorati? Solutio est difficilis in tanta antiquorum monumentorum macie. Mihi diu cogitanti tanquã probabile occurrit fuisse illos statim à ductore suo dilapsos vel emissos, siue in patriam vnde venerãt, siue aliò. Vix enim pedem in Frisiam tulerant, ingentes exoriuntur irarum nubes, densi prælíorum pluunt imbres inter Radbodum Frisię Regem & Pipinum Austrasię Ducem, inter Frisios & Austrasios. Describuntur ea breuiter à Barlando in Chron. Ducum Brabantiæ his verbis: *Gubernante eo* (Pipino) *res Brabanticas, Frisii, quitum erant fidei hostes, vt suum in Christianum nomen explerent odium, Franciam Orientalem ferro & igne late vastauerant. Pipinus igitur Orthodoxæ fidei propugnator acerrimus, ex suis delectu habito aliquot armatorum millia contrahit; nec longior inde mora; cum his copijs in Hollandiam transgressus, Wiltenburgum* (*nunc vrbs Traiectum dicitur*) *obsedit multu q; diu ab his, qui intus erant, strenue defensum, tandem cœpit. In Vrbe iam capta vis ingens Barbarorum cæsa est.* Ita Barlandus

landus. Occupata verò est vrbs secundum Trithemium anno 693. & secundum alios 692. ita vt illa Radbodi sæuitia & Pipini de illo victoria inter annum 690, quo Willibrordus cum socijs aduenit, & 693. acciderint. Quo rerum statu dum in terram vsque adeo turbatam frustra semen verbi Dei iaceretur, alimonia tot simul non suppeditaretur rapaci Marte omnia verrente & euertente, Radbodiano milite immensis furijs grassante, credo eos in Britanniam vel aliò, antequã quid notabile egissent, migrasse Duce suo relicto, ideoque de illis nihil vel perparum sciri; illo interim apud Pipinum & apud S. Lambertum, quicum de fide propaganda familiariter sæpe conferebat, cum residuis conuersante: Romæ & alibi quæ ad institutum suum exequendum idonea erant pro ratione temporis præparante, exitum belli præstolante. Quo sopito ad incœptum opus regressus est. Vide Barlandum supra.

Si hoc non arrideat, dic illos rebus etiam integris & Frisica Ecclesia vtcumque institutâ & stabilitâ, à Willibrordo ductore suo recessisse (nec enim cogimur credere omnes eius conuenas cum ipso semper mansisse) atque alios & alios superueniisse. Erat frequens Britannorum & Hibernorum virorum in Germaniam vltro citroque prædicandi causa commeatio, nouorum auxiliariorum suffectio. Certum est S. Willibrordum vsum fuisse Episcopis, procul dubio viris præclaris & Sanctis, quorum tamen nomina, acta & tempora ignorantur. Sic Molanus putat verosimiliter Adulphum fratrem S. Bothulphi Abbatis in Anglia sepultum, sub S. Willibrordo claruisse inter Traiectenses Coepiscopos. Quid mirum igitur eius conuenas sodales in Angliam reuersos esse? Quid mirum ignorari? Sane eorum, qui cum S. Willibrordo enauigarunt ignorantiã & incertitudinẽ satis ostendit diu ersitas in ijs recen-

sendis

sendis apud Leijdensem Becanum, putatitium Marcellinum & alios qui discrepant tam in nominibus, quam in numero. Eam incertitudinem siue ignorantiam non silet Becanus antiquus Scriptor (floruit is anno 1330) dum de primis socijs quibuscum S. Willibrordus in Frisiam venit agens, ait: *Feruntur huius socij Principales* &c. Enumerans deinde plerosque quos iam reiecimus: feruntur, inquit, non affirmat, nec affirmare audet iudicans rem in opinione positam esse. Quod mihi argumento est nomina primorum Coapostolorum S. Willibrordi iam dudum ignorata esse ob causas supra dictas, aliàs certi aliquid prodidisset vir ille diligentissimus & diuturnus rerum Traiectensium & Hollandarum inuestigator. Nec prætereunda hic est frisiorum ac Normannorum non longè post mortem S. Willibrordi secuta persecutio, qui omnem memoriam Sociorum, si quæ fuerit, potuerunt delesse. Vnde nemo nos temeritatis insimulet quod eos S. Willibrordo abstrahamus, quos multorum inolita opinio adnumerat vt plurimum fundata in personato Marcellino.

DISSERTATIO XXXVII.

De Pipinis.

QVoniam in decursu nostri tractatus & actis nostrorum Apostolorum mentio fit Pipini, qui nostratibus præfuit: & quia plures fuerunt idque diuerso tempore eo nomine vocati, quos auctores multi res gestas designantes sæpenumero confundunt, adeo quod vni ascribendum est, alteri deputent, personas & tempora non bene discriminando; operæ pretium me facturum putaui de Pipinis dissertationem breuem

uem inſerere; quis, quales, quoue tempore quiſque fuerit ordine enucleare; dubitanti, ignoranti facem; erranti filũ dare.

Celebrantur in hiſtorijs tres Pipini, qui Auſtraſiam, ſub qua noſtra Brabantia, gubernarunt. Primus eſt ille à quo ſaniores Chronologi ſeriem Brabantiæ Ducum auſpicantur Carolomanni ex Armengarde filius, dictus de Landis; factus Maior domus Franciæ anno 615. ſecundum Diuçum & plures alios ſcriptores; Vir ſanctitate & omnibus quæ Chriſtianum Principem ornant virtutibus conſpicuus, domi æquè ac foris, pace non minus, quam bello, clarus; à cuius ore totius regni Franciæ ſtatus ſub Clothario & Dagoberto primo pendebat. Appellatus pater patriæ, diſciplina regum (Dagoberti enim viuo patre inſtitutor, mortuo tutor fuit) ſapientiæ domicilium, aſſumptis nimirum in intimæ locum familiaritatis Arnoldo Metenſium, Cuniberto Agrippinatũ, Amando Tungrorũ ſanctiſſimis Epiſcopis. Sub hoc primo Pipino claruerunt Sancta Hermelendis, Sanctus Bauo qui ſecundum Molanum obijt 631. Vita defunctus anno 642, iuxta probatiorem opinionem (ſunt enim qui ad annum 647. eam extendunt) ſepultus Laudini, vnde tranſlatus Niuellas, feretro Diuę Gertrudi proximo requieſcit, poſt mortem nomen Beati adeptus. Proles reliquit ex Itta (ſcribitur ea ſoror Modoaldi Epiſcopi Treuirenſis fundatrix monaſterij Niuellenſis anno 650) Grimoaldum, cui tantum Sigebertus Rex legitur tribuiſſe, vt filiam eius in thori ſocietatem, filium Childebertum, cum exigua prolis ſpes affulgeret, in familiæ communionẽ legittimæ adoptionis viâ aſſumpſerit: Sed mox ſupra votum naſcitur Sigeberto filius. Item Sanctam Gertrudem iam nominatam primam Abbatiſſam Niuellenſem à matre ordinatam; S. Beggam Anſegiſo tertio Brabantiæ Duci

matri-

matrimonio iunctam. Honorificam huius Pipini mentionem non semel facit Annonius libro 4. Apud Molanum etiam militiæ sacræ Ducum Brabantiæ cap. 6. l. B. Grammaye hist. Brabant, cap. 2. Franciscum Haræum in Annalibus Brabanticis plurima huius Pipini sunt elogia. Inserit eius vitam ab antiquitate acceptam Surius primo tomo operum, quæ de Sanctis confecit.

Alter fuit Pipinus dictorum Ansegisi & Beggæ filius, quartus Brabantiæ Dux, Maior domus Austrasię anno 680. deinde Maior Franciæ factus secundum Conradum Abbatem nostrum Vrspergense an. 589: secundum Sigibertum & Chronicum Frācicum an. 691. nominatus Pipinus secundus siue iunior respectu præcedentis: Herstallensis siue de Herstallo ab arce quam in supercilio Mosæ exstructam non procul à Leodio inhabitauit: grossus vel crassus à corporis statu. Hic est qui Saxones Austrasiæ finibus eiecit: Sueuos Franciæ incubantes in ordinem redegit teste Adone Viennensi ad annum 714. Frisios plurimis bellis attriuit. Hic est qui Sanctum Hubertum nondum conuersum ab Ebroini crudelitate profugum recepit, fouit, Episcopum veneratus est. Hic est qui S. Willibrordum socioque in Frisijs conuertendis sua authoritate iuuit; Willibrordum Romam misit Archiepiscopum consecrandum, Rheno Traiectum in Episcopalem sedem donauit, à quo armis Radbodum exegerat. Hic est cuius mentio aliquoties superius facta est & deinceps est futura & apud Bedam lib. 5. hist. cap 11. 12. Heroicarum Princeps virtutum, quarum tamen lucem cum Alpaide pellice adulterium obnubilauit, cuius pellicis instinctu D. Lambertus, quem ante sua cathedra pulsum Pipinus restituerat, martyrium subijt. Reiecta tamen pellice Pipinum resipuisse, legittimā coniugem Plectrudem recepisse ad monitionem S. Huber-

ti iam Romæ Episcopi creati docet antiquus scriptor Hapaert apud Ioannem Roberti, quod fusius discutiemus postea. Proles nactus est ex Plectrude (eam filiam Grimoaldi Boiorum Ducis fuisse, habet Texera) Drogonem quem Campaniæ Ducatui pater præfecerat: Grimoaldum Maiorem Domus Franciæ parente viuente, qui cũ Christi esset fortis assertor Leodijà satellite Radbodi, prout creditur, indigne mactatur: Syluium virum pientissimũ qui & Sancti appellationem meruit: filiam Notburgim sepulchro illatam Coloniæ miraculis claram. Horum omnium funera ipse vidit Pipinus. Obijt tandẽ postquam Palatinas dignitates pro voluntate distribuisset anno 714. sepultus Herstalli relicto testamenti tabulis successore Carolo Martello ex pellice nato.

Quo Martello genitus est Pipinus septimus Brabantiæ Dux eius nominis tertius. Est intinctus, petente patre, sacro lauacro per S. Willibrordum, qui simul magnum imperiũ ei prędicit spiritu prophetiæ quę veraciter impleta est. Nã postquã Maiorẽ Domus Franciæ aliquot annis egisset, Regibus socordia desidẽtibus, electione totius gẽtis & cõmuni suffragio Principũ, annuẽte Zacharia Pontifice, Rex Frãciæ deposito Childeberto coronatus est circa annum 752. inungente S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino. Cognomen ei breuis seu pusilli fuit à staturæ exilitate. Contra Longobardos, contra Aquitanos, pro Ecclesiæ Romanæ iuribus resarciendis auxilium efflagitante Stephano tertio Papa sępius & felíciter pugnauit. Fertur Pontifici in Gallias pro auxilio contra Longobardos aduenienti occurrisse adque pedes eius venerabundum sese dimisisse, inde equo insidentem Pręsulem pedibus in Regiam perduxisse. Huius illa vox est: eo cõsilio nos arma induimus, vt Apostolicam sedem ab omni mortalium iniuria vindicaremus

mus,id daturi Christianæ pietati,nõ mortaliũ studijs.Mundi statione cessit anno768. inscripto regni, qui & virtutis, hærede filio Carolo magno omnibus historijs celebratissimo.Scio multos,præsertim ex Acatholicis,esse qui prę fatã translationem Regni à stirpe Merouingorum ad Pipinum iniquam, iniustam, ex ambitione procreatam,multis contumelijs in Pontificem & Pipinum iactis dictitent. Verùm legantur ea quæ pro istius facti rectitudine & iustitia scribit Serarius in Moguntinis ad vitam S. Bonifacij: hæc enim nostri negotij nõ sunt.Dicto Carolo Magno natus est alius Pipinus,qui tamen Brabantiam non administrauit,sed iuxta patrem Rex in Italia constitutus , post aliquot præclare gesta Mediolani patre superstite immaturè decedit, virtutis magnitudine patriam auitamque gloriam facile æquaturus, si diutius vita suppeditasset.

Ex his obseruandæ aliquorum hallucinationes personas & res minus rectè distinguentium,qualis, verbi gratia, est Lamberti Hortensij lib. 1. Secessio. Vltraiectinarum, qui cum,vt credo , legisset Pipinum eiusque filium Carolum Willibrordo donasse ditionem Traiectensem profligato Radbodo, Pipino patri Caroli Magni ascribit , cum ascriberedebuisset Pipino 2.parenti Caroli Martelli: & consequenter(vno enim absurdo dato plura sequuntur inquit Aristoteles) largitiones præstitas viuente Willibrordo à Carolo Martello Ecclesiæ Sancti Martini Vltraiectensi, Caroli Magni esse.Simili lapide offendit Franciscus Irenicus,dum dicit , Carolum Magnum misisse Willibrordum prædicare Frisijs, cum potius dicere debuisset de Carolo Martello, cuius authoritate & virtute S. Willibrordus,& Apostoli nostri non mediocriter fuêre adiuti. Sic quidam Pipinum exutis calceis S. Wironi Episcopo exomologesim sacram facientem,intelligunt Pipinum primum,cu-

ius sanctitas lucet in historijs, cum intelligendus sit Pipinus vel secundus, vel (quod ego mallem) Pipinus tertius. Similes Cacologismos apud quosdam est inuenire, præsertim exteros, vt Sabellicum, Blondum Flauium, quos his deductionibus nostris obseruatis nullo negotio lector aduertet. Errat etiam Krantius lib. 4. Sueciæ cap. 37. 38. 40. & errandi occasionem ponit dum Pipinum secundum semper nominat Breuem, cum Epitheton illud debeatur & ab Historicis solùm tribuatur Pipino tertio, non secundo.

Dissertatio XXXVIII.

Quomodo Pipinus potuerit mittere S. Willibrordum predicatum Frisijs cum illud spectet ad ius Ecclesiasticum.

Retulimus dissertatione 28. ex V. Beda Pipinum misisse S. Willibrordum eiusque socios ad prędicandum in citeriorem Frisiam. Similiter Trithemius dicit Pipinum ordinasse Willibrordum sociosque ad prædicationem Frisiorũ. Sic loquuntur & alij. Quęritur ergo, quomodo Princeps sęcularis potuerit illos sic mittere aut ordinare, cum hoc solùm concernat Ecclesiasticam potestatem.

Reformatores nostros nullus hic vrgeret scrupulus; respõderẽtque licuisse hoc Pipino; pœnes ipsum plenè fuisse potestatem cum authoritate mittendi, Ecclesiam regendi &c. Ipsi enim omnem similem prærogatiuam vel in magistratus vel Principes vel Reges, quemadmodum in Anglia, aut denique in patrię ordines (quemadmodum in confœderatis Belgicis Prouincijs) transferunt. Sed prętensas has missiones missas faciamus. Nunc breuiter dico.

Propriam

Propriam potestatem mittendi, quã authoritatiuã licet appellare, quâ scilicet cooptatur aliquis ad fungendum ministerio verbi Dei ex officio, Dei gregem Sacramentis pascendi, ex authoritate gubernandi, Pipinum Catholicissimum Principẽ sibi nõ arrogasse. Patet vel inde, quod S. Willibrordum authoritatis & benedictionis Apostolicæ petẽdę causa in ordine ad prędicandum Frisijs, sicuti differt. 40. & 41. docetur, Romã euntẽ nõ impedierit, non increparit: Româ cum ampla potestate à Sergio Pontifice redeuntem non reiecerit, authoritati suę derogari conquestus non fuerit, missionem suam sufficere non prætenderit: gratia Apostolica instructum sũmopere amplexus sit, iuuerit, fouerit, cum suo summo beneplacito verbum Dei seminare permiserit ac voluit. Eundem postmodum quo verbum Dei fructuosius prædicaret, Ecclesiam ampliori imperio gubernaret, Romam Episcopum consecrandum cum litteris commendatitijs miserit: factum Episcopum veneratus sit, Episcopali loco largisq; muneribus ornauerit; probe scilicet gnarus erat Rempublicam à Principe, Ecclesiam à Sacerdotio pendere.

Quod Beda ait eum misisse Apostolos nostros prædicatum in citeriorem Frisiam, per missionem solum intelligit licentiã, beneplacitum, seu voluntatẽ Principis: quãdoquidẽ enim Prouinciæ ad Principem pertineant & Principum operâ sæpius Apostoli indigeant, etiam ne impediantur, Principum bonam voluntatem prędicatores solent exquirere. Eodem modo intelligendi Trithemius alijque.

DISSERTATIO XXXIX.

Cur à Pipino potius petierit licentiam quàm à Rege, cum Franciæ Reges Austrasiæ & Franciæ Dominarentur.

RESpondetur, Si regia dignitas & àuthoritas in Francia solidè stetisset, haud dubiè à Rege Sancto Willibrordo petenda venia fuisset. Verùm in aduentu eius erat nudum nomen Regium vmbra tantum Regię maiestatis & authoritatis, Regibus inertia & socordi libidine in Palatio torpentibus, Maioribus Domus, qualis erat Pipinus, regium imperium vsurpantibus. Ij legatos excipere, audire, responsa dare: ij bella decernere ac plene administrare, omnes dignitates tam Franciæ quam Austrasiæ pro voluntate conferre, fiscos donare, Episcopos & monasteria opibus instruere. Ad hæc Pipinus Theodoricum Franciæ & Austrasiæ Regem, simul Bertharium, qui Maioratum Franciæ affectarat, bello subiectos tenebat: & quemadmodum in vita Sancti Huberti legitur, omnes Tyrannos in Francia & Austrasia oppresserat: is demum bellica fortitudine euaserat, vt nemo, quantumuis potens, contra insurgere, nemo mutire auderet. Quare & necessarium & sufficiens fuit S. Willibrordo illum adire, ab eo præsidia efflagitare. Durauit immensa, si non enormis, Maiorum potestas vsque ad annum 752. quo Pipinus tertius ex Maiore Domus Franciæ & Austrasiæ Rex coronatus exundantem Maiorum potestatem repressit, imo penitus extinxit propriâ potestate Regibus denuò vtentibus.

DISSER-

An missio illa à Pontifice impetrata Sancto Willibrordo fuerit necessaria & an crediderit sibi fuisse necessariam.

NOn mouerem hanc quçstionem, nisi quidam Reformatæ, vt vocant, Religionis olim contra Fr. Costerum Catholicam Romanam fidem in S. Wilbrordo ex licentia accepta à Põtifice Romano Sergio probantem regereret, Willibrordo illam profectionem ad vrbem & illam licentiam à Pontifice non fuisse necessariam: Willibrordum ante accessum ad Cathedram Apostolicam, apud Frisios diu prædicasse: Romam iuisse solius Archiepiscopalis dignitatis obtinendæ causa.

Non ingrediar hîc disputationem de Romani Pontificis primatu, prærogatiua in vniuersam Ecclesiam, de quibus fusè Bellarminus alijque orthodoxi viri contra veræ fidei aduersarios Hîc breuiter dico 1. Pœnes Pontificem Romanum solum esse primariam mittendi potestatem ad verbum Dei ex officio prædicandum, ad Ecclesiam ex authoritate regendum.

Probo non aliter & satis ex augustis verbis Domini ad Sanctum Petrum; *Pasce oues meas*, sono quidem paucis, sed re turgidis; eis enim vniuersam Ecclesiam suam ei & in eo successoribus cum plenitudine potestatis & clauium committit. Vnde Beatus Chrysostomus homil. 1. De Pœnitentia, Ecclesiæ primatum gubernationēque per vniuersum mundum Petro à Christo eò loci fuisse concreditum asserit. Nec quis imaginetur verbum, *pascere*, denotare dumtaxat nudam & actualem pabuli submini-strationem: plus importat, tam in scripturis, quam in litteris sęcularibus

cularibus, vt, verbi gratia, psal. 2. Vers. 9. *Reges eos in virga ferrea*: vbi græcè apud 70. habetur ποιμανεῖς id est, pasces eos, instituiturque sermo metaphoricus de virga ferrea pastoris, quo denotatur regimen totius Ecclesiæ iustum & potentissimum. Item psal: 77. Vers. 71. *pascere Iacobum seruum suum & Israhel hæreditatem suam*, vbi de Regali Dauidis agitur præfectura. Et versu sequenti, *pauit eos in innocentia cordis sui* &c. Vbi Chaldęus legit, regnauit super eos. Sic alijs in locis. Ethnicis scriptoribus familiare idpisum fuisse, testis est Homerus lib. 2. Iliad. qui Agamemnonem Argiuorum Regẽ velut suorum subditorum vtilitati & commodo incumbentem introducens, eum non raro ποιμένα λαῶν id est Pastorem po pulorum appellat. nec abs ratione; pastoris enim officium circa regimen & præfecturam ouium maxime occupatur: pastoris quippe est non tantùm pascua suppeditare, sed in oues lasciuientes & obedire detrectantes etiam ferrata animadvertere claua, compescere, de omnibus quæ ad oues quouis modo spectant, cognoscere, statuere & cum imperio iudicare.

Dico 2. secundaria & subordinata potestas mittendi est pœnes Episcopos Apostolorum successores. Hi omnem iurisdictionem in Ecclesias à summo hauriunt Pontifice, quã proinde ille vel in solidum auferre, dilatare, aliàs diffusam restringere & ad certos terminos reuocare potest, provt Ecclesiasticæ politiæ magis iudicauerit expedire.

Dico 3. Necessaria fuit Sancto Willibrordo authoritas siue licentia accepta à Romano Pontifice, siue immediatè, siue mediatè, id est ab ijs qui à Pontifice subordinatã potestatẽ mittendi acceperunt. Patet, quia extra illos nulli habent facultatem mittendi cum authoritate ad gentes. Et *quomodò prædicabunt nisi mittantur?* hanc licentiam sibi necessariam

cessariam fuisse credidit probè Willibrordus: erat is filius Ecclesiæ Catholicæ obseruantissimus. Hoc illum docebant exempla præcedentiũ virorum Apostolicorum. Hoc ipsum suo facto probauit; ad quid enim Alpinas niues, Italicos sudores gustare libuisset?

Dico 4. Necessaria fuit eidem potestas immediatè accepta à Romano Præsule. Quia non apparet fuisse Episcopos in Hybernia vel hîc instructos sufficiẽti facultate mittẽdi ad Frisios. Colõiẽsis, Leodiẽsis erant astricti circa terminos suæ Diœcesis; ad ipsos Frisij non spectabant. Reseruabat tum strictè sedes Romana talis generis missiones. Hinc videre est viros omnes Apostolicos antequam gẽtibus irent prædicatum, Romana limina petiisse, Pontificis bonam voluntatem imploraſſe: ipsimet Pontifices ordinabant Episcopos per diuersa loca, prout in singulorum actis legitur.

Dices: Egbertus Sancti Willibrordi magister dum Frisiorum conuersione ardet, rectà Frisiam pergit, non Romam: Romam denique si propositum falleret cogitabat, non ad Apostolicam authoritatem postulandum, sed ad adeundum sacra limina Apostolorum; ergo Egbertus credidit licentiam Româ acceptam non esse necessariam gentium prędicatori. cur non & Willibrordus eius discipulus, eius emissarius? Sic Sanctus Wilfridus sede sua deturbatus dum Romam meditatur, aduerso vento dilapsus est in Frisiam, in qua per hyemem fidei Catholicæ annuntiator hęsit, non quæsito aut expectato Romani consensu; cur non & sic Willib. eius quondam in Rhipensi cœnobio subditus? Respondetur, quod ad Egbertum attinet, non fuisse adorsum Frisios sine meditatione Apostolici fauoris Romę impetrandi; constituisse quidẽ iter in Frisiã, sed ea ratione quam in Willibrordo adferemus, scilicet videre

an aliquod ostiũ pateret Euangelio, quo explorato Romã pergeret. Quod si nullum ostium reperiretur, hunc saltem fructum peregrinationis suæ acquireret videre scilicet & venerari sacrorum atria Principum. Aperiunt hoc consilium Egberti lib. 5. Ann. cap. 10. verba Bedæ: *Ad quos (Fresones, Ruginos, Danos, antiquos Saxones &c.) venire præfatus Christi miles* (Egbertus) *circumnauigata Britannia disposuit, si quos forte ex illis ereptos Sathanæ ad Christum transferre valeret. Vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda atque adoranda Beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi limina cogitauit:* quæ quasi exponens Baronius ad annum Christi 690. tomo 8. numero tertio, ait; erat ipsi (Egberto) in mente tentare si quod pateret ostium Euangelio, ac Romam inde migrare ad accipiendum à sede Apostolica Apostolatum. Quod si nullus pateret aditus verbo Dei, lucrum id saltem peregrinationis caperet, vt inuiseret & veneraretur Sanctorum sepulchra Apostolorum.

Wilfridus sæpe antea Romæ fuerat, multa ibidem didicerat, multam authoritatem prædicandi & ordinandi obtinuerat. Vnde credibile est eum vniuersalem potestatem gentibus Euangelizandi accepisse, quâ inter Frisios vsus est. 2. Potuit Wilfridus in Frisia peregrinus & hospes Frisijs familiariter & domesticè de fide concionatus fuisse, Christum tùm priuatim tùm publicè annuntiasse. Nulli vetitum est sic proximo salutarem doctrinam impendere: id factum à multis martyribus & facilè creditu de Wilfrido, quia ex destinato concilio prædicandi Frisiam non intrauit, sed occasione declinandarum insidiarum & venti: solùm vt hospes, non vt prædicator per hyemen remansit expectans itinerationis versus Romam commodum tempus. Vide Malmesbur. in Episcopis Eboracensibus.

Hinc

Hinc sequitur 1. Necessarium aut plusquã conueniens fuisse Sanctum Willibrordum ire Romam ad benedictionem Apostolicam impetrandam. Hoc ipsum pariter suadebant exempla Apostolicorum Doctorum, qui non contenti litteris aut alio modo eam impetrare, ipsimet Petri thronum adiêre.

Sequitur 2. Willibrordum credidisse sibi illam licentiã à Roma esse necessariam; aliàs enim laboribus lubens pepercisset.

Primum argumentum aduersarij, scilicet, Sanctum Willibrordum ante accessum ad Cathedram Romanam diu apud Frisones prędicasse, planissimè iugulat Beda lib. 5. cap. 12. primis (inquiens) sane temporibus aduentus eorum in Frisiam, mox vt comperit Willibrordus datam sibi à Principe (Pipino) licentiam ibidem prędicandi, accelerauit venire Romã cuius sedi Apostolicæ tunc Sergius Papa prę erat, vt cum eius licentia & benedictione desideratum Euangelizandi gentibus opus iniret &c. Vide Sanctum Willibrordum statim vt obtinuit beneplacitum Principis quod fuit in primo ingressu, Romam accelerasse, authoritatiuam missionem impetrasse, idque primis temporibus. Quomodo ergo diu prædicauit antequam Apostolicum assensum Romæ obtineret?

Argumentum 2. Venisse solùm Romam dum Archiepiscopali infula decoraretur; supponit illum solùm semel iuisse Romam, scilicet dum Episcopus consecraretur, quod factum est anno 696. verùm hypothesis aduersarij ex dictis annullatur. Vt tamen eius infirmitas magis declaretur, sit

DISSERTATIO XLI.

An S. Willibrordus solùm semel iuerit Romam, an bis.

SVpposuit aduersarius illum solùm semel iuisse, scilicet, Archiepiscopalem consecrationem dum iret petiturus. Produci pro ipso possunt 1. quæ præcedenti dissertatione fuere obiecta; sed soluta sunt: actum non agemus. 2. historia profectionis, qua habetur versus Frisios rectà nauigasse; non ergo Romam. 3. Alcuinus in vita S. Willibrordi non habet nisi vnam profectionem S. Willibrordi versus Romam, nempe dum Archiepiscopus nominaretur. Sic etiã Marcellinus in vita Sancti Swiberti Coapostoli & Coepiscopi Sancti Willibrordi.

Quarto, si Roma adeunda fuisset ad Pontificis placitum & benedictionẽ imploranda, cur ipse & socij non rectà ex Hybernia Romam transfretarunt? cur tot terrarum laboriosos circuitus frustra fecerunt? frustra tot fluctibus colluctati sint? cum longe commodius ex Hybernia in Italiam soluissent.

Respondetur, obiecta nullius momenti esse; ea, & quæcumque obijci possunt, tersissimè expungit Venerabilis Beda, qui cap. 12. historiæ binam profectionem versus vrbẽ disertissimè exprimit, vt non nisi insanus fidem auerterit: vnam initio ingressus in Frisiam, alteram dum in Episcopũ electus, consecrandus eò pergeret. Secundi Argumenti antecedens verum est, attamen historia profectionis nõ negat postquam in Frisiam appulerunt, aliquem saltem illorum nomine cæterorum Romam perrexisse pro gratia

Apostolica

Apostolica obtinenda. Quid alij dum Willib. in itinere esset, egerint, incertum est. vide supra diss. 36. Fateor etiã Marcellinũ illũ & Alcuinum, huius primę profectionis Romã versus non meminisse; non tamẽ ideo dicendi sunt negasse aut ignorasse, sed potius eam supponere, tanquam quæ esset & facilè crederetur necessaria. Quin etiam hæc narratio eorum proposito non multum seruiebat. Marcellino illi tantum scopus fuit vitam & acta S. Swiberti nobis tradere. Cum ergo hæc profectio ab ipso peracta non sit, quid opus eam vitæ Swibertinę inserere ? prę sertim cum author ipse fateatur se peculiari libello vitam S. Willibrordi conscripsisse, in quo non dubito quin eius recordetur, quia ad honorem Willibrordi non parum spectabat, tum quod in propria persona ea legatione ad Pontificem functus sit, tum quod illa ipsi tantum eminentiori & in rebus agendis magis industrio à consocijs vnanimi voto imponeretur.

Alcuinus (quemadmodum ipsemet in sua præfatione ad Beroardum Archiepiscopum profitetur) solum studuit vitę sanctitatem, mores, & miracula Willibrordi conscribere; Vnde cum illud iter ad integritatem vitæ, mores & miracula non propriè pertinuerit, minime curæ illi fuit scripto cõsignare. Adde apud Alcuinum breuitati studentem tam hîc quã alibi multa de Willib. omitti. Idem dicẽdum de Beca, Heda, qui Catalogum Episcoporum contexerunt & maxime intenderunt eorundẽ vitas breuiter perstringere. Quantumcumque verò hi taceant, tanto luculentiùs illud loquitur V. Beda.

DISSER-

Dissertatio XLII.

Quo anno Romam primò iuerit.

QVo anno primam profectionem instituerit, non tradunt historiæ. Vero simile mihi est iuisse eodē anno aduentus, scilicet 690, idque tempore autūnali, quod annitempus ad vrbem hinc est commodissimum. Vt quid enim in sequentem annū distulisset gentium conuersione ardentissimus? Redijsse verò in principio anni sequentis, quo tempore Româ cōmodè reditur. Festinus est amor, nec moram patitur.

Dissertatio XLIII.

Quidnam præterea egerit in 1. profectione Romæ quæque inde extulerit S. Willibrordus.

QVid prēter petitam, & obtentam prędicandi licētiam, dē qua iam, sit actum, dicit Beda lib. 5. historiæ cap. 12: *Vt cum eius benedictione desideratum Euangelisandigentibus opus iniret. Simul* (vt addit Beda) *& Reliquias Beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi, ab eo* (scilicet Pontifice) *se sperans accipere, vt dum in gente cui prædicaret, destructis Idolis Ecclesias institueret, haberet in promptu reliquias Sanctorum quas ibi introduceret quibusq; ibidem depositis, consequenter in earum honorem, quorum essent illa singula, quęq; loca dedicaret. Sed & alia perplura quæ tanti operis negotium perquirebat vel ibi discere vel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cum sui voti compos*

voti compos esset effectus, ad prædicandum redyt. Quę singula notanda sunt contra eos qui S. Willibrordum eiusque socios Catholico-Romanos negare conantur. Petijt ille benedictionem quâ desideratum Euangelisandi gentibus opus iniret. Solent fideles, vti nunc, ita & olim, præsertim cum rem arduam aggrediuntur, Benedictionem expetere, & reuerenter accipere à Dei ministris: Efficax enim est Benedictio Sacerdotalis. Magnæ efficaciæ erat in veteri testamento data à Patriarchis, Patribus-familias, aut Primogenitis, qui erant Sacerdotes aut instar Sacerdotum, vt patet Genesis 27. & Numerorum 6. vbi Deus Moysi præscribit quomodo benedicat Populo & promittit se benedicturum id est bona largiturum Populo sic à Sacerdote benedicto. Quid ni ergo in nouo Testamento vbi copiosior gratia Sacerdotibus tanquam Dei ministris, & vicarijs dispensatur? At quamuis illa benedictio in & ex Sacris mysterijs præstantissimam vim nanciscatur, de qua Diuus Augustinus epist. 59. ad quæst. 5. *Cum populus ad altare benedicitur, eum Antistites misericordissimæ offerunt potestati:* tamen in priuatis congressibus à fidelibus expetita, fructu ingenti non caret. Idem Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. commemorans se cum alijs, cum necdum esset Episcopus, ęgrotum quendam amicum, vbi & præsens Episcopus loci erat, visitasse, ac visitatione peracta discessisse, ait: *Acceptâ ab Episcopo benedictione discessimus.* Nectarius Ciuis Tarsensis creatus Episcopus Constantinopolitanus in Concilio Constantinopolitano, reditum in patriam cogitans, venit prius ad Diodorum Tarsi Episcopum Diœcesanum suum vt ab eo cum precatione benedictionem acciperet, vt narrat Nicepho. Histo. Eccl. lib. 12. cap. 12. Horum probè gnarus S. Willibrordus & suo, &, vt credibile est, sociorum nomine expetijt & obtinuit. Quam vim sortita sit Pontificalis illa

benedictio

benedictio, secuti fructus abundè ostendunt.

Simul & Reliquias Beatorum Apostolorum ac Martyrum &c. Et has magna auiditate semper desiderarunt Apostolici viri & omnes Catholici. *Iacobi cathedra* ait Eusebius Eccle. Histo. lib. 7. cap. 15. *qui primus in terris Episcopus ab ipso Saluatore & ab Apostolis in Hierosolymis est electus, quemque fratrē Domini volumina diuina designant, vsque in hodiernum diem inibi conseruatur: atque in ea sedent omnes qui vsque ad præsens tempus sedis illius sacerdotium sortiuntur. Seruatur ergo cum ingenti studio velut à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur vel vetustatis, vel prima sacerdotij sanctificationis obtentu.*

Sanctus Athanasius in vita B. Antonij, scribit sibi ab Antonio relictum pallium tritum, & addit: Legatarium Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplecti, & tanquam magna hæreditate ditatum lætanter per vestimentum illud recordari imaginem sanctitatis.

Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem initio orationis: *Anima quidem*, inquit, *ex quo sublimis abijt in suo loco requiescit, & corpore soluta, cum sui similibus vnà viuit: Corpus vero venerandum, & immaculatum ipsius instrumentum cum multo honore, & cultu compositum, atq; ornatum, in augusto sacroq; loco situm est.* Deinde narrat multis verbis eos, qui templa martyrum ingrediuntur, primò mirari molem ædificij, deinde parietes & pauimentum pulchrè ornata, tum statuas & picturas varias: & subiungit tandem: *Vbi ijs* inquit, *oculos oblectauit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem, ac benedictionem contrectationem eius esse credens: quod si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur, ac*

tamquam

iamquam res magni pretij condenda terra colligitur : nam ipsas attingere reliquias siquando aliqua eiusmodi prospera fortuna contingat, vt id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, & optandum ac summarum precum donum, sciunt experti, & eius desiderij compotes facti.

Patet idipsum ex earundem translationibus, quæ magno non populorum solùm, sed & principum studio, contentione & ingenti pompa celebrantur, vt legere est apud S. Hieronimum libr. contra Vigilantium. Zozomenum lib. 7. cap. 10. Theodoretum lib. 5. cap. 36. Euagrium lib. 1. cap. 16.

Finis ob quē reliquias expetijt & impetrauit, fuit, *vt dū in gēte cui prædicaret destructis Idolis Ecclesias institueret, haberet in prōptu Reliquias S.S. quas ibi introduceret quibusq; ibidē depositis, consequenter in eorum honorē, quorū essent illa singula, quæq; loca dedicaret.* Censet hîc S. Willibrordus Basilicas siue Ecclesias posse erigi in honorem S.S. quod à fidei primordijs in vsu fuit. Et hoc ille practicauit excitando Ecclesias S. Crucis, Saluatoris, S. Martini &c. Templum Egmundanum ipsum inauguraſſe refert Dousa lib. 8. Anna. Hollandiæ. Idem egisse S. Swibertum cæteroſque Sodales, acta eorum manifestant.

Introductionis Reliquiarum in Ecclesias ædificandas siue ædificatas, depositionis in altaribus, antiquissima sunt exempla. Vnde exstat Canon de consecrati. dist 1. cap. placuit quo docetur sine S.S. Reliquijs non fieri consecrationem altaris. Vide Ambrosium de institutione virginis, ad sororem, de inuentione Sanctorum Geruasij & Protasij.

Sed & alia perplura quæ tanti operis negotium quærebat, vel ibi discere vel inde accipere cupiebat. Per quæ intelliguntur externa

Symbola & Ceremoniæ quas in Sacramentis conficiendis vel administrandis, ad Dei cultum, populi deuotionem, Ecclesia Catholica exercitat, de quibus Dionysius Areopagita Diui Pauli discipulus Eccles. hierarch. cap. 10. *Principes nostri* (Apostoli) *visibilibus signis cælestia sacramenta texerunt, & sub humanis imaginibus res diuinas tradiderunt, & in materiali figura maiestatem spiritualem representarunt vt pro modo ac ratione captus nostri figuris visibilibus quasi adminiculis quibusdam ad mysteriorum augustiorem intelligentiam subueheremur.*

Voluit S. Willibrordus Friſicam Eccleſiam planè conformare Eccleſiæ Romanæ, vt quaſi ei à Deo dictũ ſit quod Moiſi in ædificando & diſponendo tabernaculo ; *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* exodi 25.

De S. Wilfrido.

Hoc tempore Northumbriæ Epiſcopatu ſecundò pellitur S. Wilfridus, vir alternante fortuna plurimum iactatus ac in exemplum patientiæ natus. Pulſus prædicat apud Anglos mediterraneos annis decem, ibidemque Epiſcopatum Legeceſtrenſem adminiſtrat, ſicuti in prima expulſione adminiſtrarat Seleſienſem inter Auſtrales Saxones. Huius libenter & gratè reminiſcimur & copioſius poſtea laudabimus, tum quod fundator ſit monaſterij Rhipenſis in quo S. Willibrordus iuuenis eſt educatus, eruditus ac religioſè conuerſatus vſque ad 20. ætatis annum, adeoque verus Abbas eius fuit.

fuit, licet possessione sua frequenter priuatus: tum quod in Frisia nostra prædicarit, inchoans, teste V. Beda, quod S. Willibrordus cum suis postmodum perfecit.

DISSERTATIO XLIV.

De exilio S. Lamberti amici S. Willibrordi & cooperatoris.

SAnctus Lambertus S. Willibrordi fautor, promotor, auxiliarius, amicus & familiaris hic nobis commemorandus. Is nobili ortus parentela à cunabulis omni pietate politus tandem ad Episcopalem dignitatẽ Tungrensis Ecclesiæ sublimatur Episcopus 29. in locum B. Theodardi Martyris Magistri sui anno 658. vel iuxta tabulas Bucherij & Ioannis Roberti anno 656. quo tempore huic mundo producitur S. Willibrordus, quasi diuina prouidentia Apostolico viro futuro, ac in Austrasiam olim venturo S. Lambertum modò aptaret, qui exercitatis sensibus, prudentia, consilio, ope, authoritate ei præsto esset.

Regibus Franciæ desidiâ torpentibus Ebroinus quidam Maior domus nimia insolentia Franciam Austrasiamque miscebat; cui dum viriliter Antistites se opponunt, ab ipso exilio, morte alijsque pœnis mulctantur. Inter hos S. Lambertus sede sua pulsus exulare cogitur.

De anno exilij duplex est sententia: vna recens, contigisse illud anno Christi 668. quã habet Bucherius in tabula Chronologica ad 1. tomũ Cheapea. sub his verbis: *Ebroinus cũ Theodorico Rege in gratiã redit. Fit maior domus. Inde ad vexandos suos inimicos se conuertit, Leodegarium, scilicet, & alios. Tunc quoque S. Lambertus ab Episcopatu detruditur & in Stabulaus Monasterium se contulit, intruso quodam Pharamundo per septennium.*

Vitæ & maxime Nicolaus cap. 6. Altera vetus, accidisse anno 685. & est Sigeberti quem Baronius, Haręus, Cheapeuillius alijque sequuntur. Eandem habet Chronicon de Regibus Francorum à Pharamundo vsque ad Henricum 2, anonymum quidem, attamen ex fide conscriptum, impressum Parisijs anno 1548. Atqui hic annus exilij Lambertini longe est verior, communior, & tenendus.

Primò, Authoritate Sigeberti, antiqui, probati Historici, præsertim in rebus locorum vicinorum.

Secundò, Chronicon magnum Belgicum refert Aldewinum Episcopum Colonienſem sedisse, dum S. Lambertus in exilium iret, eiusque in Cathedram Pharamundum suum Clericum intrusisse. Iuxta omnes verò Aldewinus iste longe post annum 668. Episcopus est factus, nimirum, sub Theodorico Rege secundùm regnante ab anno 680. vsque ad annum 693. Rursum exilium absentis S. Lamberti solùm fuit septennale. Si Lambertus fugatus fuit quando Aldeuinus sedit, longe post annum 668. est fugatus, potius 685. sub Theodorico Rege à quo Ebroinus in gratiam receptus tempestuosè in Christos Domini sæuijt.

Tertiò, Constat ex historijs S. Lambertum post septem annos exilij restitutum in sua Cathedra circa annum 691. per Pipinum Herstallum factum etiã Maiorẽ domus Francię: Pipinus autem nullius Regni obtinuit Maioratum ante annũ 686. vel 685. Si exulasset S. Lambertus an. 668. restitutus fuisset, non à Pipino, sed ab alio multum præcedente, aut exilium septennale non fuisset, sed plus quam vicennale, quæ nemo fatebitur.

Deducuntur hæc etiam manifestè ex cap. 6. vitæ eiusdẽ Sancti, quam composuit Nicolaus apud Cheapeauillium in Chronico Leodienſi tomo 1. quem Nicolaum cap. 6.

miror

miror Bucherium pro se citare.

Fundamentum recentioris sententiæ petitum ex morte S Audoeni Archiepiscopi Rothomagensis anno 677. iuxta textum Surij, si non falsum, lubricum, incertumque nimis est, quam vt inde veterum sententia euertatur: incertum, inquã, nimis est, quia Sigebertus Audoeni obitum statuit anno 690: Ado in Chronico anno 696, quos ambos citat Baronius in Martyrologio 24. Augusti, nec refellit. Memoratum Chronicon Francorum ait anno 685, Ebroinum relicto monachatu clanculario Audoeni Archiepiscopi Rothomagensis (adhuc viuentis) admonitu hostes suos oppressisse. Textus Surianus, cui illa prima opinio se omninò credit, insyncerus est, quod & ipsum Surium, vel eum qui annotationes marginales apposuit, non prę terijt & qui eundem textum, vbi narrat de morte Audoeni, corrigit Baronius in Martyrologio. Cui illa vitia insunt, cur non timendum de alio? quomodo inde certum fundamentum petendum, præsertim veteribus contradicentibus? interimit insuper ipse textus non semel seipsum. 1. aiens obijsse Audoenum anno 677. 24. Augusti die Dominico: anno enim 677. littera Dominicali existente D. 24. Augusti, non erat dies Dominicus. 2. aiens Audoenum obijsse Warathone Palatij res administrãte; nã omnium Historicorum calculo Waratho non est factus Maior domus nisi post annum 686, vel 687. ac breui tempore, anno aut paulo plus magistratu illo functus est. Vide Sigebertum, Appendicẽ ad Gregorium Turonensem, Gaguinum, Chronicon Francicum, quibus cæteri conformes sunt.

Hinc minus rectè scribitur Warathonem Maiorem creatum anno 675, & vita cessisse anno 686; sic enim non breui, sed satis longo tempore administrasset.

Cætera, quibus prima calculatio nititur, refutare, esset

nimis euagari. Proponam breuiter simpliciter ex fidis historijs quod rei est, vnde nostra probari & errores poterunt vitari.

Clotario 3. Clodouei 2. Filio Franciæ Rege anno 666. defuncto, Theodoricus Childerico fratre minor fratri succedit Ebroini Magistri equitū Authoritate, sed mox ob incontinentiam & scelera regno pellitur: Ebroinus in monasterium detruditur, ac Childericus ex Austrasia, vbi imperitabat, reuocatus, vnanimi Francorum postulato anno 668, regnat vsque ad annum 680. quare illi anni intermedij nullo modo debent adscribi regno Theodorici, cum ob scelera pulsus legitimè regno fuit priuatus.

Anno 679. occiso in venatione Childerico, Theodoricus reuocatus ad coronam, anno 680. Franciæ secundò imperat: Ebroinus etiam monastico ergastulo liberatus, ingēti sceleratorum manu collecta, hostes suos magna celeritate opprimit, & gazam intercipit: tādem Regis & regni administrationem recipit, ac anno 685. illius causa in plurimos Episcopos est sæuitum morte, exilio. Diuus Leodegarius Eduorum Episcopus, post longa carceris tędia capite truncatur, confossis prius oculis & corpore miserè mutilato dilaniatoque. Eius frater Gerinus nomine paulo ante lapidibus obrutus fuerat. Sub tā procelloso persecutionis tumultu S. etiam Lambertus à suo amotus Episcopatu in cœnobio Stabulaus monachicæ quietis expetijt portum, ibique per septem annos habitauit secum.

Hoc tempore Pipinus Herstallus efficitur Maior domus Austrasię, cui se opponens Ebroinus eius & Martini Austrasianorum Ducum acies fundit in agro Laudunensi; Martinum contra fidem datam crudeliter interimit anno 687. Ermenfredus in vltionem ex insidijs sceleratum Ebroinum noctu in lecto iugulat, & extemplò ad Pipinum confugit

fugit. Loco Ebroini Maior domus Franciæ creatur Waratho, quem Gislemarus nequam filius ab illo magistratu haud ita multo post armis deturbat, sed paucos dies à perpetrato facinore dignitate potitur diuino numine impietatem vlciscente. In eum magistratum pater restitutus, breui moritur. Bertarius eius gener Maior dicitur anno 689.

Anno 690. Pipinus exulum Francorum collecta manu in Regem Theodericum mouet, eius copias ad Textricium sternit fugatque & Bertario à suis necato Franciæ Maioratum simul obtinet plenè & pacificè anno 691.

Anno 693 Theodericus Rex Franciæ moritur sepultus apud Atrebates in æde S. Vedasti. ita Sigebertus, Chronicon memoratum quibus reliqui Franciæ & Austrasiæ Scriptores vetustiores congruunt; contra quos nullum argumentum comparet quo cogamur ab illorum vestigijs deflectere. Vetera seruanda sunt quamdiu firmiori ratione non euincuntur.

DISSERTATIO XLV.

De restitutione S. Lamberti.

PIpinus summa administratione potitus, trãquillatis Reipublicę motibus, ad Ecclesię Statum in melius promonendũ animũ applicat. Turbarat haud modicè qui in locum S. Lãberti fuerat intrusus Pharamundus Clericus quidam Colonienſis, quem Scriptores certatim nigerrimo carbone depingunt, Sacrorum omnium Canonum calcasse reuerentiam:

Sacra-

Sacramenta temeraſſe: violaſſe Sanctuarium; profanaſſe Sacerdotium, confudiſſe religionem &c. populus cum Clero gemens fremenſque in priorē ſuū paſtorē reſpiciebat: Pipini authoritatem & auxilium implorant, qui ſtatim miſſis Legatis ex Stabulaus monaſterio quamuis inuitum S. Lambertum educunt ac in Epiſcopali throno populo applaudēte recollocant anno 691, prout ad dictum annum reſtitutionem ſignat Sigebertus. Cenſeo verò certiorem annum 692, quandoquidem paſſim ſcribatur exulaſſe ſeptennio; imo (vt ſcribit Ioannes Roberti in vita S. Lamb. cap. 10.) per totum ſeptennium.

Dissertatio XLVI.

De conferentijs & Vicaria communicatione laborum S. Lamberti & S. Willibrordi.

LAmbertus iteratò in Epiſcopalibus functionibus poſitus, quę Paſtoralis officij ſunt ſedulò reſumit, non tantum Tungrenſibus ſuis conſulens, verum etiam Taxandris, tum ſuæ diœceſis, ac vicinis fædisſima Idolomania obſeſſis veram Religionem inferre ſatagit, & agit cum fructu vbere, nequidquam frendētibus in eum Idolomyſtis. Ab altera parte nihilminus efficit S. Willibrordus in citeriore Friſia, in Taxandris Friſiæ vicinioribus, vt ſunt ager Silueducenſis & circumuicina. Lucebant iam Francico orbi duo illa luminaria maiora. Similis ſtudio, propinquus regione erat vtriuſque labor. Fama vtriuſque Sanctitatis totas prouincias complebat: Epiſtolares communicationes frequentabantur, commeantium & remeantium narrationes vtrumque in mutuum amorem accendebant, quibus effectum vt in vicarium conſpectum ardentisſimè anhelarent.

Dum

Dum itaque sic glorioso successu de Diabolo in Taxandriç parte triumphat S. Willibrordus, minor ad maiorem (erat enim Willibrordus annorum 36. Lambertus 57,) Sacerdos ad Episcopum, futurus illustris Confessor ad futurum illustrem Martyrem, Discipulus ad Magistrum, tum vt eius Angelica cõuersatione ac societate frueretur, tum vt cum illo istiuscemodi palestræ gnaro de fide propaganda, medijs ad eandem copiosius illustrandam cęteriśque rebus idem negotium concernentibus conferret. Vbi facie ad faciem aspicere, ore ad os loqui licuit, incredibile quali gaudio vterque perfunderetur, qualia exilierint colloquia. Non illis de rebus inutilibus, de impertinentibus, non de bellorum consilijs, de vagis rumoribus, non de diuitijs institutus sermo. Non instructa operosa fercula, non sumptuosi apparatus conuiuiorum, non famulorum equorumque strepitus qualia amant mundani congressus, sed de diuinis laudibus, de erraticis ouibus ad Christi ouile deducendis, de pellendis ignorantiæ tenebris quæ miseros animos Frisiorum, Taxandrorum, finitimorumque occupabant, omnis eorum erat ratiocinatio. Diceres S. Paulum Apostolum & Barnabam, Paulum eremitam & S. Antonium conueniſſe. Atque hunc puto esse primum congressum istius paris, primamque familiaritatem initam. Nam præter frequentem litterarum reciprocationem sæpius conueniſſe, haud eundum inficias, quæ simul breuiter, at graphicè describit coniungitque Ioannes Roberti in S. Lamberto cap. 14. addens: Quin etiam memoriæ proditum esse non contentos colloquia miscere, labores etiam ipsos non raro communicasse, cum Willibrordus Lamberto, & hic illi in gentilium informatione operam tanquam in re sua nauaret. Nec caret hoc additum fundamento. Willibrordum in Episcopatu S. Lamberti diui-

ni seina verbi sparsisse docemur ex Alcuino. Contra S. Lãbertum Frisiæ arua calcasse, docemur ex Nicolao referente Lamberti studium laboresque intra Taxandriæ fines non stetisse, sed ad populos finitimos ad vsque Frisones fælici successu fuisse extensos. Euidens quidem istiusce assertionis testimonium nobis deest, attamen conueniens ratio & traditio fidem pariunt. Ratio quidem, nam (omitto feruentem animarum Zelum qui itinera abstracta aut longinqua nesciebat) cum S. Willibrordus nondum Episcopali ordine fungeretur, peraccomoda, si non necessaria, fuit opera S. Lamberti, & quidem viciniſſimi in Neophytis confirmandis, Ecclesijs, altaribus, Sacerdotibus consecrandis, eoque magis quod Teisterbantij Frisij Tungrensi Episcopatui collimitanei iam dudum parerent imperio Pipini sub quo & cum quo S. Lambertus agebat. Vnde eorum spiritualis cura ad S. Lambertum suo modo pertinebat Episcopatu Vltraiectino nondum constituto, & Willibrordo nondum Episcopo. Traditio est quod teneatur in Teisterbantia (insigni Frisiæ portione) extitisse templum memoriale intraneæ conuersationis & opis S. Lamberti, de quo Ioannes Roberti supra.

Dicti amborum congressus & communicationes ferbuerunt antequam S. Willibrordus altiorem ordinationem sortiretur. Num vero idem in Episcopali dignitate constitutus Lambertum viderit & inuiserit, suo loco expendetur.

Disser-

De bello inter Pipinum & Radbodum & Vltraiecti occupatione. Examinatur Barlandus.

INterea dum S. Willibrordus suorum conuersioni est intentus, exoritur ingens bellum inter Radbodum Frisiorum Regem & Pipinum Austrasiç Ducem, infernali haud dubiè odio conflatum, dum diabolus videret per amicos Dei tot animas suis faucibus eripi, & plures timeret eripiendas. In hoc bello ex voluntate Diuina fuso fugatoque Radbodo Pipinus Vltraiectum occupat anno 692, vel secundum Trithemium, Ber. Furmerium lib. 3. cap. 6. anno 693.

Summam belli breuiter perstringit Barlandus in Chronico Ducum Brabantiæ, cuius verba supra dissertatione 36. dedimus. Est tamen aliquid quod in ipso sequitur examinandum. Post verba citata addit: *Hîc* (i. hac Vltraiecti occupatione) *primum subacti sunt Phryssii, qui nunquam antea didicerant externo parere Principi.* Cuius periodi prima, falsa sunt si de vniuersis Frisijs acçipiantur; nam soli Vltraiectini Frisij hoc Pipini bello deuincuntur. Cęteri post multas clades Austrasiæ illatas demum à Carolo Martello Pipini filio sunt subiugati, Poppone eorum duce interempto.

Postrema verba (*qui nunquam antea didicerant externo parere principi*) si non falsitate, saltem difficultate non carent: à multis enim retro sæculis externo Principi paruerunt Vltraiectini Frisij. Quamquam enim iuxta distributionem Iulij Cæsaris Rhenus disterminator esset Galliæ & Germaniæ, Citeriore ripa Rheni, Galliæ; vlteriore, Germaniæ de-

creta, ac Vltraiectũ esset in Germanica, attamen Valentinianus Imperator occupatum Vltraiectum asseruit imperio Gallorum, stetitque sub eorum Dominio etiam tempore Chilperici & Dagoberti primi qui ibidem sacellum S. Thomæ extruxit. Lege Molanum in Natall. 7. Nouembris in appendice de statu Ecclesiæ Vltraiectinæ. Hortensium lib. 1. seceſſ. Vltraiectinarum. Sub Sigeberto Austrasię Principe vel paulo post eius obitũ inuaditur oppidum à Frisijs, Radbodo vel potius patre Adgillo Dominium sibi per vim vsurpãte, quod nunc ann. 692. vel 693. Pipinus Austrasiorum Dux iterum Franciæ vendicat exturbato Radbodo. Quot annis ibidem regnarint Reges Frisiæ, omnino incertum. Dagobertus Francorum Rex obijt anno 645. Sigebertus eius Filius legitur apud Hedam anno 656. (si modò benè tersus sit Heda, nam Sigebertum anno 654. obijsse tradunt graues authores) contulisse cuidam S. Koniocho Episcopium Traiectense. Quare 30. circiter aut 40. annis Wiltaburgum Francis fuit ereptum antequam à Pipino sollicitaretur. Ex dictis solui potest quæstio

Quo iure Pipinus Wiltaburgum Radbodo abstulerit tenueritque, cum illud ad Frisios pertineret, aliud regnum ab Austrasia esset.

Respondetur namque, iuste Pipinum illud vendicasse; 1. quia ab olim fuerat Regni Francorũ à Valentiniano Imperatore assignatum: erat Imperatoris limites assignare, dubios definire: obtinuerunt rursus illud Frisij fauente fortuna, sed pacificam possessionem Franci illis minimè permiserunt, regna

haruntq; ibi Chilpericus,& Dagobertus Reges qui Ecclesijs illud ornarunt,predicatores impoſuerunt. Ante aduẽtum Willibrordi iteratò dominabantur Friſij & adhuc illo veniente tenebant,ſed iuſte nunc tandem antiquo imperio per Pipinum adijcitur. 2. Quia Radbodus infeſtus regno Francorũ,plurima damna & pericula inferebat Friſiã Orientalem ferro & flamma depaſcebat: aduerſarijs Auſtraſiæ & Franciæ conſęderabatur, vt Pipino à Francia vim hoſtilem arcere, pericula auertere, perfidos caſtigare, damna illata reſarcire occupato Wiltaburgo fugatoque Radbodo iure licuerit. 3. Radbodus religionis Chriſtianę pertinax hoſtis, Eccleſias deſtruebat, fidem ſupprimebat. Prædicatores diuinos irridebat, impediebat, Paganiſmum promouebat etiam in ditionibus Francorum; ideoque ad fidei defenſionem, propagationem eum exuto Vltraiecto mulctare & potuit & debuit Pipinus.

DISSERTATIO XLVIII.

De aduentu S. Willibrordi Wiltaburgum.

CVm triumpho è Friſijs reuertentem Pipinum adit S. Willibrordus propoſiti ſui ad quod in patriam venerat exequendi gratiâ. *Ille eorum quos armis deuicerat animas quoque lucrari & ſeruare cupiens* (verba ſunt Barlandi) *Guillibrordum quem habebant ea tempora virum Sanctiſſimum eò miſit qui clariſſima Euangelici ſplendoris luce cacatos infidelitate populos illuſtraret & gentem alioquì indomitam ad veri & vnius Dei cultum accenderet.* De eodem ſic Heda: *expulſo autem Radbodo ex Traiecto ac citeriori Friſia circa annum 693. Willebrordus illo denuo ad prædicandum remiſſus propoſito edicto Prouincialibus ne quis prædicantibus moleſtiam inferret.*

Ingens vtriusque tam Willibrordi quam Pipini erat Zelus in salutem gentium. Optime agitur cum Princeps politicus & Ecclesiasticus in vnum quisq; pro suo gradu conspirant. Sic factum vt breui sacerdos numerosos animarum manipulos Deo offerret & vicissim Deus vtrumque plurimis accessionibus etiam temporalibus ditaret. Obtinuit etiam ea victoria Pipinus, vt Radbodus, qui victus in interiorem Frisiam fugerat, eiusque populares haud inclementer Willibrordum socioque de Christo concionantes audirent, filiâ eius Theudesindâ religionem veram professâ Grimoaldo Pipini filio legittimis nuptijs copulatâ, quamquam ipse Rex ad falsa numina eiurandum, Christianam fidem amplectendum, nondum induci potuerit.

Dissertatio XLIX.

De constructione oratorij S. Crucis.

VT Wiltaburgum intrauit S. Willibrordus, pro negotij sui promotione, Oratorium, siue sacellum S. Crucis extruxit. De hoc antiquus scriptor Ioannes de Beca: *Igitur electus Deo sacerdos magnam congregationem presbyterorum eligens ad castrum Traiectense peruenit quod in potestate Francorum orientalium eo tempore fuit, vbi prope ruinam primordialis Ecclesiæ S. Thomæ sacrum edificauit in honorem S. Crucis Oratorium in quo renatiui fontis primo consecrauit baptisterium vt Christi fideles ob defensionem castelli Traiectensis securum illuc haberent accessum ad suscipiendum sacrum baptismatis sacramentu* De eodem ait Heda, Traiectum redeuntem Willibrordum, ad ruinas Ecclesiæ ibidē in Episcopio

pio sub honore Diui Thomæ Apostoli à Dagoberto Rege nuper ædificatæ fundasse Oratorium in honorem S. Crucis, baptisterium in eoque consecrasse vt volentibus confugere ad fidem, securiùs liceret propter munitionem anno salutis 695, deputatis ministris qui sacris obeundis & hymnis & diuinis laudibus cantandis sedulò incumberent. Marcellinus ille & eum secutus dictus Heda statuit ędificationem Oratorij ann. 695. Lubentius quam corruptissimo Marcellino eiusque sequacibus fidem do Ioanni Becano dicenti illud extructum anno 693. Fauet facti ęquitas. Quid enim opus biennium illud differre? quid in prioribus vel potioribus habere debuerunt Euangelici viri quam Oratorium statim construere, postquam vẽdicato Traiecto anno 692. vel 693. per Principem eò statim missi fuerant? idque tum ad propriam deuotionem officiaque sua complenda, tum ad vsum prędidij Francorum haud dubie Christianorum per Pipinum Traiectinis impositi: tum denique ad Neophytos conuocandum, instruendum, baptizandum, reliquis sacramentis muniendum, atque etiam Gentiles alliciendum?

Rectè vero Apostolici viri initio prædicationis crucem proponunt, erigunt, quia prædicamus (inquit Apostolus) Christum & hunc Crucifixum. crux est trophęum & labarum Christianorum: à cruce exit & consummatur salus gentilium. *Crux tua* (Christe) *omniũ fons est benedictionum, omnium est caussa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. O admirabilis potentia Crucis! ò ineffabilis gloria passionis in qua & tribunal Domini & iudicium mundi & potestas est crucifixi! traxisti enim Domine omnia ad te & cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentẽ tibi, confitendæ maiestatis tuæ sen sũ totus mũdus accepit.* Leo de Pass. Dñi. Hinc S. Augustꝰ & socij

à Diuo

à Diuo Gregorio magno missi Britanniam primum intrantes crucem pro vexillo ferebant argenteam & imaginem domini saluatoris in tabula depictam. Beda lib. 1. cap. 25. Hinc olim templum erigi vetabatur sine pręuia erectione crucis: Concil. Aurel. cap. Nemo: de consec. distinct. 1. Burchardus lib. 3. cap. 6. Iuo lib. 2. cap. 6. quo nimirum nouiter conuersi & conuertendi monerentur in quẽ fidei, in quem gratię authorem aspicere haberent. Quare D. Ambrosius ser 56. *Sine Cruce* (inquit) *Ecclesia stare non potest*. Dubitaui subinde, an oratorium S. Crucis non sit idem quod postmodum & modo dicitur Saluatoris licet à S. Willibrordo in tanta amplitudine qnam modo habet non sit extructum. Idem enim videtur nomen: nam crucis templum est Saluatoris, quandoquidem crux non colatur nisi respectu Christi Saluatoris, & à cruce, per crucem Saluatoꝛ. Pręterea cum in templis cruci affigatur Saluator, illeque cum cruce honoretur, facile vtrumque nomen locus induit. Sic S. Augustinus Apostolorum nostrorum Apostolus & doctor, vbi in Regia ciuitate (Dorouernensi) sedem episcopalem accepit, recuperauit in ea Regio fultus adminiculo Ecclesiam quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuisse didicerat & eã in nomine S. Saluatoris Dei & Domini nostri Iesu Christi sacrauit atque ibidem sibi habitationem statuit & cunctis successoribus suis. Beda lib. 1. hist. cap. 33. Heda quidem in Heriberto Episcopo 26. apparet distinguere his verbis: non longe post, videlicet anno 1148. conflagrauit maior pars ciuitatis Traiecti, Maiori & S. Petri & Pauli atque Ioannis templis omnino consumptis flamma, vnà cum oratorio S. Crucis, Ecclesia S. Saluatoris non absque miraculo à tanto incendio intacta permansit cum imagine S. Saluatoris è fauillis asseruata quę adhuc visitur. Verum cõ-

ma-

mata in meo Heda inordinate disposita sensum relinquunt dubium, num templa sint consumpta flammis vna cum oratorio S. Crucis: aut Ecclesia S. Saluatoris intacta permanserit vnà cum oratorio S. Crucis. Dubium simul relinquunt num oratorium S. Crucis non fuerit inclusum in Ecclesia S. Saluatoris, quemadmodum dum ampliora tẽpla suscitantur, sacella minora ad antiquitatis veneratiõnẽ, nonnunquã inclusa reseruantur Clarius verò loquitur Becanus in Hereberto Episcopo 26. vbi postquã retulit incendiũ vrbis & templorũ, de Oratorio S. Crucis subiungit: *est autẽ* (Oratoriũ) *capella primordialis contigua tẽplo S. Salvatoris ædificata tempore Clementis* (Willibrordi) *in honore Sanctæ Crucis, quam edax flamma cum omnibus infra contentis flammatenus exussit; veruntamen imago Sancti Saluatoris prorsus incombusta permansit. Hanc sacrosanctam imaginem clerus & populus deuotionis honorificentia condignè susceperunt, quam ad vicinam Ecclesiam cum hymnis & psalmodijs transportarunt.* Vbi Oratorium statuitur extra templum S. Saluatoris.

Hinc intellige S. Willibrordum (idem de socijs) sensisse Crucem esse honorandam adorandam. ædes sacræ non extruuntur nisi vt illud vel illi in quorum honorem fit illic honorentur, orentur & adorentur adoratione sibi congrua & competenti. Crucem verò Christi esse adorandam sensit semper & sentit Ecclesia Catholica. Vide Synodum septimam aliàs Concilium Nicenum secundum act. 7. Conc: Tridentinum sess. 25.

DISSERTATIO L.

De Idolis apud Frisios coli solitis ante illatam Euangelicam lucem.

OLim gentiles vnicum Deum ignorantes vel ab eo discedentes, varios sibi ex vario affectu, imaginatione vel Dęmonum suggestione Deos id est Idola fabricabant, imo ferme nihil non Deum creabant. Sic quondã nostri Frisij ante aduentum Apostolicorum virorum diuersos Deastros tanquam Deos sibi Proposuerunt, magna superstitione coluerunt. In primis erant ipsis Idola Saxonibus & Germanis vicinis quibuscum cõmunicabant, communia, interque ea septem secundum numerum dierum hebdomadę: & secundum quæ dies hebdo: numerabantur. Scribit quidem Iulius Cæsar lib. 6. de bello Gallico: *Germani neq; Druidas* (sacerdotes) *habent, qui rebus diuinis præsint neq; sacrificijs studeant. Deorum numero eos solos ducunt quos cernunt & quorum opibus aperte iuuantur: Solẽ, & Vulcanum, & lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt.* Sed videntur Cęsari res Germanorum parcè innotuisse; longe enim aliter Tacitus lib. de moribus Germanorum, vbi: *Celebrant* (inquit) *carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuistonem Deum terra editum & filium Mannum originem gentis conditoresq;. Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingeuones &c. quidam autem licentia vetustatis plures Deo ortos.* & infra refert Aram Vlixi consecratam apud Germanos. Et longe post, Germani: *Herthum id est terram matrem colunt, eamq; interuenire rebus hominum,*

inuehi populis arbitrantur. Est in Insula Oceani Castum nemus, dicatum in eo vehiculum veste contectum; attingere vni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamq; bubus feminis multa cum veneratione prosequitur, deinde idem sacerdos satiatam conuersatione mortalium Deam templo reddit. Hinc manifestum est Germanos plures Deos quam Cæsar commemorat obseruasse; fuisse ipsis Aram, sacerdotes, quæ non nisi ad sacrificia ordinantur.

Primum itaque iuxta ordinem dierum hebdomadæ Frisijs Idolum sit Sol, quem credebant Solis, qui in firmamento residet, esse cooperatorem & collegam. Pingebatur instar medij hominis facie radiante flammis tēens ambobus brachijs ante pectus rotam ardentem, quibus significabantur circuitio seu rotatio circa totum Orbem, lux, calor, quibus omnia recreat, viuificat, illustrat. ab hoc primus hebdomadæ dies nominabatur Sunnan deag, nobis Sondach.

Secundum Idolum erat luna. Formabatur hęc mirabiliter instar mulieris, habens tamen breuem tunicam virilem, & caput tectum caputio cui affixæ erant longe aures, ante pectus ambabus manibus gestans argenteam lunam. Quid illa significarent nescio. Nautæ, piscatores, maris nauigatores tanquam patronam sacrificijs honorabant. Ab hoc monendeag nobis maendach.

Tertium erat Tuisco, alias Tuisto, putatus Deorum Germaniæ antiquissimus, de quo iam ex Tacito audiuimus. Efformabatur cinctus pellicea veste, quasi prisco Germanorum indumento, manu dextra tenens sceptrum instar Gubernatoris. Ab hoc Germanis nomen Tupsichu & dies Tiwesdeag nobis Dinsdach.

Quartum Woden, ipsis Deus Belli sicut Romanis Mars; ideo sculpebatur totus armatus scutum manibus versans. Pro victoria obtinenda inuocabatur & bello parta ei offe-

rebantur. Ab hoc **Wodenſdeag**, nobis **Woenſdach**.
Quintum Thor, alias Thunre ipſis Deorum potiſsimus, vt Romanis Iupiter. Repræſentabatur cum magna maieſtate in Aula ſedens ad extremum lecti decorè ſtrati: caput cingebatur corona aurea cui circumgyrabant duodecim ſtellę ſcintillantes: dextra oſtentabat ſceptrum Regium. Credebant iratum immittere ventos, fulgura, tempeſtates, ſterilitates, peſtes; placatum per ſacrificia omnia ſerenare, omnia mala auertere. ab hoc **Thunreſdeag** nobis **Donderdach**.
Sextum Friga, Krantzio Frea, quæ ſpectabatur vt vir & mulier, ideo ab alijs Deus, ab alijs Dea habebatur. Dextra vibrabat gladiū, ſiniſtra arcum, quo indicabant tam mulieres quam viros tempore neceſsitatis ad bella paratos eſſe oportere. Exiſtimabatur pacem procurare, amores conciliare. De ea mentionem facit Olaus Magnus in hiſtoria Septemtrionalium. Saxo Grammaticus narrat cum premente annonæ caritate Snione Rege per ſortem Dani emitterentur in aliud ſolum acquirendum, Fream Deam emiſſos inſtigaſſe vt ſe vocarent Longobardos. Verum id tanquam fabuloſum reijcit Krantzius lib. 2. Daniæ cap. vigeſimo primo, contendens nomen Longobardorum aliunde fluxiſſe. ab hoc **frigedeag**, nobis **vrijdach**.
Septimum Seater alijs Crodo repræſentabatur macer, longis crinibus & barba, capite, & pedibus nudis, ſiniſtra eleuabat rotam in altum quo vnitas Germanorum eodem fœdere procedentium: dextra portans ſitulam florum & fructuum plenam quo eius voluntas procurandi per naturalem imbrem flores & fructus: tunica aſtricta lineo albo cingulo cuius extrema ad diuerſas partes quaſi vento diſpergebantur, quo eorum libertas: ſtans ſuper piſcē nudis plantis aculeatum, quo eos, qui ipſā inuocarent, per quæque aſpe-

ra

ra leuissimè perrupturos declarabatur. Ab hoc dies septimus hebdomadæ Seater-Deag nos saterdach.

Super hęc, alia colebant, vt Irminsul, cuius mentionem facit Abbas Vrspergensis in actis Caroli Magni & de origine Saxonum. Erat id armati toto corpore effigies, cuius in dextra signum militare præferens rosam, cuius vt breuę momentum, & facilis ortus & interitus, ita & euentus præliorum: in sinistra libram expandebat, dubiam expugnantium sortem facile huc & illuc inclinantem. In clipeo leo, floribus consito campo in quo stabat. Foste siue Fosite à cuius celebritate Insula Fostilandia denominabatur Stauonē à quo Stauria. Flin positum super pyrote. Mercurium in Walachria celeberrimum &c. Postquam cum Romanis fœdera & amicitias inierunt, ab ijs plura mutuarunt.

Contra hęc monstra decertarunt Apostoli nostri non sinevitæ periculo & sanguinis effusione. Has Tartareas illusiones & ignorantias è mentibus gentilium eruere, hoc illo opus, hic labor fuit. Anterius tenebræ operiebant terram & caligo populos, illis aduenientibus, Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in Regione vmbrę mortis, lux orta est eis.

DISSERTATIO LI.

De ingressu duorum Ewaldorum in Westphaliam eorumdemque Martyrio.

EOdem, tempore, scilicet 693, duo Ewaldi exemplo S. Willibrordi & sodalium exciti, ex Hybernia in antiquam Saxoniam animarum Zelo intrantes, mox aureola martirij decorantur. Et quamuis dissertatione 32. probauerimus eos cum S. Willibrordo in Frisiam non enauigasse, libet nihilominus aliquantulum

quantulum de eis discurrere, tum quod cum eo eiusdem studij, eiusdem professionis sub Egberto Archimandrita (modo Harpsfeldio credimus) fuerint; tum quod in actis Apostolorum nostrorum eorum nomina frequentius occurrant; maximè quod à multis hactenus creditum sit eos cum S. Willibrordo ex Hibernia soluisse, collegasque apud Frisios venisse. Dabo 1. quæ dedit Beda lib. 5. hist. cap. 11. *Horum* (Willibrordi & sociorum) *secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hybernia multo tempore pro æterna patria exulauerant, venerunt ad Prouinciam antiquorum Saxonum, si fortè aliquos ibidem prædicando Christo acquirere possent. Erant autem vnius amboscui deuotionis, sic etiam vocabulis; namq; eorum vocabatur Heuualdus: ea tamen distinctione, vt pro diuersa capillorum specie vnus niger, alter albus Heuualdus diceretur. Quorum vterq; pietate religionis imbutus, sed niger Heuualdus magis sacrarum litterarum scientia erat instructus. Qui venientes in Prouinciam intrauerunt hospitium cuiusdam villici petieruntq; ab eo vt transmitterentur ad Satrapam qui super eos erat, eo quod haberent aliquid legationis causâ vtilitatis quod deberent ad illum perferre: non enim habent regem ijdem antiqui Saxones, sed Satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter sortes & quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, & huic obtemperant. Peracto autem bello rursus æqualis potentiæ omnes fiunt satrapæ. Suscepit ergo eos villicus & promittens se mittere eos ad Satrapam qui super se erat (vt petebant) aliquot diebus secum retinuit. Qui cum cogniti essent à Barbaris quod essent alterius religionis (nam Hymnis & Psalmis semper & orationibus vacabant & quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant habentes secum vascula sacra & tabulam altaris vice dedicatam) suspecti sunt habiti quia si peruenirent ad Satrapam & loquerentur cum illo, auerterent illum à Dijs suis & ad nouam Christianæ fidei religionem transferrent, sicq; paulatim omnis eorum prouincia veterem*

cogere-

cogeretur in nouam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos ſubitò & interemerunt; album quidem Euvaldum veloci occiſione gladij: nigellum autem longo ſuppliciorum cruciatu & horrenda membrorum omnium diſcerptione, quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Quod cum Sattapaille, quem videre volebant, audiſſet, iratus eſt valde, quod ad ſe venire volentes peregrini non permitterentur. Et mittens occidit vicanos illos omnes vicumq́ incendio conſumpſit. Paſſi ſunt autem præfati ſacerdotes & famuli Chriſti 5. Nonarum Octobris die; nec martyrio eorum cæleſtia defuerunt miracula. Nam cum perempta eorum corpora, amni, vt diximus, à paganis eſſent iniecta, contigit vt hæc contra impetũ fluminis decurrentis per 40. millia fere paſſuum ad ea vſq́ loca vbi illorum eſſent ſocij, tranferrentur. Sed & radius lucis permaximus atq́ ad cœlum vſq́ altus omni nocte ſupra locum fulgebat illum vbicumque ea peruenisſe contingeret & hoc etiam paganis, qui eos occiderant, intuentibus. Sed & vnus ex eis in viſione nocturna apparuit cuidam de ſocijs ſuis cui nomen erat Tilmon viro illuſtri & ad ſæculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat Monachus, indicans quod eo loci corpora eorum poſſet inuenire vbi lucem de cælo terris radiaſſe conſpiceret, quod ita completum eſt. Inuenta namque eorum corpora iuxta honorem martyribus condignum recondita ſunt. Et dies paſſionis vel inuentionis illorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique glorioſiſsimus Dux Francorũ Pipinus vbi hæc comperit, adducta ad ſe eorum corpora condidit cũ multa gloria in Eccleſia (iuxta Surij & Lippeloo marginalia eſt illa quę modo Colonię vocatur S. Cuniberti) *Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenũ. Fertur autẽ quia in loco in quo occiſi ſunt, fons ebulierit qui in eodẽ loco vſq́ hodie copioſa fluenti ſui dona perfundat.* Hęc ſunt Bedę, cuius poſteriora verba non parum contrariantur traditioni Colonienſium qua credunt martyrum corpora Rhenanis aquis deuecta ad locum vbi nunc in Eccleſia D. Cuniberti Coloniæ viſitur puteus cum hac Epigraphe, prout ex oculatis teſtibus percepi,

Appulit

Appulit Ewaldos violento gurgite Rhenus
Quos lux alta vehit, huc, vbi fons scaturit.

Insinuant enim 1. Ewaldorum corpora ab interfectoribus in amnem proiecta desijsse vehi flumine procul à Colonia. 2. Pipinum postmodum iussisse corpora ad se adduci eaque sepelijsse Coloniæ in templo S. Cuniberti iuxta Surium & Lippeloo; non itaque miraculose Coloniam vsque deuecta. De ijsdem scribit Warnherus Roleuinc Carthusianus Colonienſis in Fasciculo temporum: *Ewaldi duo sancti presbyteri predicationis gratia de Anglia venerunt in Westfaliam, & in villa suis precibus fontem de rupe traxerunt: & campum sanctum sic dictum vsque hodie consecrarunt in vsus pauperum vbi sæpe mira contigerunt contra testamentum sanctorũ volentibus facere & horribiliter plagati sunt Et vocantur ibi vulgariter Domini nostri de sancto campo vel prato.* Idem libro de laude Westphalorum non dubitat parochiam Laer primiceriam Westphaliæ vocare, eo quod certa supersint argumenta vnde constet S. Ewaldos ibi Apostolatum suum Westphalicum inchoasse.

Dissertatio LII.

De loco & anno Martyrij ipsorum.

Marcellinus hæc recitat: *Duo: quidem S. Ewaldi Nabiam introeuntes, Christum prædicando confessi sunt qui ab inde ascẽdentes in Saxoniã glorioso martyrio coronati sunt.* Quid, vbi Nabia sit & quo pertineat, à doctis viris (inquit Molanus) ignoratur; Forsã & ibi corruptus est Marc. Admisso textu mihi diu cogitãti occurrit apud Tacitum l. 5. Hist. in fine Nabalia fluuius qui facẽ per opaca fors præferet. Fuit is circa fines Westphalorum, Cliuiorum

orũ & Geldrorum non longè à Rheno, vt Rura vel aliquis ei vicinus; ac non incredibile ſicuti à Moſa Maeſlandia, pagus Maſus, ab Albi Nordalbingia, à Rheno Rhinlandia, ita à Nabalia fluuio certam terrę portionem Nabalia amne rigatam Nabaliam nuncupatam, & per ſyncopen Nabliam aut Nabiam in quam primò, ſiue ex Auſtraſia ſiue ex Friſia Ewaldi deſcenderint, inde in Saxoniam ſiue Weſtphaliam aſcendentes. Scio magnum Lipſium in notis ad Tacitum loco Nabalię malle legere Wahalis fluuius. Sed quid obeſt noſtram opinationem in ſymbolum conferre?

Hoc ſic liberaliter explicato, de loco martyrij duæ diſcrepant ſententiæ. Vna habet martyrium ſubijſſe vltra Viſurgum in Comitatu Hoyenſi ſub Diœcęſi Bremenſi. Aſt diſſonat V. Bedæ referenti occiſores Sanctorũ corpora proiecisſe in Rhenum; abeſt verò longiſſimé Rhenus à Comitatu Hoyenſi. Deinde apparet eorum Martyrium contigiſſe in primo ingreſſu ſiue ex Friſia, ſiue ex Auſtraſia in antiquam Saxoniam, quo nomine Weſtphalia intelligitur, eratq; eis primò occurrens. quare Satrapam primùm conuenire quærebant vt liberius in interiora Saxoniæ pergere ſine iniuria valerent. Sed ſi in Hoyenſi Comitatu interfecti eſſent, iam ingentem partem antiquæ Saxoniæ emenſi per multos Barbaros eò peruenisſent. Altera tradit eos occubuiſſe prope Tremoniam in Appellarbeke vbi celebris eſt eorum cultus cum miraculorum teſtimonio. Et hęc mihi veriſimilior quod ibidem riuus ſit cuius aquæ Rhenanis commiſcentur ac non immeritò Rheni nomen participare poſſit, vt Imſchar (Emſer) Tremoniam alluens.

Quantum ad annum, Wernherus Roleuinc lib. de laudibus Weſtphalorum ſtatuit occiſos anno 700. Quod ipſi argumentum ſit, non vidi. In communem ego ſententiam libentius abeo, obijſſe anno 693. Eſt Sigeberti, Baronij, Miræi

ræi Hargi, Balduuini Iunij, Zacharię Lippelo, Rosweidæ &c. à quibus non sunt censendi differre qui anno 694. nam inchoatos semper annos sumunt alij cum alij tantum perfectos. Aliud etiam his est initium & exitus anni quam alijs. Imo ipse pater Roleuinc in Fasciculo temporum martyrium eorum collocat inter annum 690. & 700. proxime ad annum 693. quamuis nō determinet præcise definitum. Quadrat aptissime noster calculus contextui V. Bedæ cuius planities omnino declarat, non longe post profectionem S. Willibrordi ex Hibernia illos secutos, ac in primo introitu in antiquam Saxoniam internecione ab iniquis vicanis deletos nullo notabili fructu edito. Cum ergo vel cum Sancto Willibrordo soluerint in Frisiam, vel quod magis approbamus & Bedæ existimamus esse, secuti sunt anno 692. vel 93. sequitur eos eo tempore occisos. si enim vsque ad annum 700. vel in Frisia, vel in antiqua Saxonia moram traxissent, cur de eorum laboribus, fructibus exhibitis, de conuersione aliquorum populorum Beda vel alius Author ne verbum diceret? Cur ne quidem in generali talequid commemorarent? cur tam oscitanter illorum sudores præterirent? si quæ in transitu leguntur patrasse, illa diutinam moram non desiderarunt. Quinimo dum narrat Historia ad propositi sui executionem Satrapam tamquam pagi rectorem conuenire voluisse, & in ista petitione seu conatu morte statim interceptos fuisse, insinuat nullum notabile lucrum ab ipsis factum: voluntatem promptam fuisse, inuidiam diaboli obstaculum creasse. P. Wernherus videtur nixus Marcellino cap. 10. quo recitatur Ewaldos anno 695. cum S. Suiberto ordinando in Britāniam indeq; Hiberniam iuisse sub pollicitatione redeundi ad Frisiam. Sed quanti ponderis Marcellinus ille sit, dudum librauimus & sæpe sæpius librabimus. Sacra eorum pignora Co-

lonię

loniæ in templo S. Cuniberti magna sunt in veneratione; quæ S. Anno Archiepiscopus aliquando decentius transtulit, ac nouissimè situ & obliuione pœnè sepulta Sanctissimus Patriarcha noster Norbertus præuio ieiunio & orationibus in splendorem rursus reduxit vnà cum corporibus S. Gereonis & Vndecim millium virginum.

DISSERTATIO LIII.

De destinatione S. Swiberti ad Episcopatum. Refutatur Marcellinus.

POstquam Apostoli nostri graui industria gratia diuina cooperante plurimam fidelium turmam Christo lucrifeciſſent in dieſque numerus augeretur, visum eis fuit neceſſarium Episcopum creari, qui Neophytis Sacramentum cõfirmationis impenderet, Eccleſias conſecraret, reliqua Eccleſiaſticos ritus, populi Cleriſque gubernationem concernentia administraret. De hoc consulto eiuſque executione sic Marcellinus cap. 10: *Deniq; creſcente quotidie numero fidelium, prædicantibus cum magna deuotione præfatis prædicatoribus, & credentibus gratiam baptiſmi quicumque ex eis erant ſacerdotali gradu præditi miniſtrarent: nec Eccleſias conſecratas haberent ad quas populũ conuerſum conuocare & diuina celebrare & complere poſſent: communi decreto omnium confratrum & Neophytorum duos ex eis Epiſcopos conſecrandos elegerunt, qui populo Friſonico præeſſent verbo prædicationis & Eccleſias dedicarent & ordines ſacros celebrarent, vtpote S. Willibrordum inter omnes merito præfulgentem, virum humilem & totius honeſtatis exemplis refertum. & S. Swibertum*

tum virum corde mansuetum scripturis sacris & Ecclesiasticis disciplinis apprime instructum. S. vero Swibertus ad Britanniam siue Angliam perrexit cum Acca & duobus Ewaldis cæterisque nonnullis Neophytis & ego Marcellinus cum eis. His verbis docet Marcellinus duos vno tempore ab eodē collegio fuisse electos, Willibrordum & Swibertum simulque inferius asserens hanc electionem, sicut & consecrationem Swiberti, peractam anno. 695.

Verum hic genium suum insigniter continuat Marcellinus. Planè hæc dissentiunt à V. Beda cuius sunt verba dum agit de prima itione S. Willibrordi versus Romam & reditu ab ea: *Quo tempore Fratres qui erant in Frisia verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus & mansueto corde Swibertum qui eis ordinaretur Antistes.* Quibus ait primò, vnum fuisse electum eo tempore, S. Swibertum, non duos. 2. S. Swibertum electum eo tempore quo, vel circa quod S. Willibrordus prima vice Roma recenter redierat instructus multis ad Ecclesiæ Frisiæ negotia necessarijs, quod contigit non longe ante annum 693. multo priùs quam S. Willibrordus destinaretur Antistes. 3. postquam complesset Beda integram narrationem de S. Swiberto, subiungit eodem capite assumptionem S. Willibrordi ad Episcopatum alio modo narrandi ijsque circumstantijs, vt quis facile concipiat posteriori tempore accidisse. Nec dicit S. Willibrordū electum à suo collegio, quemadmodum ante de S. Swiberto retulerat, sed fuisse missum à Pipino Romam consecrationis Episcopalis ergò, omniū tamē fauente consensu. Petijt Pipinus Willibrordum in Episcopum, nominauit, destinauit Episcopum, non electio fratrum quam Pipinus minimè expectabat. Vide disser. 58. in qua pro nostra sententia præter Alcuinum citatimus Becanum, Leijdensem isto Marcellino antiquiores.

Petes

Petes, cur Willibrordus non fuerit à Fratribus electus? cur non ille primò Episcopus, qui Dux totius agminis à missore erat designatus? Resp. obstitisse voluntatem Dei illum ad insessionem sedis Vltraiectinę reseruantem. Et credibile est illos Willibrordum optasse, sed vel illo resignante, refugiente, vel etiam suadente, S. Swiberto vota obtigisse.

DISSERTATIO LIV.

Quo anno S. Swibertus est ordinatus Episcopus.

SAnctus Swibertus electus statim in Britanniã transfretauit pergitque ad S. Wilfridum Eboracensi sede pulsum inter Mercios versantem, à quo Episcopalem consecrationem adipiscitur. Quo anno?

Ad vnum omnes quotquot hactenus in lectionem meam inciderunt, statuunt S. Swiberto Episcopalem consecrationem datam anno 695. nosque communem mentem in tabula nostra Chronologica secuti, idem proposuimus. Haustum id est ex Marcellini verbis cap. 10: *Atque ipsum* (Swibertum) *cum magna lætitia & solennitate consecrauit* (Wilfridus) *Episcopum in festo S. Bartholomæi Apostoli, anno scilicet ab incarnatione Domini* 695. *vocatis ad se in ministerium &c.* Verum lecto attentius V. Beda negotioque aliter discusso, intellexi falsitatem in illa concordia, & Sanctum Swibertum consecratum anno 693. non 695. quod probo: Ait Beda l. 5. historię c. 12. *Quem Swibertum Britanniam destinatum ad petitionem eorum confratrum eligentium ordinauit Reuerendissimus Wilfridus Episcopus qui tunc forte patria pulsus in Merciorum regionibus exulabat; non enim eo tempore Episcopum habebat Cantia. Defuncto quidem Theodoro, sed nec dum Berthwaldo successore eius qui transmare*

mare ordinandus erat, adsedem Episcopatus sui reuersus. Hæc Beda. Tempus verò quo Berthwaldus consecrationis Episcopalis ergò in Gallijs à Britannia aberat & quo Cantiana Ecclesia adhuc suum Antistitẽ nõ receperat, est annus 693. Itaque consecratus est S. Swibertus anno 693. eo scilicet tempore quo Berthwaldus in Gallijs ob dictam causam herebat; nam nec toto eo anno, nec vlterius à sede Cantiâ Berthwaldus abfuit. fuisse autem illud tempus annum 693. apertè edisserit Beda ibidem cap. 9. *Qui Berthwaldus electus est quidem in Episcopum anno Dominicæ incarnationis* 692. *die primo mensis Iulij, regnantibus in Cantiâ Wichtredo & Suebhardo. Ordinatus autem sequenti anno* 3. *die Calendarum Iuliarum Dominicâ à Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum & sedit in sede sua pridie Calendarum Septembrium Dominicâ.* Vides hic Berthwaldum electum Cantuariensem anno 693. in Gallias concessisse, ibi per aliquot menses, in quorum vno ordinatus est S. Swibertus, egisse & eodem anno in Britanniam reuersum cathedræ suæ insessionem inchoasse. Habet aliquid huic conforme Marcellinus supra, vt quod dicit se cum Swiberto veniisse in conuentum Eboracensem in vigilia S. Laurentij & Swibertum consecratum in Festo S. Bartholomæi Apostoli in mense nimirum Augusto, quo nondum cathedræ suæ aderat Berthwaldus. Anno 693. Berthwaldum Episcopum inthronisatum & vacantiam Cantianam fuisse expletam, tradit & tabula Fastorum Regum & Episcoporum Angliæ impressa Francofurti anno 1601.

Nec æquum erat (si rationibus agendum sit) cur in annum 695. differrent nostri Apostoli eligere Episcopum, cum hactenus plurimi essent Neochristiani & plurimi futuri, qui Chrismate egerent: Ecclesiarum consecrationes, aliaque necessaria essent forentque. Nec recte respondetur eos eousq; potuisse administrare & administrasse saluti necessaria

necessariâ, baptismum, doctrinam Christianam. Sacramentum confirmationis absolutæ necessitatis non esse, ideoque licite differri potuisse sicut & olim seriùs dabatur. In Ecclesijs non consecratis, potuisse ad tempus vti lapidibus portatilibus consecratis quos facile vel à Britannia vel vicinis Episcopis erat habere, sicuti & de facto scimus S. Willibrordum & S. Ewaldos altaribus portatilibus ab Episcopo consecratis in prædicatione vsos fuisse. Non, inquam, hoc recte respondetur; quia Clericorum ordinationes, missiones, parochiarum institutiones, consecrationes Ecclesiarum, olei, altarium, Neophytorum confirmationes, sine inconuenientiâ, periculo & dispendio tam publicis quam priuatis eò vsque procrastinari aut omitti non poterant. Quæ considerantes viri Apostolici, dum ad gentium conuersionem irent, vel Episcopi erant vel Episcopos se ordinari permittebant, vel in comitatu Episcopos habebant, aut quamprimùm procurabant.

Ordinatus itaque est S. Swibertus anno 693. & quidem à S. Wilfrido apud Mercios agente. Germanam causam cur non ad Archiepiscopum, sed ad Wilfridum S. Swibertus perrexerit ordinandus, aperit nobis Beda irrefragabilis testis verbis ex cap. 12. mox allatis. Quibus docemur fuisse adeundum nostris Archiepiscopum & quidē Cantuarien-sem, vtpote cuius ex iure erat Episcopos in Britannia consecrare: absentiam vero eius in Gallijs coegisse illos vlterius ad Wilfridum properare. Vnde merè fictitia & ridicula est eius facti causa quam adfert Pseudomarcellinus cap. 10. scilicet, graue incommodum infirmitatis Egberti Archiepiscopi Eboracensis quo impeditus non potuerit consecrare S. SVVIBERTVM, debueritque ideo SVVIBERTVS proficisci ad Wilfridum inter Mercios versantem. Planè è figulina Marcellini hæc prodijt. Quia enim cap. 4. affirmarat

rat Swibertum primò Canonicum Eboracensẽ, postmodũ Abbatem creatum fuisse ab Egberto Eboracensi Archiepiscopo eius magno Męcenate: & cap. 6. ab eodem Archiepiscopo emissum in Frisiam: prętera cap. 10. consecrationis ergò redijsse Swibertum in conuentum Eboracensem, vbi Egbertus Archiepiscopus residebat; perplexus iam & non potens se extricare cur relicto adeo colendo suo Prelato tam longo itinere ad Wilfridum perrexerit, excogitat graue incommodum Egberti Archiepiscopi, sed imperitè & mendacium (oportet enim mendacẽ esse sui memorẽ) addens mendacio: nullus enim Archiepiscopus Eboracensis anno 693. sedit, & non nisi longe post obitum Swiberti; nec à tali Episcopo in Frisiam missus est Swibertus, vt differ. 13. fusè est ostensum. Vide etiam differ. 31.

Sed quomodo Wilfrido fas fuit Svuiberto χειροτονίαν impertiri, cum simplicis Episcopi limites excedat? Respondet Baron. ad annum 695, putari Wilfridum dum interesset Romę Concilio ab Agathone Papa celebrato accepisse pariter ab Apostolica sede plenã authoritatẽ Apostolicę sedis legati, qua nisus S. Swibertũ cõsecrarit Episcopum. Nec improbabile est eum accepisse post obitum Theodori Cantuariorum Archiepiscopi qui incidit in annum 690, vsque dum Berthwaldus legitimè esset ordinatus: frequenter enim ex commissione superiori loca defunctorum Episcoporum supplebat.

Dices. Wilfridus erat per Theodorum Archiepiscopum Cantuariensem sedis Apostolicę cum summa potestate per totam Britanniam Legatum Episcopatu & omni officio priuatus; quomodo ergo potuit exercere actus ordinationis? Respondetur: non valuisse Theodorum etiam vt Legatum priuare Wilfridum facultate quam ab ipsomet Pontifice immediate acceperat; non enim eousque extenditur potestas

potestas Legati. 2. Theodorus iniuriosè & violenter sine iusta causa spoliauit Wilfridum suis officijs, quemadmodum tradunt Historiæ Anglicanæ, nominatim Malmesburiensis lib. 3. de gestis Pontificum Angl. priuatio autem iniusta non priuat verè. Adde sedem Apostolicam Wilfridum quantumlibet accusatum nunquam condemnare voluisse, imo pro eo sententiam tulisse, exemptum declarasse. 3. Theodorus ante mortem suam pœnitens de actis in S. Wilfridum eum restituit in integrum quantum ex parte sua poterat; ita Malmes. qua mutatione, posito quod priuatus fuisset, reuixit potestas in Wilfrido.

Ad ornatum Chronologiæ consecrationis Swibertinæ idem Marcellinus hæc in fine cap. 10. *Sed S. Swibertus ordinatus fuit anno 4. Iustiniani Imperatoris pijssimi &c.* Quibus clarum parachronismum admittit. Demus S. Swibertum ordinatum anno 695. non tamen ideo fuit ordinatus anno 4. Iustiniani, sed potius 10. sequenti enim 696. iuxta Onuphrium, Iustinianus imperio exuitur à Leontio truncatis naribus in Chersonesum relegatus cum ferme 10. integris annis imperasset. Et quamvis sit aliqua discrepantia inter Onuphrium & Baronium de relegatione Iustiniani & initio imperij à Leontio inuasi (hoc illud signante anno 694. altero anno 696.) saltem in hoc omnes conueniunt annum 695. quo ordinat Marcellinus S. Swibertum, esse plusquam quartum, quintum, sextum, aut septimum Iustiniani. Quinimò iuxta calculum Baronij S. Swibertus si ordinatus anno 695. non est ordinatus Iustiniano, sed Leontio annum 2. regnante qui inuaserit imperium anno 694. pulso Iustiniano.

Insistendo demum nostræ sententiæ, scilicet S. Swibertum inaugurationē sacram suscepisse anno 693. consequēter statuendum eam accepisse anno octauo Iustiniani iuxta

Onuphrium quem libentiùs hîc sequimur (quanquam secundũ Baronium anno nono) indictione 6. cijclo solari 12. lunari 10. littera Dominicali E. in qua recolitur festũ S. Bartholomæi Apostoli 24. Augusti. Vnde hinc pro nostrâ argumentum sumere licet ex ipsomet Marcellino: consecrationes Episcopales præstantur ex præscripto Canonum die Dominica; atqui asserente Marcellino consecratus est S. Swibertus festo Apostoli Bartholomęi; festum autem Apostoli incidit in Dominicam anno 693. non 695. ergo recte ponitur eius consecratio anno 693. non 695. Hinc non debet quis nos temeritatis arguere quasi nouam sententiam proponeremus. Non nostra est, Bedæ est: non noua est, vetus est, licet latuerit. Plus debet valere coætaneus pænè oculatus testis Beda, quam Marcellinus erroribus vt pannis obsitus. Neque potest obijci surrepsisse supra apud Bedam c. 9. errorem calcularium à typographis siue scriptoribus, quia, præterquam quod annum 93. plane demonstret series contextus Bedani, dies assignati cum anno optimè quadrant; 3. enim Calendarum Iuliarum die Dominicâ (in qua Berthwaldus est Infulatus) incidit eo anno littera Dominicali existente E, non autem anno 695. quo 3. Calendarum Iuliarum numerabatur die martis, littera Dominicali C.

Pro complemento ordinationis Swibertinę addit personatus Marcellinus eodem cap. Sanctum Swibertum accessisse ad S. Wilfridum tunc Episcopum Merciorum, prudentior ipso Beda dicente: *Quem ordinauit Wilfridus, qui tunc forte patria pulsus in Merciorum regionibus exulabat.* Hunc Marcellinum imitati aliqui Scriptores Sanctum Wilfridum consecratorem intitulant Episcopum Merciorum, quorum mimisis satis est præpropera. Pulso enim Wilfrido anno 691. Sexvvlfus erat Episcopus Merciorum

ciorum & simul Mediterraneorū Anglorum. Sexuulfo anno 692. vel sequenti mortalitatem exuente, vtriqúe genti proprius donatur Episcopus: Hedda Mercijs in vrbe Licefeldensi; Wilfridus Mediterraneis Anglis in vrbe Legeceſtrensi; perseuerauitque vterque in suo Episcopatu vsque ad annum 704. aut 705. quo Wilfridus reconciliatus Northumbrorum Regi, Episcopus fit Haguſtaldensis. Vnde Wilfridus dum Swiberto manus imponit, non Episcopus erat Merciorum, sed Legeceſtrensis id est Mediterraneorū Anglorum. Lege Malbesburiensem, Harpsfeldium, & tabulam Regum & Episcoporum Britanniæ (est ea impressa Francofurti cum alijs Catholicis Anglicanis 1601) in qua vtriqúe populo proprij sunt Pastores. Sane ipse Beda Wilfridum Episcopum Merciorum nec hîc, nec alibi intitulat: solùm dicit, qui tunc fortè patria pulsus in regionibus Merciorum exulabat, quod longe aliud est. Potius inde colligerem, ne quidem S. Swibertum inueniſſe Wilfridum in propria residentia id est Legeceſtrensi, sed extra apud Mercios: cum enim mediterranei Angli Regi Merciorum & Mercijs essent subiecti, facile ei potuerunt ibidem euenire negotia, potius, inquam, hoc colligerem quam Wilfridum fuiſſe Episcopum Merciorum. Leijdensis etiam Wilfridum non nominat Episcopum Merciorum, sed loquitur sicut Beda.

Aduerte tamen phrasim Marcellini & sequacium excusari posse, nec omnino falsam si commode accipiatur: nam apud Malmesburiensem & Harpsfeldium video Episcopium Legeceſtrense siue Mediterraneorum Anglorum recenseri in Prouincia Merciorum, non quod Mediterranei propriè loquendo essent Mercij, sed quia subiugati & quodammodo vniti parerent Mercijs ideoque in prouincia seu ditione Merciorum numerabantur. Erat frequens ab initio

quo Britannia in Heptarchiam cœpit diuidi, quod Reges mutuos fines carperent, mutua regna inuaderent, inter quos non postremò vigilabant Reges Merciorum, ac postmodùm post annum 750. excelluit Offa eorundem Rex, qui ex vicinorum finium detractione imperium tenuit amplissimum illudque in diuersos Episcopatus distribuit, ita ut invito Cantuariensi etiã sedem Archiepiscopalem apud propriè dictos Mercios induceret. Distinctionem Merciorum & Mediterraneorum Anglorum lege etiam, si placet, apud Henricum Huntundonienſem, vbi vtrique Provinciæ diuersus Rex scribitur, quamvis mox in vnum convenerint.

Ad falsitatem ab historia propulsandam vtile erit hic simul annotari insignem distaxiam, quam committit idem Marcellinus initio capitis 5. in enumerandis Episcopatibus S. Wilfridi hoc modo: (*Wilfridus Episcopus Lindisfarnenſis siue Augustaldenſis, deinde Merciorum, nouissime Eboracenſis Archiepiscopus &c.*) Primò verbis *Augustaldenſis siue Lindisfarnenſis* supponit vnum eundemque Episcopatum esse Augustaldenſem & Lindisfarnenſem, quod falsum esse dissertatione 31. ostendimus. Præterea Wilfridus non fuit primò Episcopus Lindisfarnenſis aut Augustaldenſis specialis: fuit primò creatus Episcopus totius Northumbriæ in sede Eboracenſi, cui Augustaldenſis & Lindisfarnenſis ditiones subiacebant tanquam membra vnius capitis. Secundò verba illa, *deinde Episcopus Merciorum*, falsa sunt si intelligantur immediatè: nam antequam Mercios (ita modo loquamur) regeret, fuit Episcopus Seleſienſis apud Australes Saxones.

Tertiò, *nouissime Eboracenſis*: crassus error est: nouissimè enim omnium priuatus diu sede Eboracenſi, donatus est Episcopatu Augustaldenſi, cui & immortuus. Hinc titulos

Wilfridi

Wilfridi ordinatè sic enumerabis: Wilfridus primò factus est Episcopus totius Northumbriæ: expulsus inde Episcopus Selesiensis id est Australiũ Saxonum: restitutus, Episcopus iterum Northumbriæ per annos 5. Pulsus secundò, Episcopus Legeceastrensis id est Mediterraneorum Anglorum: nouissimè aliqualiter restitutus Episcopus fit Haugustaldensis vsque ad obitum; Vir multis iniurijs agitatus, propter quas quater Cathedram mutare est coactus. Hæc te, Lector, docebunt Venerab. Beda & aliæ fidissimæ Historiæ Anglicanæ, vt non sit opus ex turbido fonte potare.

Purgemus & illud, quod initio capitis est: *Itaque anno ab Incarnatione Dominica 677. cum S. Wilfridus Episcopus &c.* Longe verius repones 678. iuxta Venerab. Bedam, quem reliqui sequuntur. Multo peiùs quædam exemplaria legunt 687. inversis, credo, vitio Scriptorum vel Typothetarum numeralibus litteris, quam tamen lectionem sequitur Guilielmus Heda & ad marginẽ Bernardus Furmerius in notis. Est verò error intolerabilis, contra quem ratio temporis manifestissimè conuincit, cum S. Wilfridus Episcopus, postquam in Frisia prædicasset, Romam venerit sub Agathone Papa, qui desijt anno 682. uel 683. testibus Onuphrio, Baronio alijsque.

Dissertatio LV.

Martyrium S. Wigberti & simul examinatur Marcellinus.

MArtyrium Sancti Wigberti in tabula Chronologica ad annum 694. locauimus, & quamquã certus is annus non sit, est tamen probabilis, ideoq; hoc loco de eo aliquid dicendum. Quis qualisve Wigbertus cum S. Willibrordo enauigarit, dissertatione 30. inquisiuimus: de Martyrio præsentis nunc intenditur, qualiscumque, cuiuscumque nominis fuerit: nam eius qualitas ignoratur & potuit Binomius fuisse, quandoquidem aliqui in enumeratione sociorum S. Willibrordi omisso Wigberto Werwinum vel Ingelmundum nominant, & teste Molano in natalibus Sanctorum ad 21. Iunij vulgatum Hollandiæ Chronicum confundit Ingelmundum cum Wigbertò martyre affirmatque martyrisatum à Radbodo Barbaro Frisiorum Rege. De Wigberto hęc Marcellinus cap. 7. *Morabatur autem perfidus Radbodus Rex Frisiæ illo tempore expulsus à Traiecto per Pipinum apud Insulam Fostilandia. In qua Insula Sacerdotes Dei suggestione S. Wigberti conuenientes, profana statim delubra Iouis & Fostæ destruxerunt. Radbodus verò Rex iniuriam Deorum suorum vlciscì disponens, S. Wigbertum quem dudum nouerat Christianum vnum ex consocijs Sanctorum, diro tormento ingulari iussit &c.* Martyrium primò refert quod audiuimus. Insuper proponit S. Willibrordum cum S. Wigberto alijsq; sodalibus in Fostilandia egisse dum Wigbertus Idolorum destructor à Radbodo iugularetur. Verum reliqui Historici omnes de hoc introitu in Fostilandiam agentes, solius Wigberti ingredientis meminerunt

alij

alijs commilitonibus alibi occupatis. Atque hæc inter illos Reinerus Snoyus postquam dixisset Willibrordum cum socijs à Pipino dimissum, ad D. Thomæ ruinas Traiecti conuenisse, *Caterum*, addit, *Wigbertus cæteris collegis audentior Radbodum compellare ad Fostilandiam, à Foste Deo suo denominatam insulam atq; Iouis & Foste delubra ibidem virtute diuina subvertere.* Vbi aperte Wigbertum à reliquorum consortio separat.

Facit pro ijs ratio; nam Apostoli nostri victis Traiectensibus à Pipino missi statim Traiectum, & ad citeriorem Frisiam remearunt, ibique cum plurimum esset negotij, non est verosimile relictis illis, Fostilandiam perrexisse, multò magis quod apud obstinatum Radbodum in Christianos tumentem & iam recenti amissione vrbis Traiectensis exacerbatum, nullum fructum sperare daretur. Secundò, si fana & idola destruxissent, non minus eos peremisset Radbodus, quam Wigbertum, recenti calente ira & in Christianos odio. Sanè Alcuinus introitum Willibrordi in Fostilandiam non enarrat nisi postquam factus ille fuerat Episcopus, post annum scilicet 696. Ioannes Becanus quidem affirmat etiam post euictum anno 693. Traiectum, Pipinum Ducem Willibrordum presbyterum destinasse ad Frisiam vt sua prædicatione Radbodum Regem revocaret ad baptismi gratiam, additque immediate: *morabatur autem Radbodus Rex apud insulam Fostilandiæ quæ valde solemnis erat propter superstitiosam sectam Idololatriæ, vbi sacerdos Dei Willibrordus prophana delubra Iouis destruxit & tres homines satanæ pompis abrenunciantes baptisauit. Radbodus vero Rex iniuriã Dei sui ferociter vlcisci disponens, iugulari iussit vnum de collegio S. Sacerdotis per casum sortilegij.* Verùm quia illum adventum Willibrordi in Fostilandiam illaque facta Alcuinus proponit post Episcopatum Sancti Willibrordi & post Danicam pere-

peregrinationē, existimo Becanum ea per anticipationem & quasi per parentheſim hîc inſerere, ad oſtendendam nimirum Radbodi qualitatem ac animi duritiem quam in illa Inſula oſtendit. Quâ bene cognitâ S. Willibrordus merito mentem ſuam ab eo ad Traiectenſes & citeriores Friſios direxerit. Adde nec Alcuinum, nec Becanum (quorum tamen verba & rem planè affectat dictus Marcellinus) exprimere Wigbertum fuiſſe qui Willibrordo exiſtente in Foſtilandia fuerit occiſus ideoq; potuit cogitari alius diſcipulorum occiſus fuiſſe; nam plures cum tempore habuit comites & cooperatores qui nobis non ſunt noti & Radbodus non ſemel habuit occaſionem ſæuiendi in ſanctos. Atque ita apparet alium introitum fuiſſe Wigberti ſolius in Foſtilandiam, de quo Reinerus ſupra, Molanus, & alium de quo Alcuinus. Aliter itaque Molanus. *Hic autem Wigbertus à Rege Radbodo in Foſtilandia diro tormento eſt iugulatus eò quod Chriſtiani eo loci ipſius ſuggeſtione delubra Iouis & Foſte deſtruxerant*: atque ſic loco illorum verborum (*Sacerdos Dei*) melius ſubſtituerentur in Marcellino (*Chriſtiani vel fideles*) per Wigbertum modò vel aliàs fide illuminati.

Neque mireris lector hîc etiam textum Marcellini nobis ſuſpectum cenſoria virga notari, quia totũ illud caput ſeptimum confuſione notabili eſt implexum; latebram enim Radbodi in Foſtilandia primò proponit ac ſi noſtris Apoſtolis ex Hibernia advenientibus iam contigiſſet, cum tamen duobus vel tribus annis poſt eo fugerit Radbodus deturbatus e Traiecto per Pipinum anno 693. Deinde peracto Martyrio S. Wigberti, ſubiungit digreſſum S. Willibrordi ſociorumque ad Pipinum verbis integrè ſumptis ex V. Beda cap. 11. cum tamen ille recurſus Willibrordi apud Bedam citato loco, non contigerit poſt interemptionem Sancti Wigberti, nec poſt occupatum

Traiectum

Traiectum, sed tribus vel quatuor annis ante, cum S. Willibrordus primò ex Britannia Traiectum à Radbodo insessum in citerioremque Frisiam appulsus, ob rigorem & Barbaras Frisiorum mentes in ijs nullam spem fructificandi videret, nisi Pipini fauorem adeundo obtineret. Vt obscurè, inordinatè, ordine perverso, ne dicam falso, hunc recursum Apostolorum nostrorum ad Pipinum ex Beda, & introitum Willibrordi in Fostilandiam ex Alcuino mutuatos huc compilator adducat. Aptius Bedæ verba fini præcedentis capitis assuisset. Interim Wigbertum martyrem agnoscimus cuiuscumque nominis, qualitatis fuerit, siue cum S. Willibrordo advenerit, siue supervenerit, siue cum eo in Fostilandia fuerit, siue solus. Multas circumstantias circa sanctos nobis iniuriosa ætas partim obscurauit, partim exstinxit: propter quod tamen sanctis sua merita, suas coronas negare non debemus, maximè cùm ab Ecclesia Catholica nobis proponuntur.

De anno Martyrij.

Rarò annus Martyrij eius annotatur. Aliqui recentiores ad annum 695. designant: nos in tabula Chronologica annum 694. probabilem duximus, conformiter ad ea quæ initio huius dissertationis sunt dicta. Quin inter annum 690. & 700. contigerit, non est ratio dubitandi. Si illum vnum quem Alcuinus suprà nullius expresso nomine narrat in Fostilandia à Radbodo iugulatum, interpretemur nostrum Wigbertum, (quod per me licet) rectius statuetur eius natalis post Episcopatum Willibrordi circa annum 700. atque ita statuendum S. Wigbertum in Fostilandia bis Radbodum accessisse: quid enim vetat in ijs qui piè pertinaci zelo animas lucrandi feruebant? primò solum de quo Snoyus, Molanus &c. Secundò cum S. Willibrordo, de quo Alcuinus, hacque vice necem pertulerit

quas acceſsiones hîc capite ſeptimo in vnum commiſcet Marcellinus. Natalis eius an alicubi celebretur me latet: à recentioribus tamen notatur idibus Auguſti, inquit Molanus. Mirum tamen eſſet proprij Apoſtoli & qui Friſiã ſuo ſancto ſanguine purpurauit, in eâdem natalem diem non eſſe celebratum.

Dissertatio LVI.

De Foſtilandia.

FOſtilandiam Wigbertinæ necis locum omnes Inſulam faciunt: quem autem ſitũ in Friſia habuerit, inexploratum. Sunt qui ad Albim fluuium vel ex oppoſito oſtij fluuij in inſula nominata Heyligerlandt eam collocant. Sed hoc de noſtra Foſtelandia nullo modo dici poteſt. Alcuinus ſuprà ſtatuit in confinio Danorum & Friſiorum in eaque S. Willibrordum cœli intemperie coactum hoſpitium cæpiſſe dum iter ad Danos inſtitueret. Nonnulli Foſtilandiam opinantur eſſe Inſulam ad littus Friſiæ Oceano incluſam ab auaro Neptuno multum imminutam hodie Amelandiam olim Amſtrachiam dictam iudice Iano Douſa eâ ſuper diſputante lib. 2. Annalium Hollandiæ. Horum opinio non eſt extra verisimilitudinem. Molanus in indiculo Sanctorum Belgij verbo Wigbertus: *videtur autem*, inquit, *Foſtilandia extremis Friſiorum finibus fuiſſe contermina quo in loco Tacitus Foſos aut Foſitas nominat.* Verùm hoc nulliùs probabilitatis apud me eſt. Foſi apud Tacitum nimis remoti erant à Friſia quã vt Radbodus vnico oppido amiſſo tanquam lepus in prælio eò fugeret. Erant namque contermini Cattis & Cheruſcis. Cheruſci autem Germaniæ erant populi Tranſrhenani quos

Bace-

Bacenis sylua Germaniæ ingens, iam nigra secundum quosdam dicta, à Sueuis pro natiuo muro diuidit. Catti similiter populi erant Germaniæ Trans-rhenani Ligijs Hungariæ populis, Cheruscis, Herciniæque syluæ proximi ac Hermanduris cum quibus pro flumine finitimo sale fæcundo pugnabant & in æternum discordabant. Vide Tacitum lib. Annal. lib. 1. 2. 12. 13. & lib. de moribus Germaniæ. Inde videbitur quantum nimis à Traiecto distiterint Fosi Taciti, quâm vt relicto regno, desertâ plebe quasi panico terrore correptus ad eos exteros se proripuerit Radbodus. Aliud erat acri viro pectus quod non longè post ostendit, alius populo belligero & feroci animus. Restabant reliqua Frisia, insulæ multæ, munita loca multa quæ hostis nondum attigerat. Imo obtento Traiecto & arce milite præsidiario munitâ mox in Austrasiam reuertitur Pipinus alijs negotijs & bellis eum reuocantibus, vt non fueritopus eum adeo longinquã, ne dicam ignominiosã fugã arripere. Eędem rationes militant contra opinionẽ primam. Quare alio loco quærenda est Fostilandia Radbobi, Frisiæ propinquiùs, vel in Frisiâ. Si quid mihi coniectare liceat, conijcio esse insulam riuis vel fluminibus septam èregione Amelandiæ magis introrsum ad mediterranea Frisiæ, in quâ charta topographica à Sibrando Leonio ordinis Præmonstratensis Canonico delineata & operi Orteliano inserta repręsentat vicum nomine Fosweert, quasi Fosteweert, id est insula Foste. Præter indicinam ex cognatione nominis, argumentum est quod consensu scriptorum Radbodus Traiecto profligatus se receperit, non in Oceanum aut extrema planè, sed in vlteriora & penitiora Frisiæ, quod de mediterraneis & à mari remotioribus locis cõmodiùs accipitur. Interim coniectura mea sit, meliori lubens palmam cessura. Hanc Fostilandiam Beatum Ludgerum Frisium primum Episcopum

Monasterienſem prædicatione ſua illuſtraſſe, tradunt Monachi Werdenenſes in vita ipſius.

Dissertatio LVII.

De admiſſione Alpaidis pellicis & dimiſſione Plectrudis à Pipino.

IAm 14. annum in maioratu Auſtraſiæ, in Franciæ maioratu ſextum aut octaum annum agebat Pipinus Herſtallus, Heros pacis & belli geſtis ſpectatiſsimus. Suſpiciebat eum totus penè orbis, hoſtibus omnibus formidabilis, bonis ſummè amatus, vbiq́ue victor ſecundam fortunam quaſi uxorem duxerat. Verùm huius terrę theatrum nil ab omni parte producit beatum. Qui feroces populos domare, proprios affectus domare non valuit Verſabatur in eius aulâ numeroſa variarum Prouinciarum nobilitas, Duces, Marchiones, Comites, Dynaſtæ provt Principum fælicitatem ſolent ſequi: inter eos quidam cui nomen Dodo. Comitis titulo decoratus, adeo adulationis ſimulationiſq́ue technis inſtructus, vt Principē locum apud Pipinum facile teneret, ab eo libenter audiretur, nihil maioris negotij ille gerere, quod non Dodonis conſilio, calculo eſſet munitum, approbatum; ſolus ipſe Principis aures obſidere. Sed vtinam in admittendo conſiliario & amico cautiorem delectum habuiſſet Pipinus! vtinam illi obtigiſſet quod Alexandro Imperatori, de quo Lampridius: *Amicos ſanctos & venerabiles habuit, non malitioſos, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorum inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumuentores ſui, non irriſores, non qui illum tanquam fatuum circumducerent: ſed ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, amantes Principis ſui, & qui de illo nec*

ipſe

ipsi riderent, nec risui esse vellent; qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, numquã deciperent æstimationem Principis sui, sed amarent. Vtinam hæc tibi Pipine? Recepisti inimicum amicum, desultorem consultorẽ, sui magis quam tui amantem. Habebat secum Dodo sororem Alpaidem vocatam, cui blandus formæ decor, & præter formę decorem nihil decoris inerat. Illa luminibus Pipini sese obiectare, leuibus gestibus perstringere, fascinare, ac (ita loquar) vt altera Herodias ante Pipinum saltitare. Ille vt alter Holofernes in oculis suis capi, vt alter Herodes puellę tripudia amare, approbare, omnia mentis cogitata, omnia oris effata in eam conuertere. Dodo hinc optimam occasionem ratus se suaque destinata promouendi, tam Pipini, quam sororis mutuos ignes accendere; fastidium Plectrudis ingerere, nihil veritus sibi familięque probrosam notam, nihil Principis æstimationem, nihil aduersariorum quorumcumque conatus, solummodo Germanam Principis consortem nanciscceretur. Quid plura? concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Erumpit impotens flamma velut Æthnæis faucibus eructata, contineri nescia. Concluditur cooperante Dodone nefas. Austrasiâ totâ, Franciâ totâ aspicientibus & gementibus Alpais in palatium solemniter recipitur: abire legitima vxor Plectrudis spectatæ honestatis Matrona, matrimonialem plurium annorum thalamum dissidij hactenus expertem propudioso scortulo cedere cogitur, Pipino

Vnde altior exit
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ

Quid animi S. Lamberto spirituali Patri iam fuerit & vita & Martyrium ostendunt. S. Willibrordus apud Frisios Apostolico operi intentus auditâ Mecenatis sui liberalissimi, huc vsque pientissimi deformi Metaphorâ, in-

gentem dolorem animo concepit: timuit salutis eius æternum naufragium, Ecclesiæ teneræ Frisiæ deplorandum occasum. Quin toti Austrasiæ, quà sacræ, quà prophanæ summum periculum imminere. Docent enim exempla, Principes in fædum publicum adulterium lapsos, omnem honestatem, omnem religionem exuere, cælum terrâ, sacra prophanis miscere, iusto Dei iudicio in hæresim & Ecclesiæ persecutiones deuolui. Idem iam timendum; quare assiduis precibus pulsandam Dei misericordiam, Principem ad seniorem mentem reducat, ab Ecclesia sua omne malum auertat. Plectrudis interim quiritat, gemit, lachrymatut. Tandem videns maritum ad conceptam libidinem obstinare, Coloniam Agrippinam discedit, vbi mente ad patientiam compositâ, per aliquot annos se continet in palatio ad Capitolium dicto, perdia & pernox cœlum fatigando pro eius resipiscentiâ. Viro destituta, Deo se totam tradens, spiritualibus Instructoribus & consolatoribus vsa est, sanctis viris & Episcopis Swiberto, Velleico, &c. quo in negotio S. Willibrordum non postremas tenuisse, nolim negari.

Quod ad annum, Aubertus Miræus in Annalibus Belgicis ait admissionem illam Alpaidis accidisse anno 694. quod nos secuti sumus in tabula nostra Chronologica anno 1626. Saltem ex contextu historiarum certum est, si non determinatè, circa illum tamen annum eueniisse; quo tempore Colonienſem Cathedrã moderabatur Giso successor Aldewini.

Quæri hic potest, An Pipinus repudiauerit, aut repudiare tentauerit Plectrudem cum matrimonij scilicet dissolutione, vt vidimus præcedenti sæculo in Henrico 8. Angliæ Rege, & Henrico Borbonio Rege Franciæ & Nauarræ: An solum agnitâ quidem Plectrude vt legittimâ, sed ne-

neglectâ, alienis amoribus Alpaidis frui voluerit.

Authores nihil expressè asserunt : nihilominus eorum verba posteriorem partem magis significant. Sigeberti in Chronico sunt : *Sanctus Lambertus Pipinum Principem increpare ausus quod pellicem Alpaidem suæ legittimæ vxori Plectrudi superduxerit à Dodone, &c.* Superduxit id est ad legittimum coniugium adiunxit. Similia sunt plurium aliorum. Præterea passim Authores habent in fœdum, publicum, notorium adulterium incidisse. Nullibi occurrit mentio dissolutionis matrimonij tentatę. Numquam legitur Pipinus aliquando causam matrimonij dissolutionis allegare, numquam infirmitatem cum Plectrude obijcere, prętendere, aut coram aliquo Iudice proponere. Numquã apud Scriptores, matrimonium inter Pipinum & Plectrudem vt dubium proponitur, sed semper vt certum, legittimum, stabile. Sanctus Lambertus Pipinum arguens, numquam illi matrimonij firmitatem, indissolubilitatem obijcit, solum ipsi peccatum tanquam exploratum & manifestum adulterium improperat, solùm iniuriam vxori, Sacramento irrogatam inculcat. Deniąue Plectrudis frequenter apud Historicos appellatur nouerca Caroli Martelli; nouerca verò non dicitur, nisi quæ iusta fuerit Patris vxor.

Vnus & alter, vt Blondus Flauius, decadis primę lib. 10. Alpaidem legittimã Pipini vxorem faciunt; verùm exteri in rebus exteris ordinariè labuntur : ideo non audiendus talis vnus aut alter contra indubitata & consentientia interna Patrię monumenta.

Non nesciebat Pipinus Plectrudem legittimam conthoralem pluribus annis arctissimè sibi coniunctam, præclararum prolium fœcundam matrem conscientia testabatur, verùm transuersa libidine actus, iusta negligens, omnia

nia flocci facit. Videns meliora probansque, deteriora sequebatur. Rectè dixit Tullius: *Nulla facilius ad maleficium causa, quam turpis amor & intemperans libido commouere potuit.* Tantopere viscosum illud virus Principem virum illaqueauit, vt per largum annorum spatium nullorum, quantumuis charorum, monitis, nec ipsamet stimulante conscientia elaquiari quiret. Contingebat ipsi quod Augustinus consimili luto hærens de seipso scribit: *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate; velle meum tenebat inimicus & inde funes mihi fecerat. Ex peruersa enim voluntate facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi quibusdam annulis sibimet annexus, tenebat me stricte dura seruitus. lib. 8. conff. cap. 5.* Quousque vero sic ligatus fuerit Pipinus, discutietur aliàs.

Quod genus fuerit Dodonis, quæ patria, non proditur. Gerardus Nouiomagus, qui Alpaidem sororem Batauam eamque nobilissimam facit, facile Dodonem Batauum & nobilissimum faceret. Et nomen Dodo videtur Batauicum & Frisicum sonare; Erant namque olim Batani Frisij.

Apud Leydēnsem legitur fuisse Comes Ardemiæ, corruptè reor, pro Ardennæ. Verosimile enim est Comitem egisse in loco à conuersatione Pipini non admodum remoto, qualis erat Ardenna.

Chronicon Brabantiæ vulgari lingua impressum Antuerpiæ olim, vocat Principem Orengien, puto intelligere Orangie siue Auraicum in Francia, cuius Principatum & titulum hodie obtinent Nassouij. Potuit Pipinus in Austrasiâ & Franciâ multipollentię, vtroque dominatu Dodonem cumulasse.

Disser-

De vocatione & destinatione S. Willibrordi ad Episcopatum à Pipino.

PIpinus, quamuis illicitis implicitus amoribus, cætera bonus Princeps, Ecclesiæ Catholicæ curam ex animo non deposuit. Audiens multam Frisiorum turbam fidei nomina dedisse, ac in dies plures accedere, de fixo stabilique Antistite eis destinando sollicitè meditatur. Erat quidem S. Swibertus Episcopus Episcopalia sacra Frisijs impendens, sed nullius certę sedis, nullius tituli; erat solùm quasi prouisionalis, temporarius & ex temporis necessitate. Exigebat præterea Frisia Cardinalem & qui in longam posteritatem dignitatem seriatim transmitteret. Eò S. Willibrordum destinat cuius Sancti industria ipsi, omnibusque proceribus perquam erat probata.

Verùm cur tam diu exspectatum, antequam proprius Episcopus Frisijs, inter quos sexennium erat prædicatum, daretur? antequam sedes locarerur? antequam Willibrordus Episcopus peteretur? Respondetur multa retardasse. 1. fuerunt occupationes bellicæ in Theodericum Regem, Bertharium, quorum causâ Francia plurimum turbabatur, quibus deuictis, æmuli comprimendi, res Frãciæ componendæ. 2. Deliberatio de loco tuto Radbodo ethnico Christianis etiamnum offenso & minitante. 3. comparandæ dos Episcopalis, Authoritas Pontificia, sine qua nouos Episcopatus erigere non licet: termini diœcesis circumscribendi. 4. Verosimile est etiã aliquã interfessisse oppositionem à Colonienſibus, qui suo Episcopio Vl-

traiectum citerioremque Frisiam vendicabant. Vide dissertationes postremas.

Hisce eluctatus remoris Pipinus accelerat: Willibrordum ad se euocat: Antistitis munus vt suscipiat persuadere inchoat, &, quantum in se est, postulat. Qua de re ita perorat Alcuinus: *Cum studiosissimè vir Dei* (Willibrordus) *per loca singula discurrendo, optatum Euangelizandi opus exercuisset, & semina vitæ supernæ gratiæ rore irrigante longè lateq; in agris multorum cordium ad eius prædicationem pullulassent, congaudens prædictus Francorum Dux* (Pipinus) *eius sanctissimæ deuotioni & verbi Dei clarissimæ multiplicationi, maiori profectus occasione prudenti cogitabat consilio eum Romam mittere, vt à Domino Apostolico Sergio viro Sanctissimo tunc temporis, in summi Sacerdotij honorem ordinaretur, quatenus Apostolicâ benedictione & iussione susceptâ, maiori ab eo missus fiduciâ roboratus, in opus Euangelij reuerteretur, iuxta Apostolicum illud; quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Quod cum viro Dei persuadere tentaret, renuit primùm, nec se tantæ Authoritatis honore dignum esse referebat: enumeratisq; Apostolicæ sanctionis præceptis, longè se inferiorem huic Virtutũ catalogo asserebat, quem egregius mundi prædicator* (Diuus Paulus) *filium suum Timotheum erudiens, oportere Episcopum habere censuit.* Ita Alcuinus. Horrescit vir humilis ad nomen tantæ dignitatis, tantos fasces sibi imponi refugit, non ignarus quot ab infulis curę pendeant, quot gemitus annuli gemma tegat, quid molestiarũ sub argentea pedi bractea tinniat. Optabat iam in siluis latitare cum Gregorio, in spelunca cum Chrysostomo, in insula cum Fulgentio, cum Cæsario in sepulchro. Verum quantumcumque fugerit, effugere non potuit. Vrgentis Principis immoto desiderio elabi non sinitur, instantibus præsertim simul aliorum postulatis: Dux enim (pergit Alcuinus) contra religiosè suasit, quod vir Dei verecundè negauit ac tandem

dem omnium vnanimitate victus, &, quod maius est, Dei dispensatione coactus, consensit, magis volens plurimorum humiliter obedire consilio, quam suam pertinaciter defendere voluntatem. Quę itineri ineundo conficiundoque necessaria forent, exinde procurantur.

DISSERTATIO LIX

De profectione S. Willibrordi versus Romam.

Omnibus ad profectionem paratis, circa Octobrem anni 696. viæ se committit, acceptis prius à Pipino commendatitijs ad Sergium Vrbis Romæ Præsulem eius nominis primum; & credibile commendatitijs etiam ad viros potentiores in via, tam Ecclesiasticos, quam Laicos, illi ope & consilio vt assisterent, si opus. Vtinam cuncta domans vetustas non exesset eas, præberent stylo nostro materiam non exiguam. Addit Alcuinus: *& sic cum honorifica legatione & muneribus authoritati Apostolicæ condignis Romam directus est.* Regij honoris olim erat muneribus conueniri. Regina Saba munera ad Salomonem attulit. Iacob filios ad Pharaonem Ægipti Regem destinans, deferri iussit viro munera. Reges Parthos non posse quemquam salutare sine muneribus, scribit Seneca Epist. 17. Tres Magi ad Regem summum vocati, tanto digna Regi munera attulerunt. De Franciâ legitur, Theodericum Regem consuesse se vno anni die ostendere populo, à quo salutatus & muneribus decoratus, cum & ipse reciproca

dona populo exhibuisset domum abire, &c. Vide etiam Cælium, lib. 12. cap. 16. Tantumdem Pontifici Christi Vicario, Regibus æquiparando, imo Regum Patri deferri voluit Pipinus. Superatis niuosarum Alpium asperitatibus, Romana mœnia secundò intrat Apostolicus Heros, priùs de eius instanti aduentu Sergio cælitùs certiore facto. *Die quarta* (ait Alcuinus) *priusquam illo veniret* (Willibrordus) *Beatissimus Apostolicus* (Sergius) *Angelica in somnis responsione admonitus est vt illum cum summo honore susciperet, & quod multarum animarum esset illuminator futurus, à Deoque electus, & ad hoc venisset vt summi abeo Sacerdotij honorem susciperet, nihilq; ei negandum esse quidquid petijsset.*

Vt hæc fusiùs explicentur, quandoquidem ad acta Sancti Willibrordi pertineant, sit,

Dissertatio LX.

De cælica admonitione Sergio in somnis factâ, & Angelico ministerio.

PRo horum intelligentia obseruandum 1. Somnia esse triplicis generis: Naturalia, Diabolica, Diuina. Naturalia, quæ oriuntur ex causa naturali intrinseca vel extrinseca. Diabolica, quæ mali Spiritus insidiosè dormientibus immittunt vel ad turbationes animi creandas, vt libidinem, iram odium, desperationem: vel ad occultorum aut futurorum significationem. Diuina sunt, quæ à Deo nobis suggeruntur, siue immediatè, siue mediatè per Angelos bonos. Sergij diuinum fuisse idque mediante Angelo, verba textus & euentus docent.

Dices 1, quomodo Sergius cognouit esse diuinum? quomodo

quomodo potuit procedere ex somnio cum Scriptura dicat, *Somnia non obseruabitis & ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia, &c.* Respondetur ex eadem Scriptura Eccles. 34. *Nisi ab altissimo fuerit visitatio, ne dederis illis cor tuum, &c.* Ab altissimo illam visitationem (Somnium) fuisse, probe cognouit Sergius, vir cœlestis Spiritus, discretionis spiritu plenus: & solet Deus quando somnium immittit, simul hominem certum reddere hoc somnium à se profectum & supernè immissum fuisse.

Dices 2. quid opus fuit mandato diuino pro Willibrordo ordinando? Iam à quinquennio ab eodem Sergio erat institutus Frisiæ Apostolus cum plena potestate: notissima erant eius pietas, industria, merita: commendationes Pipini vel solæ sufficiebant; plures sine talibus præuijs adminiculis à Pontificibus ordinabantur. Quid ergo opus mandato Diuino? Respondetur, potuisse illa sufficere, tamen placuisse Deo præmittere admonitionem, vt iam non solum ab hominibus electus, sed & à Deo dignus iudicatus, à Deo electus crederetur, & hoc maiorem Authoritatem eius prædicationi, maiorem famam venerationemque ipsi conciliabat. Deniqúe ne eis felicibus conatibus obsisterent, prosperumque cursum impedirent, qui obliquis oculis aspiciebant Vltraiecto Frisiæque imponi Episcopum, maximè ipsis non subiectum, quod post mortem S. Willibrordi ostenderunt Colonienses.

Obseruandum 2. Varia Angelorum homini gubernando, esse ministeria. *Nonne omnes* inquit Apostolus, *sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* quasi dicat, sunt omnino: interrogatione enim vtuntur Hebræi quando rem ma-

gis stabilire & asseuerare volunt. Inter frequentissima obsequia sunt Ecclesiæ gubernatores à Deo destinatos publicare. Exempla in gestis Sanctorum sunt obuia. Vnum in S. Huberto, quantumuis prolixius, non possum non producere, tum quod eodem anno 696. acciderit secundum supputationem Ioannis Roberti; quamquam non nostram: tum quod ille S. Willibrordo fuerit semper familiarissimus. Verbotenus accipe hoc ex vita eiusdem Sancti per dictum Roberti ex antiquis monumentis vulgata: *Quo* (Huberto) *Romæ consistente, cum venerabilis Pontifex Sergius post matutinorum officia fatigatus somno se dedisset, circa ipsius diei obdormiebat auroram, quâ Sacerdos Christi Lambertus propter veritatis testimonium, per manum scelerati Dodonis, consecutus est martyrium. Et ecce Angelus Domini in visione ei assistens ait: Attende diligenter & fidem verbis meis adhibe. Lambertus Tungrorum Episcopus hac horâ intra Sanctuarium Domini ab impijs est pro pietate immolatus. Propterea cum Sanctis in cælestibus meruit coronari. En, eius pastoralem baculum, à loco passionis tibi subito allatum, suscipe. Et in hoc substitues ad regimen Tungrensis Ecclesiæ discipulum eius Hubertum nomine, quem ad Apostolorum limina deuotè venientem inuenies hodie. Statimq; Pontifex euigilans, cum de visione adhuc hæsitaret, iuxta se sicuti ab Angelo susceperat, B. Martyris baculum Pastoralem inuenit. Facta itaq; oratione & immolata hostia ad exequendum visionis præceptum circa limina Apostolorum studiosus perscrutator consedit. & forte vir Domini Hubertus in proximo Vrbis vico mansionem acceperat peregrinus, qui statim deuotè ad diu desideratam B. Petri Apostoli accessit Ecclesiam. Quem vt Pontifex Sergius vidit, sciscitatus est quis sit & quo nomine appellaretur. Cui Beatus Hubertus respondit: ego quidem Hubertus vocor vestræ Sanctitatis famulus, statimq; Pontifex Sergius eum gratanter manibus recipiens, adduxit ipsum iuxta altare Principis Apostolorum eidem reuelans mortem dilecti Magi-*

stri

stri sui Lamberti quemadmodum ab Angelo didicerat: cumq; eum Pontifex instanter moneret de susceptione regiminis Ecclesiæ Tungrensis, & B. Hubertus nullo modo consentiret, sed indignum se affirmaret, ecce omnibus diuinitùs Pontificalibus B. Lamberti induitur, quæ subitò à loco Martyrij ab Angelis translata sunt ei. Cumq; istis induto sola stola defuisset, statim stola serica alba auroque contexta Huberto per Angelum à B. Virgine Maria Ecclesiæ Tungrensis patronâ est transmissa.

Attendere hîc est diuinam dignationem, quâ Sanctos suos vocationis & electionis suæ publicatione dignatur. Attendere est Sanctorum honorem quo à Diuina maiestate sublimantur: inspicere est curiosa, sedula Angelorum diuinam dispensationem exequentia obsequia. Hos cælestes nuntios ex supremis ordinibus fuisse, non improbabiliter dixero, quandoquidem ijs committantur supremarum rerum gubernatio, illuminatio, Ecclesię custodia, ad quam non infimè spectat, rectores Ecclesijs destinatos manifestare, ijs assistere, ministrare. Sic vnus de Seraphim, qui supremus est ordo, missus ad Isaiam: Cherubim, qui secundi ordinis est ad custodiendum paradisum. Danielis 10. missus est Michael, quem multi docent esse primum Angelorum & custodem Ecclesiæ vti olim fuit Synagogæ. Multi etiam censent eum qui dedit legem Hebræis fuisse ex ordine Seraphim.

DISSER-

Dissertatio LXI.

Quonam die mensis obuenit Sergio dicta admonitio? Quonam die Willibrordus Vrbem intrauit?

Respondetur ex nullo vitę Willibrordinæ Scriptore aliquid liquere; instruit tamen nos antiqua Epternacensis Ecclesiæ traditio, solemni festo posterorum memoriæ dedicata, præceptionem diuinam de ordinando Willibrordo contigisse Pontificinocte quæ inchoat vel præcedit diem. 19. Nouembris, siue. 13. Kalendas Decembris. Habemus traditionem ex Thiofrido Abbate Efternacensi Epitaphij florum SS. lib. 4. cap. 7. His verbis: *Anno Incarnati* 1059 *Regimbertus* (Thiofridi immediatus in Efternaco prędecessor) *communi Religiosorum virorum & totius conuentus consensu posuit & confirmauit S. Spiritus decretum, vt.* 13. *Kalendas Decembris (qua nocte reuelatione Angelica Papa insignis meriti Sergius est admonitus vt egregiæ Sanctitatis viro Willibrordo quarto die Romam venturo & ad summum Antistitij honorem sublimando quidquid in ornamentis Ecclesiasticis & Sanctorum patrocinijs complaceret, summa cum alacritate animi concederet) S. Spiritus, inquam, promulgauit decretum vt eo die per omne subsequens auum, vespertinum & matutinum Sacrificium ritu solemni & magnifico in omnium eorum celeberrimè offeratur commemorationem ac familiarius obsequium* quorum scilicet Efternaci essent reliquiæ, &c. Hæc Thiofridus.

Per

Per noctem intelligo noctem quæ vel inchoabat vel præcedebat immediatè diem artificialem 13. Kalendarum Decembrium, non autem sequentem. Nam. 4. post die id est. 10. Kalen. Decembris festo S. Cæciliæ Virginis aduenit & fuit Romæ S. Willibrordus & quidem satis maturè cum eodem festo Episcopus sit ordinatus iuxta Bedam reliquis consentientibus. Festum vero S. Ceciliæ non potuisset esse quartus dies aduenturi Willibrordi si nox posterior caperetur.

Erat vero dies 13. Kalend. Decemb. Dies Dominicus, littera Dominicali Anni 696. existente A. Vnde opinari liceat egisse Deum cum Sergio circa Willibrordum, quod circa S. Hubertum suprà, apparuisse nimirum Pontifici post decantatum officium Matutinum (olim enim Pontifices & Episcopi Matutinis media nocte decantandis præsertim Dominicis & festis intererant) sub auroram quiescenti: ac consueuit Deus post diuinas laudes peractas animo ad pietatem iam composito visitationes suas immittere idque noctu vel matutino tempore. Hoc, inquam, circa Sergium & Willibrordum sic opinari liceat.

Curiosulus aliquis inquireret, quanam somni parte, primâ, an extremâ, cælicam impressionem acceperit Sergius. Veterum Onirocriticorum, quæ etiam est Iamblichi, opinio fuit, diuina sõnia non obuenire hominibus nisi aut primo aut vltimo somni tempore. 1°. Quod tunc animus nondum vaporibus in caput sublatis omnino oppressus; vltimò, quod ijs iam euanescentibus redditus solutior ac liberior, imaginibus supernis recipiendis idoneus sit. Verum hæc plane commentitia & friuola sunt, nullâ authoritate fulcita. Deo enim æque facile & liberum est

quouis tempore rerum prænotiones menti ingerere. Vnde similis generis friuola reijcimus, indigna quibus calamus teratur.

Ex prædictis Respondetur ad alteram quæstionem initio præpositam, S. Willibrordum intrasse vrbem 10. Kal. Decembris id est 22. Nouembris, quæ erat feria quarta hebdomadæ & festum S. Ceciliæ, quo & eodem inuestitur Episcopus, de quo mox statuetur dissertatio.

DISSERTATIO LXII.

Quo anno Sanctus Willibrordus sit creatus Episcopus.

BRuschius dicit consecratum anno 694. Petrus Opmerius anno 695. feria 2. Verum ambo refutantur ex Beda lib. 5. Histo. Anglicanæ ca. 12. expressim ponente eius ordinationem anno 696. Bedam omnes alij sequuntur, vt Heda, A Beca, Leijdensis, Molanus, Harçus, Miræus, L. Beijerlincx, Bucherius, Ioannes Roberti ex monumentis Epternacensibus, &c. Id ipsum probatur ex eodem Beda, qui finiens historiam suam Anglicanam anno 731, ait cap. 4. lib. 5. Willibrordum dicto anno 31. habere 36. sui Episcopatus annum. Rectè vero anno 731. agit 36. sui Episcopatus, si anno 96. confecratum teneamus. Nec contrarius est nobis Sigebertus in chronico suis verbis ad annum 697: *Willibrordus à Sergio Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Frisonum Episcopus consecratus, ex dono Pipini Principis sedem Episcopalem statuit in loco Wultaburch dicto, qui Wultraiectum dicitur à nomine gentis Wultarum & Traiecto compositum, quasi Wultarum oppidum, &c.* Non enim ibi affirmat Willibrordum

dum anno 97. consecratum, sed iam consecratum (anno præcedenti) & reuersum, Episcopalem Cathedram Vltraiecti constituisse, quod verum est.

Ex his cernitur manifestus lapsus Franciſci Irenici in exomologesi Germanica aientis, Vltraiectensem sedem ordinatam à Carolo magno & ab eodem Willibrordum eidem impositum, cum Willibrordi consecratio, Cathedræ Vltraiectinæ constitutio, sessio & mors longè præcesserint Imperium Caroli magni.

Petes, quo vitæ suæ anno Episcopatus ordinem accepit? Respondetur anno 39. Liquet ex dissertatione 26. qua habitum est in Frisiam adueniſſe anno 690, ætatis suæ 33. cui si addantur sex, efficitur annus 39.

Sed an anno 39. inchoato siue currente, an expleto? Affirmare nihil habemus, cum nec mensem necdiem natiuitatis eius teneamus, & parum refert. Exposcebat quidem tum quam plurimùm vsus in ordinando Episcopo annum quadragesimum, vt patet in Wilibaldo ordinato vitæ suæ anno 41. apud Gretſ. Obseruat. lib. 1. cap. 12. in vitam S. Wilibaldi: in S. Huberto ordinato anno 40. apud Ioannem Roberti in quæstionibus Hubertinis ad vitam S. Huberti queſt. 1. In Bonifacio qui videtur annum 50. requirere; nam cum eum Antistitem cuperet ordinare S. Willibrordus, ad eam dignitatem declinandum, annali (inquit Serarius lib. 3. Rerum Moguntinarum notatione 54) eius Episcopalis ordinis lege vsus est sc 50. anni nec-dum plenè ætatem recepisse. Attamen vsus talis nec erat perpetuus, nec vbique; quandoquidem constet in Concilio Agathensi circa annum Christi 506. Prouinciali quidem, sed approbato, recepto & in praxim deducto, concluſum, sufficere vt infra trigesimum annum nullus ordinetur Episcopus, quod hodieque in communi est obser-

natione.

Quidquid vero Canon vsusque tulerint, vbi supremus omnium moderator iubet, cuius imperio Ecclesiæ ministri destinantur, Canonemque vsumque cedere necesse est. Scimus diuino nutu S. Remigium eximium illum Galliarum Apostolum id dignitatis consecutum non amplius 22. annos natum: S. Lambertum 21. ætatis suæ; vnde parum dixi refert an trigesimo nono inchoato, an expleto Willibrordus hierarchicam consecrationem susceperit, qui ex cœlesti imperio veniebat ordinandus.

Dissertatio LXIII.

Quo die eam acceperit.

IN mense Nouembri eam accepisse, indubium est. Quo mensis die? Beda affirmat ordinatum in festo S. Ceciliæ virginis & Martyris, quod celebratur 22. Nouembris. Trithemius in compendio historiæ Francorum in festo S. Clementis Papæ & Martyris quod celebratur 23. Nouembris. Bedæ Authoris coætanei grauissima est Authoritas, quam sparsim sequuntur. Pro Trithemio facit 1. quod in die S. Ceciliæ 22. Nouembris Willibrordus prius vrbis mœnia subierit; vnde non videntur tam cito præsto potuisse esse quę pro apparatu Episcopalis consecrationis debent ac decet. 2. quod nomen Clementis Willibrordo ab ordinatore sit impositum, vt qui ordinaretur in festo S Clementis; inde enim transnominationes sępissime accipiuntur.

Si alteruter repudiandus esset, Trithemius esset repudiandus

diandus propter Authoritatem V. Bedæ, quæ priorem & potiorem locum occupat. Ego tamen malo ambos in concordiam redigere.

Pro quo nota. In constituendo Antistite plura intervenire. 1. post electionem & præsentationem est nominatio, deinde institutio, dignitatis, Iurisdictionis collatio & confirmatio, quibus habitis præsentatus est verus Episcopus, Ecclesiæ suę Pastor potestque ea omnia exercere quę solius Iurisdictionis sunt, vt Iudicare, punire, cēsuras ferre, ab ijsdem absoluere, Iurisdictionem in externo & interno foro delegare, gratias & priuilegia concedere, beneficia Ecclesiastica conferre, inuestire præsentatos,, instituere, electos confirmare, sicut hodie cernimus fieri in Episcopo Leodiensi.

2. Pontificia manuum impositio cum sacra inunctione, quæ est quasi vltima forma constitutionis Episcopalis, per quam electus consequitur plenitudinem destinati sui muneris, vt etiam etiam ea exercere possit quæ Iure diuino vel Ecclesiastico tali ordini sunt annexa, videlicet, Clericos ordinare, baptizatos Confirmare, Sacrum Chrisma, sacra vasa, altaria, Ecclesias, virgines consecrare, &c. Duo hæc dantur semper aut fere semper distinctis diebus, imo aliquando mensibus. Itaque Bedam & Trithemium sic conciliamus, Willibrordo dignitatem, institionem, & Iurisdictionem Episcopales cum Pontificali benedictione esse donatas in festo S. Ceciliæ 22. Nouemb. sequenti vero die S. Clementi sacro, id est 23. Nouembris, vltimā formam creationis Episcopalis cū pallio esse additā.

Petes, quâ feriâ vel quibus ferijs hebdomadæ hęc sint peracta in Willibrordo? Petrus Opmerius supra ait feriâ secundâ siue die lunæ. Bene, consequenter ad suam opinionem, quâ arbitratur S. Willibrordum obtinuisse Episcopatum

copatum anno 695; nam eo anno festum S. Ceciliæ incidebat in feriam secundam vt liquet ex tabulis Ephemeridum. Verum iam probauimus anno 696. altioris ordinis culmen ascendisse Willibrordum, non 95. Præterea refellitur ex traditione Efternacensium relata dissertatione 61. de admonitione Angelica Sergio Papę pro ordinando Willibrordo directa nocte præcedente vel inchoante diem artificialem 13. Kalend. Decemb. id est 19. Nouembris, qui erat dies Dominicus, à quo prædicitur Willibrordus in vrbem demum venturus quarto die; non potuit ergo adfuisse sequenti die id est feria secunda & Antistitis honorem consequi. Quare rectius & verè dicitur Willibrordum quarto die, à die Dominico inclusiue numerando, Romam intrasse id est feria quarta, siue die Mercurii, quo anno 96. colebatur festum S. Cecilię: & erat annus iste bissextilis natale S. Cecilię præcedenti anno feria secundâ celebratum, protrudens in feriam quartam.

Ad petitionem nunc Respondetur iuxta differentiam ceremoniarum Pontificij Ordinis mox datam: Priores, scilicet, collationem dignitatis. Iurisdictionem, &c. esse collatas Willibrordo feriâ quartâ hebdomadæ S. Cecilię sacrâ: Posteriores eximij ordinis completiuas, feria 5. Clementi festiuâ.

Hic Obijcitur 1. Episcopi & Archiepiscopi die Dominico cõsecrari debent ex antiquissima &(vt Leo Pontifex arbitratur) Apostolicâ traditione, capitulo Quod die, distinc 75; Quomodo ergo in Willibrordo facta est in ferijs, feria quinta? Resp. Pontificem in dicta Lege dispensare posse docent Canonistæ. Ac in Willibrordo iusta dispensandi causa substitit, quandoquidem à Frisia diu abfuisset, longè abesset, presentia ipsius in Frisia requireretur, magnum restaret iter peragendum, accelerare ipsius solemnem Ordinationem meritò oportuit. Adde festa SS. Ceciliæ

ciliæ & Clementis Romæ magnam celebritatem habuisse, Ecclesiasque siue memorias eorum summo hominum concursu frequentatas, sicque finem, cur Dominica Episcoporum Infulationi est deputata, nempe, vt maiori celebritate hominumque maiori aspectu fieret, sufficienter expleuisse. 3. videri Sergium Angelicum præceptum intellexisse, non solum de Willibordo quarta die aduenturo, sed simul de aggrediendo ordinationem ipsius eadem quarta die.

Obijcitur 2. Onuphrius ordinationes Sergij Pontificis referens, tantum ait illum ordinationes duas mense Martio sedecim Episcoporum fecisse; non apparet itaque Willibrordum ordinatum in Nouembri. Resp. Onuphrium non omnes Sergij ordinationes recẽsere, sed tantum quod duas peregerit mense Martio sedecim Episcoporum, quod notabile erat. Plenius eas enumerat Anastasius Bibliothecarius apud Baronium ad annum 701. tradens expresse, nullius adiuncto temporis calculo, à Sergio Clementem (Willibrordum) ordinatum, & vniuersim vltra 90. ab eodem.

DISSERTATIO LXIV.

Quo loco S. Willibrordus sit Consecratus.

Ic pugnare videntur Alcuinus in vita S. Willibrordi apud Surium, & Ioannes Becanus in Gest. Episcop. Vltraiect. cum V. Beda supra, qui affirmat Willibrordum ordinatum in ede S. Ceciliæ sacra, illi in D. Petri templo. Ambæ partes ab Authoritate & antiquitate multum valent.

Forsan

Forsan aliquis opinabitur textum Alcuini esse vitiatum, quemadmodum in voce Episcopi dum Ecbertum S. Willibrordi rectorem intitulat Episcopum, ac ad eum lapidem offendisse Becanum. Quantum ad me, malo etiam hîc vtrique parti suam fidem integritatemque illæsas seruari secundum differentiam actuum Episcopalis inaugurationis superius positam: Priores esse solemniter celebratos in S. Ceciliæ: Posteriores plenitudinem officij conferentes, in S. Petri. Quod confirmari potest. 1. quia consecratio Episcopalis dignitatis completiua in Cathedrali aut primaria Ecclesia, qualis Romæ erat S. Petri, non S. Ceciliæ, consueuit (& decens est) fieri, vt & modo docet Concilium Trident. Sess. 23. cap. 2. De Reform. sumitur ex Cap. Qui in aliquo §. Sed nec in fine distinct. 51. quod non ita exigitur in actibus præcedentibus. 2. Pallium, quod vel in consecratione vel post datur, præsto erat in templo S. Petri, quia perhibetur sumi de corpore S. Petri & benedici in Altari S. Petri. 3. idipsum confirmat formula Iuramenti quam Pontifex consecrator inungendo exigit: Promitto tibi Petre Apostolorum Princeps, &c. Per patrem & filium, &c. & per hoc sacratissimum corpus tuum, &c. nam corpus S. Petri in templo S. Petri, non alibi, quiescit. Vide Othlonum in vita S. Bonifacij lib. 1. cap. 19. apud Serarium in Moguntiacis.

Aduertendum S. Willibrordum impositionem manuum ab ipsomet Pontifice Sergio obtinuisse, quod honorificum erat, olim magni æstimatum, vt reuera æstimandum, & maioris Authoritatis conciliatiuum; quare eius adipiscendæ causa antiquitùs plurimi Episcopandi Romam proficiscebantur, simul largiorem gratiarum rorem exspectantes ab ipso summo Christi Vicario, qui sicut Deo in hominum salute administranda est propinquior, ita au-

ctori

ctiore facultate gratiarum munera in homines dispergendi est donatus. Hinc de Bonifacio, dum Episcopatum acciperet, scribit Othlonus supra cap. 18 : *Tunc ille* (Gregorius 2. Papa) *intimauit S. viro* (Bonifacio) *quia Episcopatus gradum sibi imponere voluisset, vt eo constantius errantes quoslibet corrigere, & ad viam veritatis conuertere posset, quo maiore authoritate Apostolica dignitatis fulciretur, essetq; cunctis tanto acceptior in prædicandi officio, quanto plus clarescceret, quia ad hoc à Præsule esset ordinatus Apostolico. Quæ omnia vir Dei sagaciter perpendens, simul cauens quod scriptum est, Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo, benedictionis tantæ gratiam non recusauit.* Hæc eadem pensemus in Willibrordo. Dicit Alcuinus, Sergium ordinasse Willibrordum accitis Episcopis, quod est iuxta praxim & traditiones Apostolicas. 1 ad Timotheum. 4. 2. ad Timoth. 1. quas sequitur & præsupponit Conc. Carthaginense 4. can. 2.

Quinam autem illi acciti? Nec historiæ, nec Authores vllos exprimunt. Ego in veris habeo accitum interfuisse S. Wilfridum Eboracensem Antistitem S. Willibrordi conterraneum, quondam Episcopum, Abbatem, & nutritorem in Ripensi cænobio, quique in Frisia Euangelio viam strauerat & tempore insulationis S. Willibrordi Eboraco secundò pulsus Romæ versabatur. Cur non crederemus Pontificem talem accersijsse, patrem ad insulas filij? Quis credet talem abesse voluisse, qui supra modum exultabat cernere alumnum suum tantæ culmen dignitatis ascendere, adeo copiosam messem in Ecclesiam inferre, & illaturum, quod inter Frisios occœperat, vbere fructu consummare & consummaturum? Cum Wilfrido aderat Acca eius Achates Willibrordo pariter conterraneus, Episcopus postmodum Hagulstadensis in Northumbria. Opponitur. Non apparet S. Wilfridum anno 696.

Romæ fuisse: nam perhibetur & colligitur ex Beda & Fastis Regum & Episcoporum Angliæ impressis anno 1601 post secundam expulsionem per Alfridum Regem Northumbrorum anno 692, mediterraneis Anglis prædicasse per annos decem vsque in annum 702. Et Malmesburiensis de gestis Pontificum Anglorum lib. 3. N. Harpsfeldius hist. Angl. sęculo. 7. cap. 29, non referunt eius profectionem versus Romam pro causa agenda contra Alfridum expulsorem, nisi sub Ioanne Papa id est anno 702. quo primùm sedere cępit; quomodo ergo potuit interfuisse Romæ Willibrordinæ consecrationi anno 696? Resp. Dictos Authores illam profectionem Willibrordi versus vrbem non enarrare, admitto, non tamen negant. Harpsfeldius breuitate se coarctans multa de Wilfrido transilit. Malmesburiensis profitetur se scribere de Wilfrido quæ Beda omittit, non quæ signauit. Beda autem clarè tradit S. Wilfridum anno 96. in Nouembri, quo Willibrordus ordinabatur, Romę egisse atque cum eo eiusque Comite Acca Willibrordum per quatuordecim dies, quibus post acceptum Episcopatum in vrbe hærebat, familiariter tractasse. Hic testis nobis sufficit, licet alij omnes taceant. Decennalis prædicatio cum Episcopali administratione inter Mediterraneos Anglos, non durauit adeo actualiter continua, quin interea pro negotio suo semel excurrerit.

Addimus ad superiora, Annum ordinationis Willibrordinæ 696. extitisse annum bissextilem: B. Sergij eius nominis primi annum nonum: Leontij Imperatoris primum: Clodouæi 3. Regis Francorum tertium: Alfridi Regis Northumbrorum vndecimum, littera Dominicali priore B, posteriori A, Cyclo solari 5. Lunari 13. indictione 9.

Disser-

Cuius qualitatis Episcopus Willibrordus sit creatus.

NOta. Pontifices quondum multos creasse Episcopos sine certo titulo, sine certa sede, qui gentium conuersioni incumberent interque eas Ecclesias consecrare, Chrisma confieere, Clericos ordinare valerent, idque nonnunquam ad nullam determinatam Prouinciam aut Nationem, aliquando ad certam nationem. Sic Wiro, Plechelmus, Swibertus, sunt designati Episcopi. Sic S. Bonifacius anno 723. à Gregorio 2. primo est creatus Episcopus, deinde anno 732. Archiepiscopus à Gregorio 3. nullius determinatę Prouincię, sed totius vastissimæ Germaniæ statu Ecclesiæ eum modum tum exigente. Cum enim ij qui Euangelium gentibus annuntiant, huc illuc procurrere debeant, neque congregatum adhuc ouile in vnaquapiam aut ditione aut vrbe obtineant, Episcopalem quidem potestatem vel Archiepiscopalem creandorum etiam Episcoporum ab Apostolico accipiunt; sed incertis interea sedibus, & ad verum summumque animarum Pastorem Christum Iesum, quotquot & vndecumque possunt, oues congregant. Atqui hi nulli alteri Episcopo aut Archiepiscopo, sed immediatè Pontifici aut sedi Apostolicæ suberant: appellabanturque precise ac simpliciter Episcopi, vel etiam generatim eius Regionis, in qua gregem Domino conquirebant.

Itaque ad questionem Respondetur: S. Willibrordum fuisse creatum Episcopum, imo Archiepiscopum non determinatè Vltraiectensem, sed præcipue totius gentis Frisonicæ, quæ latissime patens comprehendebat Frisios mo-

dernos, Groeningenſes, Tranſiſalanos, Vltraiectenſes, Hollandos, Zelandos, Geldros. 1. quia ad hoc deſtinabatur ab Egberto vt Friſones vicinoſque Barbaros conuerteret. 2. hoc plane edicit Bonifacius in epiſt. ad Stephanum Papam: *Quem* (Willibrordum) *Papa* (Sergius) *Epiſcopum ordinauit & ad prædicandam Paganam Gentem Freſonum tranſmiſit littoribus Oceani occidui. Qui per 50. annos prædicans præfatam gentem Freſonum maxima ex parte conuertit ad fidem Chriſti, &c.* 3. Quia etiam ad hoc à Pipino ablegabatur Romam vt in natione Friſonica prædicationem, quam inchoauerat, maiori authoritate perficeret. 4. paſſim loquuntur Authores eum Friſonum Archiepiſcopum à Sergio creatum. Ita Molanus, Heda. 5. quia locus ſedis, id eſt Caſtellum Traiectenſe, quantum colligitur ex Beda. lib. 5. Hiſtor. Anglicanæ cap. 12, nondum erat ei donatum dum Romam ſe conferret; non ergo ordinabatur Traiectenſis.

Dixi, prçcipuè Gentis Friſonicæ, quia nec ad totam ſolam Friſiam erat arctata poteſtas, quin potuerit ad alias Regiones, quò Deus vocaret, manus extendere. Hoc rotundè edicit Heda aiens: Qui (Sergius) eum Willibr. Archiepiſcopum, nedum Friſiorum, ſed & gentibus circumuicinis conſecrauit, &c. Ea poteſtate legimus illum poſt acceptum Epiſcopatum in Daniam excurriſſe, prædicaſſe, aliquot Neophytos eduxiſſe. Similiter in Flandriam ſiue occidentalem Franciam. Vnde ad noſtra vſque tempora Traiectenſi ſedi in Flādria ſubfuerunt Birfletani, Hulſtenſes, Axellani & Haſnenſes ab eo ad fidem conuerſi. Vide Molanum in indiculo SS. Belgij V. Willibrordus. Operam etiam ſuam impendit Lutſemburgijs, Antuerpienſibus, Brabantis præſertim Campeſtribus, à quibus ideo ſummo in honore habetur.

Sedi

Sed quomodo inungitur Archiepiscopus Willibrordus, cum non habuerit Episcopos sub se, nec Frisia sedes suffraganeas? Resp. rite ordinari & nominari præcise & indefinite Archiepiscopos; quia in primis accipiunt facultatē creandi tam sibi quam alijs Episcopos, quod inter Archiepiscopi munia est, atque eo modo, scilicet virtute, habent Episcopos sub se. Certè Wilhelmus Episcopus 21. in quodam diplomate dato anno 1063, Willibrordum vocat primum sedis suæ, id est Vltraiectensis, Archiepiscopum, cum tamen non solùm vsque ad temporaistius Wilhelmi, sed nec vsque ad annum 1560 vllus Archiepiscopus post S. Willibrordum in Cathedra Vltraiectensi sederit. Bonifacius autem Archiepiscopus Moguntinus, qui à nōnullis numeratur successor S. Willibrordi, nō fuit peculiaris aut proprius Vltraiect. Episcopus, solùm tanquā Apostolicus Legatus administrator quemadmodum circa finem operis demonstrabitur, vbi de eo negotio plenè. Præterea potuit Willibrordus rectè dici Archiepiscopus, nam actu etiam Episcopum auxiliarem subditum habuit statim S. Swibertum quamuis antè ab alio ordinatum. Deinde non multo post, testè Beda, quoque illis in regionibus (Frisiæ) constituit ipse Antistites ex eorum numero fratrum qui vel secum vel post se illò ad prædicandum venerant. Ex quibus aliquanti antè Willibrordum obdormierunt in Domino. Huc refertur id Molani in Natalibus SS. Belgij 17. Iunij de Adulpho Episcopo Traiectensi : *Nati sunt* (Adulphus & Botulphus Fratres) *de Saxonica gente quæ Britanniam bello acquisierat; Vnde nobiles quiq; soboles suas ad Saxoniam antiquæ stirpis patriam* (id est modernam Saxoniam Westphaliam & vicina) *dirigebant. Ob hoc itaq; prædicti fratres inter Saxones monasterialibus sunt imbuti regulis & arctioris vitæ informati disciplinis: vbi gratia Dei*

inter perfectiores potestatem adepti sunt docendi. S. igitur Adulphum audita eius fama in Traiectensis Ecclesia Episcopum Rex sublimauit, &c. Et paulò post : *Quamuis in Catalogo Traiectensium Episcoporum non legatur, verisimile tamen est eum sub S. Willibrordo claruisse inter Traiectenses Coepiscopos aut paulò antè à Regè aliquo Francorum Traiectensibus destinatum fuisse Episcopum.* Hęc Molanus. Hinc itaque constat S. Willibrordum ritè fuisse ordinatum & appellatum Archiepiscopum.

Præterea qui indefinitè Archiepiscopali titulo à Pontifice consecrati emittebantur, Legati Apostolici erant aut instar Legatorum; quare conueniebat eos sublimiori appellatione insigniri, vt qui maiori authoritate pollerent. Ita Bonifacius indeterminatè Archiepiscopus constitutus, Legatus Apostolicus cum plena potestate fuit. Vnde frequenter se Legatum, missum Germanicum, missum S. Romanę Ecclesiæ, missum S. Petri scribit. Simili eminentiâ inter Frisios luxisse S. Willibrordum intelligi datur ex verbis eiusdem Bonifacij citata epistolâ ad Stephanum Papam vbi ait : *V. Pontifex Sergius seruum Dei Willibrordum ad prædicandum supradictæ genti Frisonum transmisit, &c.* & statim, *Maius & potius fieri debet præceptum Apostolicæ sedis & ordinatio Sergij Papæ & Legatio V. Prædicatoris Willibrordi vt & fiat sedes Episcopalis subiecta* (immediatè) *Romano Pontifici prædicans genti Fresonum, &c.* Quem seriò munifica legatione miserat Pipinus, honorifica legatione voluit remittere Sergius. Ac reor Pipinum, Pontificemque voluisse & Archiepiscopali titulo, & honorifica legatione Willibrordum munire contra Colonienses Frisiorum sacris & sedi Vltraiectinę auidè inhiantes, à quorum vexationibus plurimum impeditus fuisset cursus prędicationis eius Nec fructu caruit Principum virorum consilium : nam viuo Willibrordo numquam, Bonifacio tandem ad finem vitæ ve rgente

vergente, rupto 40. annorum silentio, rixas ciere pro antiqua possessione (ita prætendebant) occœperunt, tantò nisu vt tum importuna eorum instantia, tum superuenientibus Barbarorum incursionibus, Ecclesiam Vltraiectensem fasces submittere coegerint. Quo de negotio sic Hędanus: *Hactenus tempore Willibrordi & Bonifacij Ecclesia Traiectensis licet noua & tenella quodammodo plantatio, Metropolitica fulgebat dignitate, sed continuis hostium incursionibus attrita, solita authoritate carere & declinare cœpit, & Ecclesiæ Coloniensi vtpotè florenti & in fœlicitate constitutæ paulatim cedere vniuersa dioceſi per Saxones & Frisios Orientales Duce Widikindo & postea per Danos & Normannos afflicta & in solitudinem redacta, ita vt Ecclesia ipsa Episcopum suum amodo alere nequiret, nec onera aut impensas sufferre prædiente egestate ne ad sedem Apostolicam pro munere Archiepiscopalis benedictionis de cætero recurreret, imo vt Abbatibus per Archiepiscopum Colonienſem impendebatur consecratio. Cessauit & Mitræ vsus vsq; ad tempora Godebaldi Episcopi.* Hæc ille. Numeratur verò is Godebaldus 24. à Willibrordo Vltraiectensis Episcopus, seditqve ab anno 1112. vsque in ann. 1127. adeo vt eò vsque secundū eundē Hędam per quatuor sęcula mitra caruerint Antistites Vltraiectini; quod permirum est & infra examinabitur. Simile quid metuendum erat Willibrordo ni Apostolico munimine roboratus foret

DISSERT.

Dissertatio LXVI.

De indumentis Sacris & Pallio Archiepiscopali quibus Pontifex induit S. Willibrordum.

Alcuinus hanc sacram S. Willibrordi inaugurationem describens, addit Pontificē Sacerdotalibus indumentis eum induisse, insuper & pallium Archiepiscopale in templo S. Petri ei imposuisse.

Vbi nota, vt in veteri Synagoga inter sacrorum ministros erat distinctio vestium iuxta distinctionem graduum, Leuitæ Sacerdotis, Pontificis, ita quoque in Christi Ecclesia iuxta discrimen ordinis altioris & inferioris discrimen est indumentorum. Et sunt inter hęc alia omnibus communia, alia quibusdam specialia. In veteri omnibus Sacerdotibus cōmunia erant Cidaris siue mitra bissina. 2. tunica bissina Poderis dicta. 3. Zona seu baltheus 4. femoralia. Præter hæcce cōmunia, Pontifici erant propria 1. Tiara cū aurea lamina inscriptum gerente Dei nomen ineffabile. 3. Hyacintina tunica. 4. Ephod pretiosius. 5. Rationale 6. balteus seu Zona altera. *Sic in Ecclesia Christiana communitas* (inquit Innocentius Papa 3. lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 10.) *& specialitas potestatum inter Episcopos & Presbyteros ipso numero communium & specialium vestium designatur.* His vero supereminet pallium quod solorum sublimioris ordinis ministrorum est, vt Pontificum maximorum, Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum siue Archiepiscoporum

rum. Hoc nunc à Sergio Papa amicitur & decoratur S. Willibrordus in templo S. Petri, vt supra existimauimus.

Nouatores nostri à fidei magistris degeneres rident contemnuntq; Archiepiscopale pallium, ac tanquam nouitium commentum exsibilant. Verum constantes Ecclesiæ Catholicæ filij tanto tenacius illud conseruant vt suorum maiorum vetustissimum depositum longè antè tempora Gregorij primi vsitatum, prout ex ipso Gregorio est legere qui illud eiusque elargitionem priscam consuetudinem lib. 7. Epistolarum cap. 5: antiquam regulam lib. 4. cap. 95, antiquum morem lib. eodem & alibi vocat. Apud Bedam ætati S. Willibrordi supparem. lib. 1. Histor Anglicanæ cap. 27. *Ab antiquis* inquit idem Gregorius *prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit.* In eâdem insuper Historia Bedæ plura reperiuntur à Pontifice Romano cuius solius est elargiri, collati pallij exempla. Vnde ceremonia ista non est censenda nouitia.

Texitur parum curiose mapparum instar è lana simplici & candida à candidulis & immaculatis agniculis desumpta, ea forma vt circulo collum humeroque ambiat, duas ex se lineas antè ac retrò versus terram vix vsque ad genua demittens & tam harum quã superioris circuli latitudo triũ aut quatuor digitorum latitudinem non excedit. In extremis partibus aliquid plumbi ad pondus est innexum & cruces aliquot purpurei coloris superficiei exteriori insutas gerit.

Monentur hoc amictu Pontifices. 1. simplicitatis quæ tam in vestibus quam alijs in rebus tenenda sit. 2. candoris ac Innocentiæ; nam & color & ipsum ex quo sumptus est ille color animal sine fraude doloque significant. 3. curæ pastoralis. 4. Grauitatis quæ in Episcopali onere pluf-

quam plumbea meritò est. 5. ferendæ alijsque prędicandæ crucis. 6. summum cum summo in terris Pastore summi illius in cælis Pastoris vicario coniunctionis & vnitatis dum ab eo lanam hanc ouillam & ex ipso S. Petri cui pascendas oues commisit Dominus, altari accipiunt. Reliqua eius significata & hæc latius explicata vide apud. N. Serarium Mogunt. rerum lib. 3. notatione 26. ad vitam Bonifacij.

Dissertatio LXVII.

Quomodo S. Willibrordus à Sergio sit transnominatus.

Svmmus Pontifex Sergius inaugurans Archiapostolum nostrum nomen Clementis ei impofuit. Transappellationis huiusce occasio & ratio vulgariter datur; Quod Romæ de suo nomine interrogatus dum respondisset Wilbrod Anglico idiomate, vocabulum istud Papę Latijsq; auribus durū asperumque insonaret, voluisse vt abiectà propria nominatione leniori sonantia vocaretur Clemens. Verùm hæc narratio vere est vulgaris & fere plebeia. Ab altiori principio dimanauit impositio. Cedo, cur Sergius dum anno 691. Romam veniens Willibrordus multis cum eo ageret, nomen Anglicum non mutarit? Cur potius in Episcopali benedictione, quam tunc? an tunc non crudum asperumque Latinis auribus infrenderet? An tum non fuerit Willibrordus quæsitus de nomine? Multa fuerunt Anglica nomina Romę audita, vt Wilfrid. Wilibaldus, Winibaldus, Plechelmus, wiro, Otgerus, & nō sunt variata. imo à tēpore Gregorij primi cœperūt audiri, vt ab antiquo Gręca & Gallica,

ca, quæquamuis in latino sermone leniora sint, attamen patrio sermorne prolata durè barbareqùe Latium auditum feriunt? Cur ergo illa ob barbariem non fuerunt reprobata ęque ac Willibrordi. Nouerat Pontifex S. Willibror. Romanos & Italos non eruditurum, in Italia Episcopum non acturum; cur ergo cogeret Latium nomen assumere? cur Italis auribus inseruire? Potius suum Willibrordo debuisset Pontifex relinquere, qui inter Frisios erat versaturus, quibus cum Anglis Saxonibus in idiomate magna erat communio & affinitas. Nullus veterum scriptorum, vt Beda, Alcuinus metonymiæ talem rationem producunt. Primus euulgator est Metaphrastes. Nescio vnde hauserit. Ac te rogo, Metaphraste, Willibrordus Romæ interrogatus de nomine, fuitne rogatus Latinè, an Anglicè? Respõdebis, credo, Latinè, quia à Latinis Anglicanæ linguæ ignaris, non Anglis. Infero, respondit ergo Willibrordus Latinè, qui Latinam nouerat. Willibrordi autem nomen Latinè enunciatum non sonat crudum nec barbarum Romanis, non magis quam Bellarminus, Hypolitus, Capilupus & similis sortis, proinde non potuit dare Pontifici ob asperitatem ansam innouandi. Aliunde nobis trahendum est Pontificium motiuum. Ad quod capiendum, Nota, quinque potissimum ex causis nominis immutationem oriri. Primò, dum quis in prouectiori ętate sacrum baptisma suscipit. sic apud Metaphrasten, & Damascenum oratione de imaginibus, qui antea vocabatur Placidas, dictus est Eustathius, eiusque vxor Theopiste, quæ prius Traiana. Ceadualla Rex post baptismum apud Bedam lib. 5. Hist. Angl. c. 7. Petrus est: sic apud Crantziũ li. 5. Suecię ca. 10. Suecię Rex Olaus fit Iacobus; Hungerus apud Marcellinũ c. 24. Petrus: Hathagerus c. 29. Swibertus: Eldak apud S. Ludgerũ epistо. ad Rixfridum ca. 8.

Bruno. & alij olim tam multi. idem fit & verò etiam nunc in Iaponia, India, & Peruana.

Secundò, dum quis per Sacramentum Confirmationis in Christiana militia stabilitur, roboratur. Sic Hermenegildus Leonigildi Regis filius ex hæretico factus Catholicus, dum Chrismaretur, vocatus est Ioannes apud Turonensem lib. 5. cap. 38: Voicecthus Adelbertus qui S. Pragensis Episcopus: Wenceslaus postea Carolus 4. Tertiò, dum quispiam in Religione solennem professionem emittit. Et sic qui pridem Fernandus, postea vocatus fuit Antonius de Padua: sic noui commilitones multos in eâ relictis prioribus, alia accepisse.

Quartò, dum quis Sacro Pontificatu honoratur, siue is summus, sic vt cum ex Simone Cephã seu Petrum fecit Christus Dominus & eius exemplo deinceps fecerê omnes sequentes. siue is sit inferior. Sic quondam Winfrid, in Episcopali consecratione nuncupatus est Bonifacius.

Quintò ob notabilem aliquem euentum aut notabile factum. Sic Paulus cum Barnaba segregatus & designatus Apostolus gentium, mox vt cæpit prædicare illis, puta Paulo Proconsuli Cypri, in quem primò ex Gentibus incidit eumque conuertit, ea occasione nomen Iudaicum Sauli mutauit in nomen Romanum Pauli. Vnde Hieronymus cõment in epist. ad Philemonẽ nomen Pauli censet esse nomen victoriæ & triumphi: *Vti Scipio*, inquit, *subiecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, & Metellus Creta subiugata, Cretici cognomentum reportauit, & Imperatores nunc vsque Romani ex subiectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur, ita & Paulus ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo victoriæ suæ trophea retulit erexitq; vexillum vt Paulus diceretur è Saulo.*

Variatio

Variatio nominis in S. Willibrordo originem trahit ex quarta ratione, nimirum quod solennem Episcopalem Consecrationem & dignitatem acciperet. Ab hoc fonte manasse satis suo modo loquendi insinuant Alcuinus & Beda. Ob idem motiuum Winfridum appellatum Bonifacium docet Serarius libro tertio rerum Mogunt: notatione 16. Æquum est qui altiorem gradum conscendunt, sicuti mores, ita & nomen aliter instituant.

N. tamen, S. Willibrordum inter Frisios maluisse suum natiuum, frequentiusque vsurpasse. In diplomatibus vtrũque nunc seorsim, nunc copulatim exprimit, Willibrordus, Clemens; Clemens Willibrordus: Willibrordus cognomento Clemens, &c. quo discas natale nomen non tam reprobatum fuisse, quam honoris causa aliud à Pontificie superadditum, quemadmodum Beatus Cyprianus in baptismate nomen Cæcilij sibi asciuerat à Cæcilio presbytero baptisatore, prius tamen non deleuit, vtroque simul se intitulauit Cæcilius Cyprianus.

Sed cur potius Clemens quam aliter? duplex occurrit causa. Vna, quod Sergius cerneret eum esse cordis mansueti, pacificum, lenem, clementem; sicuti Winfridum à benefactis Bonifacium dictum monstrat Serarius supra. Altera, quod sacræ manus ei imponerentur in profesto S. Clementis, cuius celebritas Romæ magna. Solent qui in lucem eduntur à S. in natali die occurrente nomina sibi mutuare, sic sæpe & Episcopi in die consecrationis tanquam nouo natali. Fuit quidem ordinatus in festo S. Cęciliæ, sed quod femineum nomen non congrueret, voluit ei Pontifex indere nomen à festa luce insequenti, quæ erat S. Clementis, quo die vltimus actus Episcopalis inaugurationis & pallij largitio agebantur.

Notandum illud Bedæ libro quinto cap. 12. *Ipse vero Willi-*

brordus cognomento Clemens &c. non esse accipiendum quasi Clemens solum esset agnomen, sed cognomento Clemens idem esse quod alio nomine Clemens, prout explicat in quadam ad Stephanum Papam epistola Bonifacius quam exarauimus dissertatione 76.

Presbyter nomine Willibrord & alio nomine Clemens vocatus. Sic Becanus, & sic etiã Heda aiunt Sergium S. Willibrordo in ordinatione non cognomen, sed nomen nouum, nomen imposuisse. Neque enim est apud veteres insolens cognomen & cognomentum poni pro nomine alio, Ita S. Paulinus Natali 9. de S. Felice:

Hinc dubius gemino Didymus cognomine Thomas.

S Hieronymus in caput 1. Ezechielis: *vsq; ad quintum captiuitatis annum Ioachin cognomento Iechoniæ.* Et in Eusebij Chronico, lib. 11. cap. 23. *Apis quem Serapim cognominant,* Id est alio nomine vocant. Sic accipienda est inter litteras Bonifacij hæc Epigraphe: *D. Beatissimo Pontificali infula meritò decorato, Archiepiscopo Winfrido, cognomento Bonifacio Hedilbertus Rex Cantiæ.* Et verba Hincmari epist 6. ca. 19: *Gregorius à primo secundus, sed & tertius Gregorius Winfrid, cognomento Bonifacium, Legatum Apostolicæ sedis ad reformandam Christianitatis religionem primò Presbyterum, postea verò Episcopum ordinatum direxerunt.*

Disser-

Refutatio quorundam cuiusdam Caluinistæ circa Episcopatum S. Willibrordi.

CIrca Archiepiscopalem inuestituram S. Willibrordi à Sergio Papa petitam & obtentam plurima regerit quidam Caluino-batauus contra P. Franciscum Costerum inde tanquam ex charactere probantem S. Willibrordum Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, non Gebennensis Synagogę cultorem egisse.

1. Eum concionatum fuisse docuisseque inter Frisios antequam esset consecratus & à Sergio missus.

2. Quandoquidem ille vellet fieri Archiepiscopus & monachismum relinquere, necessariã fuisse ei illam consecrationem eo quod Pontifex Romanus iam ab aliquot annorum centurijs vi obtineret & possideret magnitudinem Occidentalis Ecclesiæ eiusque sine nutu ac imperio nullus posset creari Archiepiscopus.

3. Accedit quod Pipinus Princeps coegerit aut importunè illum adegerit ad consecrationem obtinendam, in signum aliàs illum sponte numquam fuisse illam expeturum aut existimaturum ad instructionem & conuersionem Frisiæ esse necessariam. Vana, intricata hæc sunt & responsione vix digna. Nos tamen tã ad elucidationẽ actorum Apostoli nostri, quam ad obstruendum os calumniantium, circa singula dicemus.

Primum impertinẽs est, nã S. Willibrordus Archiepiscopales infulas non petijt, nec accepit vt prędicandi potestate frueretur, quâ quinque iam annis erat donatus, sed vt Episcopalia officia in Frisia exerceret. Deinde inunctus maiori robore, ampliori authoritate verbum

Dei

Dei deprecandi à Sergio emittebatur. Lege dissert. 58.

In 2. Mendacia, iniuriæ, tot pœnè sunt quot verba. S. Willibrordum appetijsse, ambijsse dignitatem & munus Episcopale, virum humillimũ, nulli officio humilitatis secundum, lauta patria egressum, inter Barbaros nil præter contumelias, verbera, pericula sudores expectantem. Nihil ægrius Sanctis auditur quam dignitatum ambîtus; nihil illorum sanctitatem magis deturpat. Imo nec sanctus, nec virtuosus talis competitor esse potest. In Regula rectè namque diuus Augustinus. *Alia quippe iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant, superbia vero etiã bonis operibus insidiatur vt pereant.* Sic Beatissimi viri Gregorius, Basilius, Chrysosto: Nicolaus, Martinus alijque dum ad Episcopatus fastigia quærerentur, omni studio refugerunt, in siluas, in speluncas, sepulchra, mandras sese abdentes. Ait D. Augustinus: *In quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem cauebam; & hoc agebam quantum poteram vt in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer.* An hæc exempla non sint lecta Willibrordo? an non ipsi lectum illud eiusdem? *Nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore facilius & latius & honoribus acceptabilius Episcopi aut presbyteri aut Diaconi officio si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut presbyteri aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur quo noster Imperator iubet.* Hoc ipsũ, inquies, Willibrordus de se confidebat. Verùm hoc nimium est præsumptum & à viro pio non minus alienum, qui cum humili Iobo veretur omnia opera sua. Faceſſat itaque cum sua ambitione Caluinista. Instanti consilio & persuasione, non coactione Pipini primorumque virorum, licet multum renitens, Episcopatum susceperit, non seipsum intrusit. Acceptauit charitate

charitate fraterna conuictus, inclinatus amore iuuandi Dei Ecclesiam cui hoc ministerium erat necessarium, non cupiditate terreni honoris.

DISSERTATIO LXIX.

An Willibrordus suscipiens Episcopatum deseruerit aut deserere voluerit Monachismum.

IN eodem secundo puncto habet voluisse illum Archiepiscopum fieri & monachismum relinquere, quasi voluerit Archiepiscopus esse vt monachismum deponeret & Archiepiscopum fieri, sit monachismum deserere. Antea dixerat, monasteria nihil aliud esse quam litterarum scholas & monachos tantum fuisse studiosos scholæ addictos vt in prædicatores gentium exirent; consequens inde debebat esse Willibrordum cum post ascetica Hybernica Frisijs prædicaret, monasterium & monachismum reliquisse. Cur iam dicitur nondum reliquisse, sed velle relinquere? adhuc studiosus erat tantus gentium Doctor? aptabatur ad prędicationem qui iam fere sex annis prædicauerat? Adhuc collegium ipsi tamquam testę suæ limax adhęrebat ad gentium instructionem formando, ei qui iam omnibus à scientia, à pietate, à prudentia, prælatus, communi virorum voce in Archiepiscopum eligitur? Vide quomodo hæc cohæreant: quo falsitas mentem ducat. vltroneè te veritatem fateri cogit sensus communis, propria conscientia, aliud fuisse monasteria, aliud monachos, religio-

sos, quã sẽsisti & scripsisti scilicet id quod differt: 4. paucis declarauimus. Talis monachus (supponamus eum fuisse proprie dictum monachum, de quo forsan aliàs:) seu religiosus (quod in idem recidit) Willibrordus exstitit & talis vsque in finem vitæ permansit. Nec fieri Episcopum, est monachismum seu religiosum statum exuere. Tenetur religiosus creatus Episcopus ad vota essentialia, quæ verè religiosum constituunt. Ad castitatem strictissimè teneri, clarissimum. Paupertatis quidem votum nonnihil posteriora iura relaxarunt, quo liberius & magis independenter bona Episcopatus sui administret, acquirat Ecclesiæ suæ, non monasterio, voto nihilominus perseuerante, vt proprium & Dominium non possit habere. Obedientiæ etiam votum non deseritur; materia tantùm subtrahitur, eo quod non habeat in religione superiores, quibus posset in tali statu subiici; siue mutatur obedientia prior in obedientiam erga summum Pontificem. Ad habitum monasticum similiter ligatur & ad alias obseruantias, quę Episcopalem dignitatem minimè dedecent aut cum ea non pugnant, quomodo repugnant solitudo, nimiæ asperitates &c. sine quibus consistit verus monachus & religiosus. Non ergo S. Willibrordus induendo Episcopum, exuit religiosum. Imo si id vnquam minus dicere debuisses, de illo hoc tacendum omnino fuisset: eo namque tempore Episcopi, etiam non regulares aut monachi, in clausto cum suo clero degebant, communi mensa, regularibus obseruantijs plurimũ astrictis; quanto magis religiosi. Agebant quod D. Augustinus, qui ad sacram dignitatem euectus, monasterium iuxta domum suã Episcopalem exædificauit, vt in eo cum cæteris fratribus, paupertatem, vitam communem aliasque clausirales disciplinas, quantũ publica sinerent munia, conseruaret. De S.

Swi

Swiberto Episcopo aperte legimus in impetrata à Pipino principe Werda extruxisse monasterium in quo ipse cum B. Velleico socio cæterisque deuotis discipulis sub arctiori S. Regulæ iugo, sanctissimam & continentissimam ducebat vitam. Prædicator & Doctor gentium erat, monasterium tamẽ non deserebat. Episcopus erat, nihilominus arctioris vitæ regulis sese continebat, in regulari vita perseuerabat. Idem in Traiectensi collegio S. Willibrordum cum socijs egisse docent nos monumenta. Ita namque Marcellinus (si eum placet audire.) ait Willibrordum & socios postquam illò (Traiectum) aduenissent, ordinasse & instituisse inter se eandem conuersationem quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit Episcopis & discipulis Christi, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quod conforme est Hedæ dicenti: *Qui* (Willibrordus) *postquam illuc* (Traiectum) *aduenisset, instituit talem sibi viuendi normam qualem in primitiua Ecclesia legimus obseruatam ab Apostolis.* Eiusdem dicti & styli est Leijdensis. Secuti sine dubio patres suos à beato Gregorio conuertendæ Britanniæ missos, qui vbi eam intrarunt statim cæperunt Apostolicam primitiuę Ecclesiæ vitam imitari teste Venerabili Beda lib. 1. cap. 16. Quod verò addit S. Willibrordo eam consecrationem fuisse necessariam eo quod Pontifex Romanus iam ab aliquot annorum centurijs per vim occupasset magnitudinem Occidentalis Ecclesiæ, ita vt sine ipsius nutu nullus posset fieri Episcopus, quasi eam S. Willibrordus & Pipinus requisierint & acceptarint adacti timore violentiæ Pontificiæ sibi illam Tyrannicè vel non debitè arrogantis & imperantis, aliàs recusaturi, atrox calumnia est & non nisi calumnia in Pontificem, Pipinum, & S. Willib. A quot

annis, quibus annis magnitudinem Occidentalis Ecclesiæ inuasit? Quo pacto armis, arte, dolo, tantum spolium sibi tulit? Quos Reges, Principes debellauit? Nihil. Natus est & retinuit Pontifex Christi Vicarius illud ius, non raptu, sed nutu, iure diuinis; vtitur eâ facultate in Occidentem à Christo S. Petro eiusque successoribus concessa dum ei *Petro* est dictum, *Pasce oues meas*, non Romanæ tantùm vrbis, sed omnes totius orbis. Exempla exercitorum actuum sacrorum Ordinum per singula sæcula ab exordio Ecclesiæ possent produci Imperatoribus, Regibus, Principibus, non contradicentibus, imò cum reuerentiâ eos sæpè efflagitantibus, quibus tamen satis erat virium ad compescendum Pontificem si quid Tyrannicè aut iniustè attentasset. Lege Alb. Pighium de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, Bellarminum, Baronium & Ecclesiasticas Historias. Ita Pipinus non fuit pressus, coactus, à Rom. Pontifice S. Willib. Romam mittere consecrandum; vltroneus, spontaneus, cum subiectione, additis litteris commendatitijs postulatorijs, misit, optimè scius quid supremo in terris Christi Vicario competeret, vt & S. Willibrordus, Bonifacius alijque Sanctissimi Præsules.

Dissertatio LXX.

De reditu à Româ S. Willibrordi. De Pipini donatione.

S. Willibrordus post quatuordecim dies in vrbe trãsactos, Archiantistitis honore decoratus redit in Franciã seu Austrasiã ad Pipinũ Herstallum, à quo indubie gratulabundo pro noua dignitate reuerẽter est acceptus. Ita idem vbi primum certo nuntio accepit

accepit cognatũ ſuum Hubertum S. Lamberto ſucceſſiſſe, ſplendido cinctus comitatu, ſalutandi & gratulandi cauſſa ad eum Traiectum venit. Erat Pipinus Sanctorum Epiſcoporum Apoſtolicorumque virorum amantiſſimus, quamquam per id temporis occœcatus libidine (quæ humana miſeria eſt) in S. Lamberti ſui monitoris & increpatoris perſecutoribus nimium conniueret nimiumque tribueret. Cupiens Friſiorum ſalutem Eccleſięque promotionem, ſedem Epiſcopalem inter Friſios ſtabiliuit donans Willibrordo (ait Beda) *locum cathedræ Epiſcopalis in caſtello ſuo illuſtri quod antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburg id eſt oppidum Wiltorum, linguâ autem gallicâ Traiectum vocatur, &c.*

Hîc nota ex Beda antiquum loquendi modum, quo nomine Caſtelli vrbs tota ſiue oppidum veniebat. Ea tempeſtate cum pauciſſimæ eſſent vrbes vallatæ, multitudo populi habitabat eo modo quo nunc in pagis rurales: loco adiunctum interdum erat caſtellum, in quo vel Princeps vel honoratiores degebant, quibus reliqua multitudo erat ſubiecta, populi etiam defenſioni ſeruiens. Vnde factum eſt vt totum appellaretur tamquam à parte honoratiori & capite cui reliqua erant quaſi annexa: & qui caſtellum donabat, reliquum vrbis tanquam connexum & cohærens donare cenſebatur. Sic in antiquis ſcriptis Antuerpia Caſtellum nominatur, quamquam ab olim vrbs fuerit celebris & nobile emporium teſte Sigeberto. Sic Doreſtatum caſtrum, item Dionantum caſtrum pro vrbibus legitur, & hîc oppidum Wiltorum, caſtellum. Similem loquendi formam etiamnum vſus retinet, verbi gratia, in pagis qui dicitur Dominus caſtelli ſimul intelligitur Dominus pagi & poſſidere pagum adiacentem tamquam concomitantem.

Collige 2. E dictis verbis Bedæ perperam quosdam sentire Pipinum vrbem Vltraiectensem S. Willibrordo dedisse eo iure quo postea tenuit. Verba Bedæ nihil aliud ferunt, quam donasse ei locum in castello quod Wiltaburg dicebatur, non autem ipsum Castellum aut Wiltaburgum; quemadmodum dissert. 79. & 220. plenius docebimus.

Nota, esse aliquos qui Wultaburgum siue Castrum Wultaburgum aliud faciunt ab Vltraiecto siue Castro Vltraiecto, quęmadmodum Chartæ aliquę Chorographicæ exhibent illud distans ab vrbe Vltraiectensi vltrà pagum Vechtē. Verùm antiquiores Historici pro vno eodemque loco ea habent, vt Beda, Hucbald. Sigebertus, Becanus & ordinariè recentiores, quibus ego accedo. Wultaburgum positum extra Vltraiectum, videtur error, aut certè nomen ex alio affini posteriùs corruptum. Potius ibi statuenda esset Fethna, de quâ diploma C. Martelli quod recitabimus diss. 120.

Dissertatio LXXI.

De reuersione S. Willibrordi ad Frisios. Refutatur Pseudomarcellinus de Comitatu Teisterbandiæ.

Dimissus à Pipino, ad suos Frisios properat; cui scribitur S. Swibertus Embricam vsque salutabundus occurrisse simulque Vltraiectum repedasse anno 697.

Addit Marcellinus cap. 11. S. Swibertum absente Willibrordo totum Comitatum Teisterbandiæ conuertisse multumq; in Frisia fructificasse. Inueniuntur insuper

per cap. 9. 12. in 14. hæc nomina, Hollandia, Flandria, Brabantia, Lotharingia, Anglia. Circa quæ non modica difficultas occurrit, an tempore primorum Apostolorum Frisię cognita fuerint: quam iam expedire aggrediemur vt pateſcat quæ ſit veritas iſtius Marcellini, potius. Pſeudomarcellini. Ac primò

De comitatu Teiſterbandię:

NOmen Teiſterbandiæ an æuo S. Willibrordi exſtiterit, nimis obſcurum quam vt aliquid definiatur. Quidquid vero de eo ſit, Teiſterban, diam, ſiue quocumque nomine terra venerit. Comitatus (eo modo quo hoc tempore accipitur & author intelligitur) titulo ea tẽpeſtate fuiſſe inſignitam, eſt vero abſimile. Non enim erat Prouinciarum in Comitatus & Ducatus inter Barbaros diſpartitio, qualis à Carolo magno eiuſque ſucceſſoribus Regibus Francis poſtliminiò eſt exorta. Breuiter & perſpicue hoc edocet Molanus præfatione ad militiam ſacram Ducum Brabantiæ: *Eſt & illud animaduertendum, primos Brabantiæ Duces non eius generis Duces fuiſſe, quales nunc ſunt. Nam priſcis temporibus illi tantummodo Duces reputabantur, qui duodecim ſub ſe comitatus habebant. Quò pertinet illud quod de Pipino in Annalibus Francorum legitur: Domum reuerſus, Griphonem, more Ducum, duodecim Comitatibus* (Comitibus, qui principem comitabantur, ei adſiſtebant, ſub ipſo ius dicebant, acta annotabant, vnde Graphiarij, Graven) *donauit.*

Illorum præterea temporum Duces non huius aut illius ditionis Duces erant, ſed Duces creabantur ad gubernationem regni, aut ad fidei Catholicæ defenſionem; quales in militia ſunt quos olim Primipilares, vel quos Colonellos vocamus, qui decem præſunt capitaneis. Primi proinde Brabantiæ Duces, non Ducatus illius qui dicebatur

auſt-

Austrasia, sed in regno Austrasiæ Duces erant, & Ducum officium præstabant. De quo perantiquo Ducum & Comitum genere inter alios tractat Theodorus Adamæus in suis ad Procopiũ de ædificijs Iustiniani annotationibus. De ijsdem agunt Leuinus Lemnius in descriptione Zeland. Dousa in Annal. Holland. I. Eijndius in Chronico Zelandiæ. Produnt Leidensis lib. 4. cap. 12. Reinerus lib. 5. Robertũ filium Balduini sexti Comitis Cliuensis primi generis primum exstitisse comitem posterioris generis Teisterbandiæ tempore Caroli magni: factus vero Balduinus ille Comes Cliuensis circa annum 790. iuxta Annales Cliuiæ. Itaque tamquam nothus habendus Teisterbandiæ Comitatus vero Marcellino, Pseudomarcellino notus. Huius (de ea aliquid loquamur) Teisterbandiæ Comes fuit Aufridus simul Comes Bratuspantij & Huy, qui cingulum sęcularis militiæ deponens, statu clericali susceptо, euectus in Episcopum Vltraiectensem anno 994. prædia Teisterbandiæ partim Ecclesijs, partim consanguineis distribuit; qua dispersione Comitatum Teisterbandiæ interijsse, inquit Reinerus ibidem. Quod tamen intellige quoad pristinam maiestatem & amplitudinem; nam plures secuti sunt Comites Teisterbandiæ. Et post annum 1100. floruit Folcoldus eiusdem Comes, qui voto facto ab vndis & hostibus insequentibus liberatus, Andrea Vltraiectensi Episcopo probante, Castrum suum Bernã in conspectu oppidi Heusdani monasterio ordinis Præmonstratensis ædificando consecrauit anno 1134, Religiosis aliquot ex Insula B Marię aduocatis, quos inter & ipse fundator conuersus siue Laicus annos quindecim vixit sanctèque obijt. Post eius conuersionem non multò Comitatus stetit, hodie non nisi ex litterarijs monumentis cognitus. Complectebatur autem Teisterbandia, dum in vigore esset, ditiones Altenaen-

sem

sem, Heusdensem, Insulas Bommelanam, Tielensem, quæ modo partim Hollandici, partim Geldrici iuris sunt.

DISSERTATIO LXXII.

De Origine nominis Brabantiæ.

BRabantiæ vox quo ad molliorem illam pronúntiationem nostris Apostolis non fuit in vsu. Antiquitùs audiebatur Bratuspantum, pagus Bragbantensis, Brachbantum, &c. Sed an eo modo illis innotuerit, probari nō potest. Molanus in præfatione ad libellum de sacra militia Ducum Brabantiæ indicat nomen Bragbantum serius esse nomine Lotharingiæ, quod demum enatum est post annum 855: Dum enim Brabantiam Austrasiam & Lotharingiam olim dictā asseueraſſet, adiungit: *Postquam Lotharingia tota inferior aut magnacius portio Bratuspantum & terra Bragbantensis & Brabantia dici cœpit, Lotharingiæ Duces qui se secundo loco aut Comites aut Duces vocabant Louanienses, illius loco tituli se Brabantiæ Duces scribebant.* Idem insinuat *Louuius* in annotationibus ad eundem Molanum initio: *Solet vero*, inquit, *magna huius Ducatus* (Lotharingici scilicet) *portio à mediæ ætatis scriptoribus dici Bratuspantium, Brachbantum, pagus Brachbantensis & incolæ Bratuspantij, Brachbantiones, Brachbantenses, postea molliori nomenclatura dicti sunt Brabanti & Brabantini, ipsa vero ditio Brabantia.*

S. Willibrordus in testamento suo edito à F. Scribanio in Antuerpia aliquot loca Brabantiç (modernam hic semper intelligo) consignat in pago Taxandriæ; Bratuspantij autem, Brachbanti aut Brabantiæ non meminit: sicu-

ti nec Rohingus Antuerpiensium Princeps in litteris donationis S. Willibrordo factę quas ex peruetusto Abbatię Epternacensis codice fideliter depromsit Aubertus Miræus in Fastis Burgundicis ad 7. Nouembris. Quod autem Brabantiam ante Pipinos aliqui à Brabonibus deriuant, omnibus Doctis displicet & vt fabula exploditur. Insuper pagus Brachbantensis (quocumque tempore emerserit) modicum Brabantiæ complectebatur, in agro forsan Louanienſi aut vicinijs versus Flandriam & Mosam; totus fere erat in Flandria Tornaci vsque mœnia, in Hannonia, Cameraco. Brabantia pœne integra nominabatur Pago Taxandriæ, Pago Rhienſi, Pago Hasbaniæ, quod liquet partim ex citatis, partim ex diplomate Othonis 2. Augusti anno 976. confirmatiuo possessionum monasterij Gandensis apud Dousam. lib. 8. Annal. Holl. Miræum lib. 2. Donat. Belgica: in quo Pagus Brachbantensis distinguitur à Pagis Taxandriæ, Rhienſi, Hasbanienſi, tamquã diuersis regionibus: sub Pago Tessandriæ (Taxandriç) extra Brachbantensem, ponuntur Noythreue (Nortwyck,) Edingehem (Idegem:) in Pago Rhienſi Bouckholt, vici hodie in Brabantia notissimi, Loca vero quæ numerantur in Brachbantẽsi, extra Brabantiam reperiuntur, Quare recentioris nascentiæ existimo Brachbantum, Brabantiã &c. quã quod Apostolorũ nostrorũ æuo & stylo tribuatur. Quinimò etsi admittamus Brachbantum, Pagum Brachbantensẽ &c. Willibrordi sæculo exstitisse, dicendum tamen nõ est illum Brachbantũ visitasse, docuisse, cum solum eum nostræ Brabantiæ tractum doctrina illustrarit, quæ tum Taxandriæ, Pagi Rhienſis & Hasbanienſis nomine gaudebat. Quod à fortiori asseretur, si sentiamus cum Lindano in Teneramundâ vetus Brachbantum extra hodiernam Brabantiam pœnitus fuisse.

Dissert.

De ortu nominis Hollandiæ & Zelandiç.

DE natiuitate & origine nominis Holl. quo tẽpore nimirum & à quo exordium sumpserit, concertatio est. Guilielmus Hæda, Dousa, Adrianus Iunius opinantur septentrionales populos ex Hollandia Danica vel Borussica huc migrantes nomen patrium nostrati Prouinciæ impressisse, more vsitato gentibus sedem mutantibus. Contigisse autem hoc putatur in annum salutis 837. quando à Danis & Nortmannis Batauodurum ferro & incendijs vastatum Frisijsque tributum imperatum est, vt memorat Sigebertus. Pontus Heuterus lib. 1. de nouo & veteri Belgio cap. 12. eius ortum tribuit incursionibus Danorum post annum 900. Eandem appellationem Nortmannis asscribit in Natal. SS. 17. Aug. Molanus, ac etiam post obitum S. Ieronis à Nortmannis crudeliter occisi circa annum 856. sentit prius auditum nomen Hollandiæ, non ante. Iacobo Meyero Annal. Fland. lib. 11. Hollandiæ nomen est admodum recens & exortum post annum millesimum 66. eo quod Hermannus Contractus vsque ad illum annum scribens, eam semper intitulet Fladirtingam, ab oppido **Vlaerdingen**, nunquam vero Hollandiam. Gerardus Nouiomagus censet inferiorem Batauiam tempore Caroli Calui Franciæ Regis ab anno 841. vsque in annum 879. cæpisse à Frisijs dici Holtlandiam. Sic Brassica, quod vniuersum istius Prouinciæ tractum nemorosum quondam Fraxineaque ac roborea materia feracẽ & copiosum exstitisse credat, Hollandiam deducit à siluis & lignis Holtlandiam; ita enim subinde legitur. Ridet eam nomenclaturam Dousa, quasi vero Abietum, Fagorum,

Tiliarumque ac Quercuum aliarumque id genus arborũ vmbrosa comarum opacitate iuxta ac vigore luxuriantium, lętior olim in his locis exuberauerit copia, quam in vicinia, reliquisq; ie longius à mari Oceœano disitis, nec tam Aquilonarium turbini obnoxis regionibus vento rum. Alij à cauitate, alij à copia fœni quasi Hoylandiam, alij aliunde originem elic iunt. Suffridus lib. 1. de Orig. Frisiæ cap. 9. ab Olennio, de quo Tacitus, à Romanis præfecto deriuat: Nam cum Olennius ille importuniori tributorum exactione ad rebellionem Frisios compulisset, eaque occasione in magnas calamitates conieciſſet, veteres Frisios hanc terram odioso nomine per contemptum Holle landt id est Olenni terram vocasse; adhæsisseque diu cognomen hoc terrę isti, sic vt promiscuè vel Frisia noua vel Olenni terra vocaretur: donec tandem obliterata apud vulgum rei gestæ memoriâ & duabus dictionibus in vnum compactis, pro Holle lant Hollant dici cœperit, abolito nomine Frisię postquam à veteri Frisia secesserat. Verùm hæc speculatio, si non fabulatio Suffridi, à probatissimis Historicis contemnitur, vt & nuper ab Arn. Buchelio in notis ad Ioh. Becanum addente Hollandiæ nomen esse recentius & post mille tunc annos ignotum. Ex his omnibus deduco Hollandiæ vocabulum post sæculum S. Willibrordi verique Marcellini esse exortum. Primò, quia plurium grauissimorumque authorum est censura, qui recolligendo sunt Heda, Lemnius, Meierus, Molanus, Alsinius, Douza, Pontus Heuterus, Gerardus Nouiomagus &c. quibus coniunge eos qui Hollandiæ vocabulum inditum contendunt à Theodorico 1. eius Comite, creato anno 863. vel secundum Haræum 913. Prouinciales ferocitatis & rebellionis notante, mutuato nomine ab equis incitatioribus aurigã & habe-

nas

nas non audientibus, quos vulgo dicimus Hollen. Nec alij aliundeetymon trahentes contradicunt cum nullum certum tempus designent. 2. Quod nulli eorum qui ante annum 800. nobis scripta transmiserunt, Hollandiæ mẽinerint, cum tamẽ Frisiæ, Batauię, Saxonię frequens mentio: quod idipsum diserte affirmat Heda dicens, in vetustis Historijs latinis nunquam legi hoc nomen Hollandia, nisi apud S. Marcellinum, sed quam vere apud ipsũ & quàm S. Marcellinus sit, iam probamus. 3. Ex originationibus iam adductis, inter quas si rite expendantur, Hedæ, Iunij, Dousæ, &c. sunt præferendæ, quam etiam astruit recens author Iacobus Eyndius Chron. Zelandiæ lib. 2. cap. 3. 4. Quod Frisij imperij summam ea tempestate tenerent: deficiente namque in Gallijs Romano imperio circiter annum Christi 500. Frisij ad summum potentiæ prouecti, maximam Batauiæ ac veterum Bructerorum trans Amisiam omnem possessionem pulsis Wiltis ac Batauis occupauere, veteribus Batauis in eum Insulæ angulum detrusis quæ Geldriæ attributa adhuc hodie Batauiæ nomen tuetur. Vnde & modò imperij Frisici in Hollandia sunt vestigia, iuxta quorundam relationes, nimirum conditum Harlemum à Frisijs post annum 500: Alckmaria cõdita ab Adgillo Radbodi filio: Medẽblicum regia quondam Radbodi: item titulus Ordinum patriæ, Westfrisia. Nec eo imperio exuti fuerunt, nisi postquam Franci superato Rheno in Gallijs regno stabilito exactis Batauia natiuis Frisijs ijsque cum omnibus vicinis domitis maritimas quoque omnes regiones subegerunt. Vltimò, S. Willibrordus Frisonum est ordinatus Apostolus, consecratus Archiepiscopus Frisonum, per quos intelligendi sunt & moderni Frisij & Hollandi, Zelandi, Vltraietenses &c. adeoque nostrorũ Apostolorum æuo Frisię nomine

mine gaudebat Hollandia : appellatio Hollandiæ posteriori sæculo allata. Obserua nos hic non disquirere an nomen, Hollandia, primitus obuenerit toti Hollandiæ quà nunc patet. Sunt namque qui opinantur primæuam Hollandiam esse solam insulam Dordracenam siue Hollandiam Austrinam; & successu temporis nomen fluxisse ad reliquam partem prout nunc ampliatè significat.

De Zelandia.

VT Hollandiæ, sic & Zelandiæ nomen æuo S.Willibror. & S.Marcell. recentius esse, imo simul à gentibus Aquilonaribus emanasse, testantur Zelandi Historici. De eo Leuinus supra: *Quod verò ad gentis huius originem spectat, constans fama est, atq; indigenis per manus tradita, à Gothis ac Danis hanc profluxisse, præsertim ab illa insula Cimbrica quæ in Dania Zelandia nomen inscripta est, in qua spectatur celeberrimum Emporium Hafnia, vulgari nomine* Coopmans-haven, *à portu negotiatoribus frequentata, qui hanc terram cultoribus vacuam, oppositis erectisq; aggerum molibus, in insulas redegerunt, atq; extructis primum casis, minutisq; atq; angustis tugurijs, sementi ac pascuis reddidêre idoneam.* Simili consilio eisdē authoribus à Maris Balthici siue Codani sinus cognomine Insulâ exiguo freto à Scandiâ directâ Zelandiam vocari cæpisse Nortmannis regnantibus, docet I. Eijndius Chronici. lib. 2. cap. 5. Est nempe insitum naturę hominum vt absentes & exules natalis soli vnde exierunt ardenter plurimùm recordentur, eius nominibus acquisitaloca insigniant, vti hodieque in remotis Indiarum regionibus cernimus fieri ab occupatoribus. Idipsum

ipsum de sui sæculi genio lib. 5. de bello Gallico refert I. Cæsar: *Maritima pars*, inquit, *ab ijs, qui prædæ, ac belli inferendi causa, ex Belgio transierant: qui omnes ferè ijs nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt, & bello illato, ibi remanserunt, atq; agros colere cœperunt.*

Quænam gentes anteriùs Zelandiam incoluerint, alieni est dramatis. De ijs strictim & de eius Etymo Ad. Hofferus poëta:

Masculagens, quam Zelandos hæc nuncupat ætas,
Cur vos Mattiacos pristina sæcla vocant?
An quia vulgato gentis sermone soletis
Consortes operum MAAT *vocitare viros?*
Sive fuit prisco Toxandria nomen ab auo,
Siue Gigantæos vos, Slauioſq; vocem?
Ecquis ab antiquo credat deducta Zalando,
Nostraq; in Iliacâ sceptra fuisse manu?
Arboricasue putem signatas nomine terras,
Fortè quod arboribus luxuriabat humus?
Quæq; alia instabili Criticus dijudicat arte,
Ista sub obscuro cortice sensa latent.
Sed cur Zelandi nunc dicimur? an quia nobis
Plus vicina quatit littora nostra Thetys?
An quia Cimbrorum Sialandia Gentis origo est,
Aut debellatis imperitauit auis?
An quia cen Syrtes medijs enascimur vndis
Quà mare, veldensis turget arena vadis?
Siue quod æquiuocans telluris imago, marisq;
Nos velut æquoreos, terrigenásq; facit?
An quia dissecti in varias dispescimur oras,
Mixtáq; sunt terris æquora, terra mari?
Nominis hæc nostri ratio est, luctamur in undis,
Rursus & emerso vertice stamus humo.

Nempe

Nempe resurgentis docet hoc insigne Leonis,
Quæq; sub inscriptis sunt monumenta notis:

LVCTOR ET EMERGO.

Non prætereunda sunt hîc verba quædam Alcuini: *Quodam tempore dum Venerabilis vir* (Willibrordus) *iter euangelizandi more solito ageret, venit in quandam villam, Walachram nomine, in quâ antiqui erroris Idolum remanserat: quod cum vir Dei, zelo feruens, confringeret, præsente eiusdem Idoli custode, nimio furore succensus ille, quasi Dei sui iniuriam vindicaret, in impetu animi insanientis, gladio caput sacerdotis Christi percussit: sed Deo defendente seruum suum, nullam ex ictu ferientis lasuram sustinuit.*

Vbi si per villam Walachram accipiat Regionem quæ modo Walachria nominatur, admodum improprie locutus est author, nec à quouis intelligetur. forsan in aduentu S. Willibrordi erat villa seu oppidum eiusce nominis, alio nomine Westcapella, ita nominatum ab Idolo *Walcher* ibidem celebriter culto. Westcapellam namque, qui nunc est pagus, olim præclaram vrbem in eaque Idolum Walcher adoratum fuisse, perhibent monumenta: ac vt nomen Walcher in vrbem, ita tandem in totam prouinciam esse deriuatum, vt **Walcheren, het Landt van Walcheren** diceretur: quemadmodum a pago **Switz** tota Regio Heluetiæ induit nomen **Switzerlandt.** Quidquid de casca re sit, certò Walachria est & significat nunc insulã & quidem omnium Zelandicarum nobilissimam, in qua S. Willibrordus docuit & Idolum **Walcher** alio nomine Mercurij Westcappellæ cõfregit, quod patrij Rithmi decãtant: Alij scribunt Idolum Martis confregisse. potuit vtrũque: varios enim Deastros & Deastras Frisij, sub quibus

bus tum Zelandi, honorabant, prout dissert. 50. enumerauimus.

DISSERTATIO LXXIV.

De nomine Lotharingiæ & Flandriæ.

LOtharingiæ vocabulum recentius vnanimis peritorum consensus facit, natum denique post annum 855. à Lothario iuniore (non seniore vt perperàm scribunt Diuæus & Sigebertus) Austrasiæ rege Austrasiam à suo nomine Lotharingiam nominante. Vide Molanum militiæ sacræ cap. 18. De Lotharingia, eius diuisione & finibus plura idem Molanus in præfatione ad militiam sacram & Louwius in annotationibus ad eandem præfationem. Vide etiam Miræum in Annal. Belgicis ad annum 855.

De Fland. natalitijs ingentes tenebræ. Varij varia augurantur. Bellante Cæsare & Tacito scribente Morinorū erat Regio, Wouterlandt. Rutheniam fuisse aliquando nuncupatam docet ex Rumfredo Anglo Scriuerius in antiquitatibus Batauicis; cui consentit Cænalis indicatque Meyerus. Pipinis regnantibus Francia Occidentalis audiebat. Quinimò Saxoniæ nomen, saltem ex parte, tulit sub Carolo magno, ob Saxones deuictos eò translatos. hinc littus Saxonicum, nunc Flandricum, vt non appareat ętatem S. Swiberti triuisse, aut S. Marcellini calamum affeciſſe.

Sed vnde tandem vox Flandria? Alij à Flandrina femina: Alij à quodam Ordinum Ductore Flamberto: Alij à fluctu & flatu: Alij à flaincken quod æstus reciprocationē significare volunt, deriuant. tempus non addunt. Verum

hæc sunt meræ coniecturæ, nullo probo testimonio fultę. Comitatus Flandriæ instituitur à Carolo Caluo Imp. ann. 862. primusque Comes ab eo renuntiatur Balduinus defunctus anno 877. sepultus Atrebati Metropoli tum Flandriæ.

Dissertatio LXXV.

De nomine Angliæ.

Frequenter in trito Marcellino occurrit nomen Anglię quasi à S. Marcellini manu & quidē ab Engisto Saxonum in Britanniā inuectore deductum patrięque illatum. Ego verò illud præsertim respectu totius prouinciæ Britanniæ Apostoli calamo non subfuisse iudico. Si de aliqua parte seu regione intelligeretur, tolerari forsan posset: de tota Prouincia, quam reuera eo verbo comprehendit, omnino extra verum: nam in primis, Britones non paruam portionem incolentes nomini suo minime renuntiarant. Deinde cum variæ viuente & scribente S. Marcellino essent nationes & sibi inuicem infestæ, cur potius ab Anglis diceretur, quam à Saxonibus qui potiores erant, Iutis, Frisonibus? Ac quod non parui momenti est, Gildas sapiens lib. De excidio Britanniæ: Beda qui Anglicanam historiam vltra annum 700. produxit, & Anglorum aliquam Britanniæ partem inhabitantûm, non raro meminit: Gregorius Item Magnus perpetuò Britanniam nuncupant, numquam Angliam etiam post inuasum regnum à Saxonibus & Anglis. Quinimò etsi admitteremus Prouinciam nomen Angliæ statim portasse, postquam iam Saxones (ita nomino omnes inuasores) debellassent, verumtamen non est credendum

dum quo S. Marcellini præsertim respectu totius terræ, vsum habuisse, quandoquidem iam à longo tempore externi aduenæ, discordijs intestinis à se mutuo diuulsi, eam in septem regna diuersaque nomina intersecabant; quæ dissertatione 2. enumerauimus. Quo casu non potuit non obsolescere Angliæ appellatio, & Britanniæ reuiuiscere. Quod nonnulli, inter quos hic videtur esse Marcellinus cap 1. Angliam nostrate modo **Engelant**, trahant ab Engisto Saxonum in Britanniam inuectore, quasi dicatur Engistuslant, inde emersisse **Engelant**, & Anglia, vanum est, ab omnibus potioribus Scriptoribus reiectum. Quare fidem accommodo Polydoro Virgilio exacto Anglicarum rerum exploratori adstruenti post annum 800. Egbertum Occidentalium Saxonum Regem (erat is ex Germanicis Anglis oriundus) subactis cæteris regnis summo Prouinciæ imperio potitum, partim vt deleto Britannico nomine sui generis memoria perpetuaretur, partim vt eodem nomine eodēque iure omnis populus censeretur, primum Britanniam Angliam, & vniuersam gentem Anglos appellauisse, idque edicto sanxisse perpetuo.

Postquam de prædictis nominibus ita censuissem & disseruissem non subfuisse calamo S. Marcellini, incidi in Iacob. Gretserum de Episcopis & Sanctis Aichstadiensibus vbi lib. 1. cap. 9. obseruationum in vitam SS. Willibaldi & Wunibaldi, vitam S. Swiberti 1. Martij Marcellini nomine editam, vt nos hactenus & deinceps, confutans, & Authorem Pseudomarcellinum vocans, inter alia hoc argumento vtitur: *Author iste vtitur vocabulis Regionum & Prouinciarum, quæ non nisi post aliquot centenos annos ab obitu S. Swiberti exstiterunt; cuius generis sunt, Hollandia, Brabantia, Flandria, Westphalia, Lotharingia, Bruinsuicum, Monasterium (Vrbs Westphaliæ) Angliapro vniuersa Britannia, Lec-*

ca pro Rheno flumine, Embrica, Dauentria, Transisalana, & similia, de quorum nouitate vide Molanum in Indiculo Littera, I, verbo Ieron. Iacob. Meierum lib. 10. Annalium Flandriæ, Petrum Bertium in Cosmographia, Cambdenum in Chorographia Britanniæ, Crantzium lib. 2. Saxoniæ cap. 31. & lib. 1 Metropoleos cap. 5. & lib. 4. cap. 14. Nam quod ad Angliam attinet, certo constat hanc appellationem toti Insulæ (excepta Scotorum parte) ab Ecberto demum totius Heptarchiæ Monarcha post annum 800. impositam esse; qui ab Anglis potius, quam ab alijs populis nomen petendum censuit quod Angli essent numerosissimi; illi enim Northumbriam & Merciam ampliſsimas Regiones cum Orientali Anglia occuparant: Iutarum verò progenies solummodo Cantium & Vectam Insulam: & Saxones Saxoniam Orientalem, Australem & Occidentalem possidebant, exiguam profecto portionem, si ad amplas illas Anglorum regiones conferatur, vt ait Campdenus in sua Chorographia.

Ex his liquet historiam degestis S. Swiberti immerito præferre nomen veteris illius Marcellini Angli, quandoquidem fieri non potuit vt ipse in sua scriptione nondum natis Prouinciarum & vrbium vocabulis vteretur. Nec est quod quis dicat hacà Surio esse; nam Surius manum suam ab illo commentario abstinuit, nec stylum mutauit, nec curiosius in Authorem, Authoriſq; dicta inquisiuit. Hucusque Gretserus; cuius verba dum hoc opus componerem huc adferre volui, vt viderent me non esse solũ qui hunc Marcellinum à Baronio alijsque fidelissimum scriptorem habitum tantopere vellicarem, & desinerent me temeritatis arguere, vt arguebant etiam docti Historici ęstimati. Nunc verò dum sub prælo est, testimonio illo opus non erat, quia ab aliquot annis adeo innotuit ille Marcellinus, vt passim Pseudomarcellinus indigitetur. Attamen placuit relinquere ad meorum confirmationem

De Ecclesia S. Saluatoris & constitutione Sedis Episcopalis Vltraiectinæ.

Tè multis diuerticulis ad historiæ filum reuertamur, dictus Marcellinus cap. 13. de regressu S. Willibrordi in Wiltaburgum prosequitur: *Dein pariter Traiectum pergentes* (Willibrord. & Swibertus) *statim in fũdo Basilica S. Thomæ Apostoli prope Castrum Traiectense Canonicorum Canobitarum construxerunt Ecclesiam in honorem S. Martini Episcopi Turonensis, in qua S. Willibrordus Archiepiscopus Frisonum Cathedralem Ecclesiam sibi stabiliri iussit.*

Aliter Aub. Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis vult S. Willibrordum Traiectum aduenientem primitus exædificasse Ecclesiam S. Saluatoris in eaque sedem Episcopalem constituisse quæ post eiusdem mortem transuecta sit in Ecclesiam S. Martini posteriùs excitatam.

De hac controuersia sic Becanus in Bonifacio: *Hæc quidem Ecclesia à S. Bonifacio ædificata iuxta primordiale oratorium S. Saluatoris diuersis titulis priuilegiata legitur, quoniam vulgariter antiquum Monasterium pro tanto forte dicitur quoniam Ecclesia Traiectensis abunde renouata fuit, sed hæc in ædificio veteris structure permanens hactenus irrenouata durauit. Quidam tamen asserunt eandem Ecclesiam Saluatoris à S. Clemente primo super ædificatam esse & 80. Canonicos in ea prabendatos fuisse de quibus idem Clemens 40. resumsisset quos in Ecclesia S. Martini transplantasset. Si autem hoc ita fuit, veritati non contradicimus. Verumtamen nullam exinde certitudinem ex priuilegijs vel historijs aliquatenus indagare potuimus.* Hinc, quantum audio, veteres flagrarunt

contentiones inter Canonicos S. Saluatoris & Canonicos S. Martini de primatu & antiquitate & vtroſque nomen Dom-heeren geſſiſſe. Et hinc forſan effluxit quod pœnes vtroſque coniunctim fuerit electio Epiſcopalis. Iudices aut arbitri hîc non ſedemus. Dabo litteras S. Bonifacij ad Romanum Pontificem ſi aliquid liquidiùs docere poſſint:

Venerando ac diligendo Domino Apoſtolatus priuilegio pradito Stephano Papæ Bonifacius exiguus Legatus vel miſſus Germanicus Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ optabilem in Chriſti Charitate ſalutam. Tempore Sergii Apoſtolicæ ſedis Pontificis venit ad liminæ SS. Apoſtolorum preſbyter quidam miræ abſtinentiæ & Sanctitatis generis Saxonum nomine VVillibrordus & alio nomine Clemens vocatus, quem præfatus Papa Epiſcopum ordinauit, & ad prædicandam paganam gentem Freſonum tranſmiſit littoribus Oceani occidui. Qui per 50. annos Prædicans præfatam gentem Freſonum maxima ex parte conuertit ad fidem

Chriſti

Christi, fana & delubra destruxit, Ecclesias construxit & sedem Episcopalem & Ecclesiã in honorẽ S. Saluatoris constituens in loco & Castello quod dicitur Traiectum & in illa sede & Ecclesia S. Saluatoris quam construxit prædicans vsque ad debilem senectutem permansit & sibi Coepiscopum ad ministerium implendum substituit & finitis longæuæ vitæ diebus in pace migrauit ad Dominum. Princeps autem Francorum commendauit mihi sedem illam ad constituendum & ordinandum Episcopum, quod & feci. Nunc autem Colonienſis Episcopus illam sedem præfati Episcopi Clementis à Sergio Papa ordinati sibi vsurpat & ad se pertinere dicit propter fundamenta cuiusdam destructæ à Paganis Ecclesiæ quam Willibrordus dirutam vsq; ad solum in castello Traiecto reperit & eam proprio labore à fundamento construxit & in honorẽ S. Martini consecrauit. Et refert quod ab antiquo Rege Francorum Dagoberto Castellum Traiectum cum destructa Ecclesia ad Colonienſem Parochiam donatum in ea conditione fuisset vt Episcopus Colonienſis gentem Freſonum ad fidem Christi conuerteret & eorum prædicator esset, quod & ipse non fecit. Non prædicauit; non conuertit Freſos ad fidem Christi, sed pagana manſit gens Freſonum vsquequo venerandus Pontifex

fex Romanæ sedis Sergius supradictum seruum Dei Willibrordum Episcopũ ad prædicandum supradictæ genti transmisit, qui illam gentem, vt præfatus sum, ad fidem Christi conuertit. Et modò vult Colonienſis Episcopus sedem supradicti Willibrordi Prædicatoris sibi contrahere vt non sit Episcopalis sedes subiecta Romano Pontifici prædicans gentem Fresonum. Cui respondebam, vt credidi, quod magis & potius fieri debeat præceptum Apostolicæ sedis & ordinatio Sergij Papæ & legatio Venerandi Prædicatoris Willibrordi vt & fiat sedes Episcopalis subiecta Romano Pontifici prædicans genti Fresonum, quia magna pars illorum adhuc pagana est, quam destructæ Ecclesiæ fundamenta diruta & à Paganis conculcata & per negligentiam Episcoporum derelicta. Sed ipse non consentit. Sed modò paternitatis vestræ iudicium mihi intimare dignemini & si hoc iustum sit responsum & vobis placeat quod illi Colonienſi Episcopo reddidi, vestra Authoritate roborare, vt præceptum Sergij Papæ & sedes illa stabilis permaneat. Sic enim potestis nos, si vobis placet, adiuuare, si de scrinio Ecclesiæ vestræ exemplare iubeatis & mihi transmittere quidquid præfato Episcopo Willibrordo ordinato S. Sergius præcepit & conscripsit, vt ex Authoritate Sanctitatis vestræ contradicentes conuincere, & superare valeam: si autem aliter iustius Sanctitati vestræ videatur, consilium Paternitatis vestræ mihi insinuare dignemini vt sequar.

Verbis

Verbis illis, sedem Episcopalem & Ecclesiam in honorē S Saluatoris constituens, &c. & in illa sede & Ecclesia S. Saluatoris &c. vsque ad debilem senectutem permansit, &c. quibus sedem Episcopalem & Ecclesiam Saluatoris coniungit, in ijsque simul S. Willibrordum permansisse, satis insinuat S. Willibrordum Cathedram Episcopalem primò in Ecclesia Saluatoris collocasse ibidemque resedisse. Dein quia post ordinationem acceptam à Sergio prius narratur exstructio Ecclesiæ Saluatoris ac posterius S. Martini, signum est hanc secundo loco exstructam & non nisi posterius Episcopalem residentiam ibi esse acceptam. Scio dictæ Epistolæ exemplar apud Leydensem habere pro S. Saluatoris, S. Martini. Verùm quod dedimus, est Clarissimi Baronij depromptum ex Vaticano fideli antiquitatum promptuario: Naucleri generatione sexta: Nicol. Serarij Actorum & scriptorum S. Bonifacij diligentissimi inuestigatoris & examinatoris: Mirçi in fastis Belgicis & Burgundicis, proinde præferendum ei quod producit Leydensis. Cum antiquæ viguerint eâ super materia lites inter vtramque Ecclesiam, studiosus quispiã pro affectu suo de primatu obtinendo vel stabiliẽdo Germanũ exẽplar potuit corrupisse. Cõsonat opinioni nostræ ratio; nam Ecclesia S. Martini extructa in fundamentis Basilicę S. Thomæ Dagoberto Rege positæ, à Frisijs destructæ, erat extra arcem siue castrum Traiectense teste Becano & ipso Marcellino cap. citato & septimo. Longè autem credibilius est S. Willibrordum primùm omnium residentiam suam inchoasse in palatio Regali quod ei Pipinus liberaliter concesserat intra arcem siue castrum, vbi erat oratorium S. Crucis in eoque ecclesiam suo muneri aptasse, vbi tutior erat sedes irâ Radbodi nondum sepulta. Quid, quod idipsum dilucidè nobis declaret

Carolus Martellus in diplomate quo S. Willibrordum donat Traiecto & Fethnâ : *Donatum in perpetuum esse volumus hoc est ad Monasterium, quod est intra muros in Traiecto castro constructum, vbi & Apostolicus vir D. & in Christo pater noster Willebrordus Archiepiscopus, sub sancta conuersationis cœnobitali ordine, custos præesse videtur, annem tem &c.* Ecclesia verò seu Monasterium situm in castro, in quo S. Willib. Archiepiscopus cernitur residere, erat Eccl. S. Saluatoris vt omnes concedunt Accedit quod tenuibus adhuc Christianorum rebus non videantur fuisse sufficientia media aut opportunitas sedi Episcopali in oppido extra Castrum constituendę; secus postmodum accidit ampliato Christianorum statu.

Causa cur Saluatori primitùs templum consecrarit, eadem datur quæ de oratorio S. Crucis anno 693. quod modo dilatatum putatur aliquibus idem esse quod hîc Ecclesia Saluatoris, saltem omnino vicinum est & contiguum. Imitatus est Willibrordus D. Augustinum Britanniæ Protoapostolum & suum, qui vbi in regia Ciuitate (Dorouernensi) sedem Episcopalem accepit, recuperauit in ea regio fultus adminiculo Ecclesiam quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuisse didicerat & eam in nomine S. Saluatoris Dei Domini nostri IESV Christi sacrauit, atque ibidem sibi habitationem statuit. Beda lib. 1. hist cap. 33.

Opponitur. Hucbaldus Elnonensis lib. de S. Lebuino cap. 8. apud Surium tomo 6. de Bonifacio loquens : Hic, ait, etiam inter egregia bonorum actuum insignia, vt non modo sua, sed & aliorum quoque Præsulum vigilantiâ Catholica propagaretur, augmentaretur, ac confirmaretur Ecclesia annuente sibi Carolomanno, Authoritate fultus Apostolica, in Castro Wiltenburgh quod nunc Traiectum

iectum dicitur, constituit vt Episcopalis essẽt Cathedra. Ergo non à Willibrordo, sed à Bonifacio constituta est Traiecti Episcopalis Cathedra. Respr. Verba Hucbaldi si accipantur vt sonant, erronea sunt: euidenter namque cõstat tum ex testimonio V. Bedæ supra, tum ipsiusmet Bonifacij Willibrordo coętanei Legati Apostolici Germanici & post obitum S. Willibrordi Episcopij Vltraiectensis directoris & administratoris Epistola mox producta S. Willibrordum annuente & adiuuante Pipino Herstallo sedem Episcopalem in loco & Castello quod Wiltaburgum & Traiectum dicitur, constituisse. Verum benigne exponi potest Hucbaldus, vt intelligatur Bonifacius sedẽ constituisse id est quasi manutenentia ex authoritate sua Apostolica eam continuasse Episcopum substituendo, sua defensione stabilijsse contra Colonienses illam sibi vendicare aut abolere nitentes, quemadmodum ex Epistola Bonifacij est scire.

DISSERTATIO LXXVII

De Ecclesiæ S. Martini consecratione. Refellitur Marcellinus.

DE exstructa Ecclesia S. Martini subiungit immediatè Marcellinus supra: *Quam Ecclesiam per primitiuam benedictionem SS. Willibrordus & Swibertus Episcopi cum cæteris confratribus propriis manibus benedicendo consecrarunt.* Quid hic intelligat per primitiuam benedictionem? an primitiuam id est primam respectu Ecclesiæ consecrandę quæ antehac nullam aliam benedictionem susceperat; an primtiuam respectu Willib. & Swiberti, quod sit prima benedictio consecratiua quã

S. Willibrordus exercuit & quasi primitiæ muneris eius Episcopalis? Non enim legitur antè ille alibi aliquam Ecclesiam consecrasse. Prior sensus admitti potest, non tamen vsque adeo cõgruè, nec puto à Marcellino intentum. Supprior secundum ipsummet Marcellinum falsus est si ambos Willibrordum & Swibertum intelligas, quemadmodũ intelligendi veniunt: nã fuerit prima à S. Willibrordo, non fuit prima consecratio impensa Ecclesiæ à S. Swiberto. Ipsummet hoc docet Marcellinus cap. 11. quo facta S. Swiberti ante aduentum S. Willibrordi è Roma refert: *Conuertebat vero in absentia S. Willibrordi sua dulciflua predicatione fere totum Comitatum Teisterbandiæ in quo construebantur Ecclesiæ multis in locis aut templa Idolorum consecrabantur in Ecclesias Christi & Sanctorũ vtpote Ecclesiã S. Vincentij Martyris in* Sandwick *prope Tilam: in Arkel in honorem S. Dei Genitricis Virginis Mariæ: In Hornar in honorem S. Dionisij Areopagitæ: in Stoenrefort, in Audtheusden, in Aelborch, in Woendrichem, In Giesen, In Rijswich; In Almkercke, in Malsen, in Erkum, In Auesaet & in pluribus alijs locis, quas cum magna deuotione ipse consecrauit.* Ita ille, vt consecratio primæ Ecclesiæ Traiectensis fuerit S. Swiberti plusquam decima tertia, non primitiua, non prima. Quid hic? Quid obstat hunc textum siue falsum, siue absonum esse sicuti alij multi declarati? Vtcũque sit (nolo enim Authoris aut qui toties peccat verba defendere) Ioannes Becanus vetustus Pontificum Vltraiectensium Scriptor & mea sententia vulgato Marcellino vetustior, rectius in numero singulari: *Num eandem Ecclesiam* (S. Martini) *per primitiuam benedictionem sua manu propria consecrauit*, scilicet Willibrordus; & ordinatiùs. Vnus Episcopus solet proprijs manibus Ecclesiam benedicendo consecrare, non duo simul proprijs manibus.

Post

Post consecratam Ecclesiam nullis interpositis addit Marcellinus: *Deinde mortuo Radbodo Rege Frisonum, Christiani liberè permissi sunt vbiq; per Frisiam publice Euangelium Christi prædicare. Quapropter præfati Sancti Episcopi cum Sacerdotibus & Clericis Hollandiam & Frisiam vbiq; peruagantes, &c.* Nimirum statim post consecrationem primæ Ecclesiæ Traiectensis Radbodus est mortuus ante annum 700. ante Pipinum, ante ea quæ sequentibus capitibus narrantur: & S. Swibertus Radbodo supervixit, quo mortuo liberius cum cæteris per Frisiam Euangelisauit. Vt belle personam suam hic agit laruatus Marcellinus. Radbodus diu post consecrationem dictam in viuis perstitit: multis turbis & cladibus Frisiam Citeriorem Austrasiamque affecit: S. Swiberto superuixit. In confesso sunt hæc, nec vllus peritus historicus reclamat. Quomodo ergo tam cito è manibus Marcellini labitur Radbodus? quomodo Radbodo mortuo prædicauit S. Swibertus, qui ante Radbodum fuit mortuus? verum est Radbodo sublato S. Willibrordum & Bonifacium ex Germania reducem, liberius per vasta Frisiæ vexillum fidei extulisse, sed hoc demum post annum 710. aut 720. quo interijt Radbodus. Quare, etsi librum Marcellini admitteremus, hoc loco verba illa aduentitia, extranea sunt, & falsa. Eam liberam prædicationem huc accersit quisquis esset interpolator. Ac ex narrationis contexione incongruum est dicere hîc ab Authore factam anticipatam narrationem.

Quædam sequentia istius capitis 13. vt nomina Hollãdia, Lotharingia, &c. supra discussimus. Nomina Pagorum, quorum Ecclesias consecrasse Swibertum supra retulit Marcellinus, mihi etiam de nouitate sunt suspecta. Sed nolo his immorari.

Dissertatio LXXVIII.

Cur Durostadium non sit factum sedes Episcopalis.

Været meritò quispiam, cur Durostadium non sit ordinatum potius sedes Episcopalis, quam Wiltaburgum cum fuerit amplius, populosius, ab infestatione Radbodi remotius, tutius, primò per Apostolos nostros Christiana fide imbutum, ita vt in eo breui tempore 52. fana idolorum (si aurem præbeamus vulgato Marcellino) in Ecclesias Christi fuerint commutata.

Respondetur. Idmaxime pependisse ex voluntate Principis liberaliter largientis. Rationes possunt adferri. 1. quod Wiltaburgum fuerit magis vastatum, desolatum Gentilium Frisonum incursionibus, ideoque Principes maluisse illud Episcopis donare, & Durostadium opulentius sibi reseruare. 2. Solebant Principes loca desolata, infrequentia, Episcopis & Ecclesiasticis concedere, vt eorum fama, industria inhabitatione frequentia cultioraue euaderent plurimis ad eos confluentibus, quod Wiltaburgo, Leodio, Aichstadio, & pluribus locis accidit. 3. Quod Wiltaburgum erat propinquius, & aptius vt in Frisios Gentiles viri Apostolici docendi causâ excurrerent, Metropolitana Ecclesia fieret: alluente etiam Rheno sat contra iram Radbodi munitum erat, præsertim citeriore Frisia iam in potestatem Francorum redacta viribus Radbodi non parum attritis. 4. Existimauit Pi-

pinus

pinus pietate (quæ ad omnia vtilis est) precibus, meritis Sanctorum virorum tutius fore Traiectum Austrasiæque fines, quam mœnibus & armis. 5. Quia prædecessores Franci ibi aliquando Episcopalē Cathedram designarant. Dagobertus Rex Ecclesiam ædificauit, & locum in delitijs habuit; quorum vestigijs inhærere placuit Pipino.

Durostadium (quandoquidem in eius memoriam incidimus) nunc vernaculè est Wyck aut Wyckte Duerstadt, Priscis Batauodurum, cuius Tacitus meminit lib. 5. Hist. agens de funesto prælio in Batauis inter Cerealem & Ciuilem imperante Vespasiano, quo tempore Romani Batauoduri Legionem habebant & stratum pontem quæ oppugnauit Ciuilis Batauorum Dux. Vrbem hanc (inquit Petrus Montanus ad Tabulas Geographicas Kærij) opibus copijsque affluentissimam fuisse memorant Annales, in eaque plura quam quinquagena abundasse fana; quæ res (quod bona pace Annalium dictum sit) verosimilis mihi non fit. Vtcumque sit, à Nortmannis, qui cuncta ferro & incendijs fæde vastabant, excisam dirutamque omnes fere consentiunt, contractioribusque pomerijs inclusam. Locuples satis modo est oppidum ob situm ad Rhenum commoditatemque subuectionis rerū necessariarum. Distat Culenburgo ad miliare vnum, Traiecto ad tria, situ loci peramœno. Habet arcem veteris operis non contemnendam, in qua ferme sedem habere solebant Præsules Traiectini, non ob amœnitatē tantum & omnigenam commoditatem quam locus vitæ præstat, sed quod veluti secessus quidam sit secretus à turba interpellatorum.

Marcellinus cap. 13. liberaliſſimè refert, circa annum 700. S. Willibrordum & Swibertum in grandi Vico Duerstadt

erstadt consecrasse 52. Ecclesias Parochiales. Quis credet tam paruo temporis spatio, primis fidei incunabulis, non amplo Christianorum statu, in vico vno consecratas Ecclesias quinquaginta duas, & quidem Parochiales? Exemplum simile non occurrit.

Dissertatio LXXIX.

De quibusdam circa donationem Episcopalis sedis à Pipino factam

CItato cap. 13 Idem Marcellinus, cur Willibrordus sit potior digniorque Episcopus, quam S. Swibertus, qui ætate & consecratione erat prior, declarat per hæc verba: *Et licet S. Swibertus egregius Pontifex præcesserit S. Willibrordum tempore, tamen S. Willibrordus præcedit S. Swibertum dignitate, & primus Archiepiscopus Traiectensis reputatur, eo quod à S. Sergio Papa Archiepiscopus Frisonũ specialiter consecratus, & à sede Apostolica ad eundem populum missus fuerit: atq; quod ab Illustri Principe Pipino de Herstallo & à glorioso filio eius Carolo Martello ex Regali donatione ciuitatem Traiectensem cum suis appendicibus pro se & suis successoribus Episcopis Traiectensis Ecclesiæ impetrauerit. Et ideo S. Swibertus, non Episcopus Traiectensis appellatur, sed cõepiscopus S. Willibrordi.* Quæ in vltima ratione *atq; quod ab Illustri Principe Pipino, &c.* accommodatè sunt accipienda, aliàs decipere nata. Colligeret quis inde Pipinum dedisse S. Willibrordo Ciuitatem & Iura quæ in Traiecto possedit, quod minimè verum est: Pipinus solum donauit palatium regale ruinosum (secundum Hedam) intra castrum, quod à Regibus Franciæ fuerat cultum ante inuasionem Radbodi Regis, & iam per Frisiorum malitiam desolatum.

Donauit

Donauit S. Willibrordo ad inhabitandum, sedem Episcopalem instituendum, Ecclesiam suo muneri aptandum: nulla sæcularia Iura in oppidum adiecit, quæ simul cum oppido primus elargitus est eius filius Carolus Martellus, cuius diploma suo loco exhibebimus. Quæ ergo tam in Ecclesiasticis, quam sæcularibus Traiecti antè mortem possedit S. Willibrordus, partim habuit à Pipino, partim, & quidem potissimè, à Carolo Martello.

Verùm quid per Regalem donationem apud Marcellinum intelligemus? posset videri Regalis donatio idem esse quod donatio liberalis, munifica, Basilica, Regiâ personâ digna. Mallem nihilominus ego intelligere donationem Regis nomine factam: Traiectum namque ad Regem Franciæ pertinebat, & quod S. Willibrordo primò donabatur, erat palatium regale. Licet vero Maiores domus, qualis erat Pipinus, multa pro libitu disponerent, in solidum tamen nihil agebant, nisi ex commissione speciali vel generali Regis, ac tanquam Vicereges; aliàs enim inualide & non firmiter stetisset talis elargitio, & Regibus irritare semper licuisset.

Ex dictis corrigendus est Franciscus Irenicus lib. 3. exegesis Germaniæ cap. 44. asserens Episcopatus Mindensem, Monasterienſem, & Traiectenſem (ad Rhenum) à Carolo magno erectos anno 781. & Willibrordum Traiectensis primum curam suscepisse, eodem, scilicet, Rege, cum S. Willibrordus regnum Caroli Magni non viderit & ante annum 781. iam à 40. annis mundi stationem deseruerat. Multarum Episcopalium sedium Author est Carolus magnus Generosissimus & pijssimus; Osnaburgensis, cui S. Wihonem Frisium S. Willibrordi olim alumnum: Mindensis, cui Heribertum: Monasterienſis, cui S. Ludgerum: Verdensis, cui alterum Swibertum Abbatem

Anglum: Bremensis, cui Sanctum Willehadum imposuit. Ast Traiectensis orta est satagente S. Willibrordo, auspicijs Pipini Herstalli per Sergium Pontificem, anno 696. confirmata & aucta plurimum eius iura per memoratum Carolum Martellum Herstalli ex Alpaide progenitum. Suspicor contigisse Irenico quod illis, qui dum sæculo septimo, octauo, vel nono, aliquod insigne præsertim à Carolo factum inueniunt, statim id Carolo magno adscribunt, quasi nullum cor alijs, aut non alius Carolus fuisset. Eminet vt sol inter sijdera, Carolus magnus Princeps laudatissimus, alter Ecclesiæ Catholicæ Constantinus, alijs tamen non defuerunt vires, non mens, non laus. Similiter corrigendi sunt illi qui sedem Episcopalem Willibrordo datam asserunt à Pipino Francorum Rege, cum dicere debuissent à Pipino Herstallo Pipini Francorum Regis auo paterno.

Dissertatio LXXX.

De Cœnobitica Ecclesia à S. Willibrordo Traiecti erecta.

Sanctus Willibrordus ipse Cœnobita statim Vltraiecti congregationem monasteriumque Cœnobitarum ordinauit, quemadmodum cum alijs testatur Becanus. Verùm quia nomina Monasterium, Cœnobium, congregatio Cœnobitalis, Cœnobita, &c. varijs hominum generibus in communi viuentibus attribuuntur, Quæstio est, cuius qualitatis, cuius formæ Cœnobitas Vltraiecti siue in Ecclesia S. Saluatoris, siue S. Martini plantarit. Non desunt qui Monachorum congregationem factam autumant, forsan quia & ipse Willbrordus

dus à pleriſque habitu monaſtico & quidem Benedictino amicîtur. Contrariè Hęda de prima S. Martini Eccleſiæ fundatione agens ait: Eam matrem omnium gentium vicinarum conſtituiſſe (Willibrordum) collocantē ibidem Canonicos Cœnobitales, hoc eſt communem & Apoſtolicam viuendi legem obſeruantes. Non enim fuerunt Monachi, vt nonnulli volunt (niſi ſecundum Procopium ita eos nominauerimus, qui teſtatur lib. 1. de bello Perſico Chriſtianorum ſapientiſſimos vocari Monachos & ad cuſtodiam limitum arcibus præpoſitos) ſed Canonici, qui vtique regulam Diui Auguſtini, aut B. Iſidori tunc profitebantur per vniuerſas Germaniarum & Galliarum Eccleſias. Nam & monaſteria ab eodem (Willibrordo) conſtructa ſunt, in quibus Monachorum ac Virginum ad differentiam Canonicorum congregationes inſtituit. Cenſet Heda in S. Martini à S. Willibrordo ordinatam congregationem Clericorum in communi agentium, ſub certa regula, ſub vno Præpoſito, vno vtentes dormitorio, vna menſa, vna Eccleſia, qui tamen ſubſtantialibus Religioſorum votis non erant alligati. Tales per Galliam & Germaniam quam plurimas exſtitiſſe neſcit, qui earum Eccleſiaſticas Hiſtorias neſcit. Liquet hoc vel ex Concilijs ſuper reformatione Clericorum habitis ſub Carolo Magno, & eius filio Ludouico Pio. Concilium Moguntinum ſub Carolo anno 913. de modo viuendi Canonicorum ſeu Clericorum (quos nunc ſæculares vocamus) cap. 9. edicit: *Nihil ſine licentia Epiſcopi vel magiſtri eorum præpoſiti agere præſumant. In vnoquoq; Epiſcopatu vt ſimul manducent & dormiant, vbi his facultas id faciendi ſuppetit, vel qui de Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt, & in ſuo Clauſtro maneant, & ſingulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad menſam vero ſimiliter lectionem audiant & obe-*

dientiam secundum Canones suis Magistris exhibeant. Similes Sanctiones sunt in Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio anno 816. aliæque vtrobique plures ad externam conuersationem Clericorum pertinentes. A communi vita fratres, instar Religiosorum, & passim Clerici & Regulares; qui separatim extra claustra degebant, Acephali, irregulares; eorumque habitacula, Claustra, Cœnobia, monasteria nuncupabantur, quorum vestigia abundè supersunt Leodij, Coloniæ & alibi.

Nonnulli Clericos Regulares (ita eos appello, quãquam hodie ex vsu vocabulum plus importet) de quibus Concilia & Historiæ, concipiunt fuisse veri nominis Religiosos, ac vbi Ecclesiam aliquam olim monasterium appellatam inueniunt, proprios monachos aut Religiosos resedisse. Horum falsam imaginationem (omitto particulares probationes quæ de particularibus in contrarium facerent) planissime excludunt Concilia, nominatim Aquisgranense sub Ludouico Pio anno 816. cap. 14; quo quorundam acedioſorum vsitatam cantilenam repellit: *Propter quorundam* (inquiunt Patres) *simplicium verba, qui Religiosis & Eruditis viris se admonentibus ac redarguentibus plerumq; obijcere solent, Solos Monachos scripturarum sanctarum præcepta obseruare debere, operæ pretium duximus quædam Euangelica & Apostolica quam breuissime ad medium deducere præcepta, vt hac huiusce modi imperiti homines audientes hisq; aurem cordis accommodantes intelligant, quæ sibi, quæ Monachis conueniat obseruare præcepta.* Monachos vocat Religiosos tribus essentialibus votis à sæculo secretos, forsan quia nullos Religiosos præter Monachos, & quidem Benedictinos, in his plagis illa ætas nouerat. Sequuntur deinde quæ ad Religiosos seu Monachos pertinent: *Qui enim mente & corpore vult contemnere sæculum & pauper sequi Christum, audiat ipsum dicentem in*

Euangelio

Euangelio; si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me. Et iterum: *Omnis qui reliquerit domum aut fratres, aut Patrem, aut Matrem, aut agros propter me, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Hæc & huiusmodi præcepta solis specialiter congruunt Monachis, quanto singularia, tanto præcipua.* Et statim pro Clericis: *Dicit etiam generaliter Saluator omnibus: Omnis qui venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem, & vxorem & filios & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et iterum: qui amat filium, aut filiam, supra me, non est me dignus. Et in eandem sententiam plura.* Hic in eradicationem peruersæ persuasionis, quæ & hodie multos occupat, duplicem Patres adferunt perfectionem. Vnam, quæ etiam actuali corporis abrenuntiatione sæcularia deserit & non solum mentis præparatione consistit, quando videlicet, optio datur aut Deum offendendi, aut sæcularia relinquendi, quam à Deo omnibus iniunctam asserunt. Priorem Monachis siue Religiosis (est enim quo ad hoc eadem illorum ratio) Posteriorem Clericis, quos informant, adscribunt. Vnde sequitur, Clericos illos, Monachos aut veros Religiosos siue Canonicos Regulares secundum hodiernam notionem, non fuisse; alias enim prior perfectio quæ omnibus Religiosis communis esse debet, etiam ipsis imponeretur. Ac ne quis cogitet hanc esse nostram argumentationem & non sensum Concilij, cap. 15. dilucide quod intendimus enuntiat: *Quamquam enim Canonicis, quia in sacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum inducre, carnibus vesci, dare & accipere, proprias res & Ecclesiæ cum humilitate & Iustitia habere, quod Monachis, qui secundum Regularem institutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est: tamen in cauendis vitijs, & amplectendis virtutibus eorum & Monachorum distare non debet vita. Monachi namq;, qui Euange-*

licum præceptum sequentes distractis, atq; renuntiatis patrimonijs sua Christo dedêre, merito de facultatibus Ecclesiæ subsidium accipiunt temporale, vt quia tanto mentis desiderio celestia appetunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus Dominicis sustententur, quatenus ad ea quæ contempserunt, minime redire qualibet necessitatis causa compellantur. Et quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosius Ecclesiæ sumptibus quam Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licite vtuntur rebus, indigere: vnusquisq; enim, ait Apostolus, proprium donum habet à Deo. Posse propria retinere, dare & accipere: Prebendas ex vsu obtinere, secundum institutionem regularem ad arctiorem vitam, ad Concilia Euangelica de renunciando non obligari, characteres Monachorum aut Religiosorum non sunt: ijs ad oculum ostenditur Clericos, quos Concilium imbuit, non esse alios, quam quos supra diximus & hodie vocamus Canonicos sæculares, solo accidentali ritu, communi mensa, communi domo, communi dormitorio olim viuendi, differentes. Perijt illa Clericorum Communitas inter annos nongentesimum & millesimum; cuius interitus culpam Trithemius in superiores Germanos, vt Wormatienses, Spirenses, &c. reijcit, quorum prauo exemplo omnes cæteræ Ecclesiæ antiquam disciplinam & communitatem abiecerunt, alij citius, alij serius. Episcopi, alijque viri Sancti antiquæ obseruantię casum dolentes, cum inter suos frustra retinere vel reparare conarentur, eam saltem in Monasterijs & Religiosorum Domibus sistere satagebant. Hinc alij, vt S. Iuo, S. Norbertus nouos Ordines Clericales siue Canonicos condere, additis tribus votis essentialibus & ritibus monasticis contra præterita venena tamquam amuletis & retinaculis: alij eos in loca deformatorum Clericorum inducere, eoque modo collapsam disciplinam in Ecclesia compensare.

Quin

Quinimo & Monachi stricte dicti in eorum loca non rarò surrogati. Qui exempla petit, legat Molanum lib. de Canonicis, & Natalibus Sanctorum Belgij: legat variorum Ordinum Chronica & abundantissimè suppeditabuntur.

His præmissis ad quæstionem initio propositam respondemus, S. Willibrordum Traiecti instituisse congregationem Clericorum in communi degentium, qualesex Concilijs supra delineauimus. 1. quia vsus istius temporis obtinebat per Gallias & Germaniam vt non nisi similia collegia in vrbicis, præsertim Cathedralibus, Ecclesijs statuerentur, quemadmodum earum historiæ edocent, cui vsui accommodare se voluit S. Willibrordus, etiamsi ipse forsan monasticen profiteretur. 2. talis Clericalis Ordinis erat amantissimus Pipinus insigniſque promotor. Huiusmodi per S. Beregisum Abbatem (nam & Abbatibus ea collegia regebantur) instituit in Andaino, nunc monasterio S. Huberti in Ardenna, circa annum 700. quod agente Walcando Episcopo Leodiensi occuparunt Benedictini anno 817. hodieque tenent. Huiusmodi eiusdem auspicijs per S. Willibrordum impositi sunt Epternaco, quantum videre est ex originibus Benedictinis Miræi, qui habet eò inductos Benedictinos paulo ante annum 1000. cum ante esset Clericorum. Similis vitæ Dei Ministros eiusdem & filij Caroli Martelli fauore & liberalitate Leodij plantauit S. Hubertus teste Happaert citato à Ioanne Roberti in notis ad vitam S. Huberti nota 63. vbi Happaertanus affirmat: Ædificasse (Hubertum) & aliam Ecclesiam sub Ecclesia S. Lamberti) in pede publici montis sub honore Apostolorum Principis Petri, quindecim Canonicis in eadem positis, quos sub lege communiter victitandi ex Ecclesia Tungrensi sufficienter dotauit.

dotauit. Eiusmodi formæ Sanctimoniales voluntate & promotione eiusdem Principis & Plectrudis Coniugis collocatæ sunt in Niuella, Orpio, Suestra (nunc Susteren vltra Mosam in Geldria) suntque etiamnum, præter Orpium quod desijt, Cœnobia Nobilium Canonicarum, quę primæuum Ordinem diu deseruerunt exemplo Canonicorum & Clericorum. De his fœminis Canonicalibus, quæ in Austrasia ea tempestate plurimum fundabantur, agunt simul citata Concilia proportionaliter ad normam Clericorum. Principis propensioni adeo benignæ in ordinem Clericalem non potuit non morem gerere S. Willibrordus, maxime in Cathedrali, quæ eius solius concessione & ope erigebatur. 3. nullum apparet efficax argumentum quo monstretur, siue ad S. Saluatorem, siue ad S. Martinum primitus habitasse congregationem Monachorum, aut ministrorum tria vota Deo nuncupantium: nec tale in monumentis Vltraiectinis vidit Solertissimus & Studiosissimus indagator Heda, nec Canonici agnoscunt, nec sciunt se ex talibus progenitos. Huiusce sententiæ apparet esse Petrus Opmerius in Chronographia orbis vniuersi ad annum Christi 692. agens: *Ex duodecim eius (Willibrordi) comitibus ad præscriptam à D. Aurelio Augustino regulam Canonicè viuentibus in monasterio vetusto, &c.* Cur olim fratres, eorum ædes claustra, monasteria vocitarentur, ex supra scitis soluitur.

Vltimò, nostram sententiam rotundè enuntiat Doctissimus Molanus de S. Odulpho Canonico Vltraiectensi agens in Natalibus Sanctorum 12. Iunij, cuius contextum quia ad totius nostræ dissertationis confirmationem mirifice facit, placet integrum apponere: *Hic autem*, inquit, *moueri potest difficultas, quomodo Canonicus vocetur (S. Odulphus) cum habitauerit in monasterio Saluatoris. Regulares ad*

id

id responderent, quod sui Ordinis Canonicus fuerit. Ad quod probandum multa adfert Author Roseti exercitiorum Ioannes Möburnus Bruxellensis ex Regulari Abbas Liuriacensis, in libro quem inscripsit Venatorium Ordinis Regularium. Id autem etsi ex parte admittam, est tamen in quo dissentiam. Constat enim Basilicam seu Monasterium S. Saluatoris ab initio fundationis suæ numquam fuisse proprij nominis Monasterium, sed in eo Clericos siue Fratres intra Claustrum liberos vixisse, hoc est sine professione sub obedientia Episcopi: qui enim hodie Canonici, imo & Domini Canonici dici volunt, cum tamen vix vmbram reseruent de antiqua illa Canonicæ vitæ obseruantia, illi olim, cum secundum regulam in communi viuerent, Canonici & Domini nomen ignorabant, Fratrum autem & Clericorum titulis contenti erant. Itaq; inter Canonicos, qui hodie distinctionis causa dicuntur Regulares & seculares medium vitæ genus amplectebatur Beatus Odulphus. erat enim Clericus sine Canonicus secundum regulam suam viuens sub Episcopo. Hinc factum est quod Canonici Regulares maluerint eum inter Sanctos suos numerare, quam inter Canonicos irregulares & spinis nimium abundantes. Quò accedit, quod inspectis ædibus quibus inscriptum est S. Odulphum Canonicum eas inhabitasse, iam pridem exterum quendam exclamasse audiam, Canonicus & Sanctus! ego non credo. Attendebat enim ille communem diuitum Canonicorum vitam: arctas autem quorundam semitas & priscam Canonicorum vitam, aut ignorabat, aut, vt præsentes instrueret, ignorare se simulabat. Hinc etiam compluribus in locis dum Canonici ad irregularem vitam declinarent, ijs dimissis, substituti sunt aliorum Ordinum Monachi. Nam & Stauriense D. Odulphi monasterium ex B. Odulphi fundatione fuit Monasterium Clericorum Sed eos postea ob vitæ demeritũ eiecit Andreas De Cupck 25. Episcopus Traiect. & substituit Benedictinos ex celeberrimo monasterio de Oostroeck/ quod tum vulgo carcer Ordinis appellabatur propter disciplinæ obseruantiam. Explicare autem restaret, cur locus ille antiquitùs dictus

sit monasterium, cum in eo semper Canonici & numquam Monachi resederint, nisi id alio in loco (lib. 1. de Canonicis cap. 12.) expeditum esset opportunius. Hæc Molanus diligentissimus Canonicalis siue Clericalis vitæ explorator & descriptor. Et sat de hac dissertatione, quam fusius protraxi vt informarem eos qui priscum Ecclesiasticorum statum ignorant.

Dissrtatio LXXXI.

Cur S. Willibrordus Ecclesiam non dedicarit honori primorum Apostolorum Petri & Pauli? Cur Martini? Cur non S. Thomæ?

Frequentissimè olim Apostolici Gentium Prædicatores primas Ecclesias instituerunt in honorem primorum Apostolorum. Quoniam enim Apostolicam vitam functioneſque agebant, primarios Apostolos tanquam Patronos sibi initio proponebant: eorum precatione opera sua rigari, promoueri, augeri flagitabant: hoc ritu veram fidem, quam illi à Christo didicerant, mundoque annuntiarant, se inferre significabant. Cur eos non est imitatus S. Willibrordus? Cur saltem non potius in honorem S. Thomæ, quam Martini, Ecclesiam dedicarit, cum destructa, super cuius fundamenta ædificabat, antea S. Thomę fuerit? Respondetur, arbitrarium omnino fuisse & liberę optionis. S. Willibrordus interim erigendo Basilicam in memoriam S. Crucis vel Saluatoris summum Patronum Apostolicæ virtutis, quique eminentiori modo fuit & est Apostolus, sibi præfixit, à quo omnis prædicantium gratia, à quo fi-

dei

dei initium & omnis salus, eo facto satis ostendit cuius fidem adferret, & in quem credere oporteret. Quod & S. Martino templum nuncupauerit potius quam Sancto Thomę, Congruentię possunt reddi, quia S. Martini apud Deum pollentia, energia, Sanctitas per crebra miracula summopere eo tempore in Francia manifestabantur: ad eius sepulchrum Turonos densissimè concurrebatur, plurimis ab ipso speciale erat auxilium, ita vt tota Gallica Natio in eius cultum quam maximè ferueret. Vnde tam potentem Aduocatum, qui & in vita insignis Apostolus exstitit, in Frisiæ agro elaborando conciliare sibi voluit S. Willibrordus, sperans simul tam Gentilibus quam conuersis Frisijs gratissimum fore eundem qui celeberrimis factis & recentibus erat nominatissimus & notissimus; noua singularia placent & alliciunt. Deinde Præsidiarij Traiecto à Pipino impositi, erant Franci, quibus non potuit non accepta esse domestici tutelaris electio. Nec prisco sæculo, nec nostro nouum est in obliteratam præsertim memoriam, qualis erat Traiecti S. Thomæ, alterius substituere, & templorum patronos mutare. Petrus Opmerius supra addit hanc: vt viri militaris (S. Martini) exemplo, efferæ Gentes (Frisiorum) ad obedientiam fidei excitarentur, receptęque semel credulitati firmiter, vt ille, inhęrerent.

Dissertatio LXXXII.

De Synodo Traiectensi prima. Quo anno habita.

S. Willibrordus solertissimus Pastor, vt tam in plebe, quam in Clero iuxta monitionem Apostoli, omnia honeste & secundum rectum Ordinem fierent, Synodum Vltraiecti celebrauit, medium saluberrimum ad fidem Catholicam conseruandam & propagandam, quod antiqui Patres frequentissimè vsurparunt. Quo anno eam coegerit, non clare habetur exploratum. Baronius tom. 8. ad annum 697. postquam explanasset reditum S. Willibrordi ex Dania, qui capite 13. apud Marcellinum erat relatus, subdit statim; reliqua post mortem Pipini acciderunt, insinuans ijs verbis, Synodum, quam consequenter ipse enarrat, & de qua agit Marcellinus cap. 14. celebratam post Pipini è vita decessum. Sed reuera Synodus hæc multos annos præcessit obitum Pipini, cum insistendo eidem Marcellino, quem tanquam fidelissimum Scriptorem sequitur Baronius ex Decreto huius Concilij Swibertus ad Westphalos, Bruinswicanos, & Boructuarios concesserit, & post longam apud eos in fide Christiana dilatanda consumptam moram, à Pipino demum Werdam impetrarit, Pipinum morti vicinum inuiserit, &c. vt ex sequentibus capitibus liquet. Si luberet Marcellino adhærere, inferrem potius collectam fuisse anno 700. aut statim postquàm absoluta trium aut quatuor annorum in diuersis Prouincijs peregrinatione Traiectum conuenerant, de quo cap. 13. Doceremur hoc ex eiusdem cap. 19. quo narratur

ratur Swibertus an. 705. ad Boructuarios peruenisse peracta Synodo: antequam autem illuc deuenerit, facile tres quatuorue annos consumpserat inter Westphalos, Saxones, Bruinswicanos, quos similiter adierat ex vi eiusdem decreti Synodalis. Verùm relicto Marcellino, probabilissimum mihi est Synodum contigisse anno 697. aut 698. postquam Willibrordus iam Ecclesiam & Cœnobium fabricasset: nihil enim prius in curis ponere debuit, quam de agendis deinceps consulere, decernere. In Episcopatu nouiter instituto multa disponenda erant: præterea non potuerunt non toto elapso sexennio prædicationis multa difficilia incidisse, quæ omnia expedire oportebat. Quæ ergo ratio differendi? Sane cum populus fidelium numero esset adauctus, nec modicus restaret ad fidem veram adducendus, decebat vigilem Præsulem de Christianis prospiciendo, de cęteros luce Christiana perfundendo, de prouincijs partiendis, parochijs condendis ad vitandam ataxiam, alijsque ad illa negotia necessarijs, quamprimùm congregato Concilio consulere, nec vlterius protelare. Sic legimus Sanctum Hubertum apud Robertum in notis quamprimùm Leodiensis Ecclesia in Cathedralem esset euecta, in eadem Synodum celebrasse. Dicta Synodus sub S. Willibrordo numeratur prima Synodus Vltraiectensis, quia prior non traditur. Plures subsequentibus annis illo Præside fuisse peractas, non est quod dubitemus, quamquam de illis nihil nobis sit relictum: Normannorum furori primæua celeberrimæ Ecclesiæ Archiua cesserunt.

Dissertatio LXXXIII.

Quinam celebratę Synodo interfuerint. Refutatur Marcellinus.

Sanctum Willibrordum infuisse & præfuisse Authoremque esse, est extra ambiguum. Similiter assedisse S. Swibertū cū alijs in Frisiorum regione sacris cooperatoribus, quorum nomina nos latent. De his verò Marcellinus: *Erant autem illo tempore in eadem primitiua Ecclesia Traiectensi Apostolici Pontifices & Canonici egregij Prædicatores, qui S. Swibertum Episcopum cum SS. Ewaldis sequentes, constanter Christum gentibus prædicauerunt, vtpote S. Winfridus Sacerdos, qui postquam 13. annis in Ecclesia Traiectensi vt Canonicus egisset, Archiepiscopus Moguntinensis consecratur, & Bonifacius appellatur: qui post obitum S. Willibrordi Episcopus Traiectensis rediens, secundus Archiepiscopus Traiectensis ordinatur. Qui postquàm decem & sex annis per Frisiam prædicasset, Martyrio in Frisia coronatur cum suis. Similiter S. Wiro Episcopus Deirorum: Plechelmus Episcopus de Massa candida, vel secundum Bedam Candida casa: S. Othgerus Leuita cum plerisq; alijs glorioſis Sacerdotibus & Prædicatoribus.*

Sed reuera istorum in Synodo hâc præsentiam solum imaginariam esse in cerebro Marcellini & non realem, probant testatissimę, hist. quę longè aliter de hisce procedunt. Ac primò, Winfridum, aliàs Bonifacium, primò ex Britannia in Frisiam anno 704. ad Apostolatus tyrocinium sub Willibrordo enauigasse post factam Synodum, demonstrat Serarius in hist. Moguntina in qua Bonifacij annos & acta ex professo expendit. Serario concinunt probatiores Germaniæ Scriptores; non potuit ergo

go Traiectensi Synodo anno 698. aut 700. interesse, multo minus tanquam egregius Canonicus aut egregius Pontifex, siue prædicator.

Additur: *qui postquam tredecim annis in Ecclesia Traiectensi &c.* Scite sanè ac peritè Marcelliniano more, quasi post tredecim annos Canonicatus statim Pontifex Moguntinam Cathedram ascenderit. Nimis magna intercapedo inter 13. annum Canonicatus, & adeptionem eiusdem Cathedræ intercessit, quam tali locutione comprehenditur, nimirum 30. pœne annorum: postquam enim 13. annos sub Willibrordo Discipulum egisset, in patriam Cœnobiumque suum redijt anno 716. Romam inde proficiscitur & à Gregorio secundo prædicandi in Germania potestatem accipit anno 718. Radbodo Frisiorum Rege anno 719 vita functo, iterato Frisiam petit tribus circiter annis S. Willibrordo cooperator assistens, scilicet 720. 72 & 722. Romam secundò vadit, & à Gregorio secundo Episcopus creatus, ad cœptos in Germania perficiendos labores regreditur anno 723. Sine regione aut certo titulo à Gregorio tertio Archiepiscopus creatur anno 732. Sequenti anno Romam tertiò vadit ac redit varijsque Apostolicæ Legionis munijs defungitur. Demum ex incertæ sedis Archiepiscopo à Zacharia Papa Moguntinus Archiepiscopus constituitur anno 745. Ita citatus Serarius & Miræus in fastis. Bonifacius vero appellatus est longè ante Episcopatus Moguntini consecutionem dum Episcopus per Germaniam & Apostolus à Gregorio secundo ordinaretur.

Verba illa Marcellini, *Qui post obitum Sancti Willibrordi secundus Archiepiscopus Traiectensis ordinatur &c.* Alio loco trutinabimus, quia si non errore, saltem difficultate non carent.

De

De Wirone & Socijs.

Sanctum Wironem Episcopum Deirorum, S. Plechelmum Episcopum Candidæ Casæ, S. Othgerum longè post hanc Synodum adueniſſe vel solus euincit Beda qui lib. 5. Historię cap. vltimo describens statum Britanniæ asserit anno 731. Plechelmum fuisse Episcopum Candidæ Casæ: *Quæ*, inquit, *nuper multiplicatis fidelium plebibus in sedem Pontificatus addita ipsum Plechelmum primum habet Antistitem.* Tabula Anglicana seriem Regum & Episcoporum Britanniæ per annos deducens Episcopalem consecrationem Plechelmi statuit anno 723. Testis etiam est Baronius S. Bonifacium super pluribus difficultatibus consuliſſe Plechelmum circa annum 738. adhuc in Anglia existentem. Ast non aduenerunt nisi postquam Plechelmus (suppono enim Plechelmum hunc apud Bedam & Plechelmum socium Wironis eundem esſe) Episcopatu se abdicasset, quod contigit post dictum annum 731. procul ab hac Synodo. Adde Dyonisium Mutsaerts in Ecclesia Historia scribere Wironem cum socijs in Pipini Regiones descendisse anno 706. qui annus est post actam Synodum. Denique siue Britanniâ siue Hibernià exeuntes, non in Frisiam, sed in Gallias sese receperunt ibidemque se continuerunt monte Sanctæ Odiliæ prope Ruremundam à Pipino eis assignato. Nec ex vita eorum apud Miræum in fastis, Surium, nec ex officijs Cathedralis Ecclesiæ Ruremundensis, in qua specialiter coluntur, minimum vestigium est 706. Traiectum vel in Frisiam venisse, sed contrariũ, Wironẽ ex Scotia ad prædicandum Gallis Belgicis Euangelium Christi amore incitatum ad Pipinum Francorum Ducem

cum

cum socijs peruenisse, ibi Deo seruijsse, laborasse, Geldrensem populum conuertisse, Pipino à sacris confessionibus & secretioribus consilijs fuisse, ibidem deuixisse. Pipinum aduentu Plechelmi summopere exhilaratum eum ad illa Galliæ loca ablegasse vbi necdum radicitus euulsæ erant gentis illius Idololatricæ superstitiones, ibi sudasse eò loci, vbi Wiro, obijsse. Similia sunt de Otghero quæ breuiter comprehenduntur hoc hymno in Officio Ecclesiæ Ruremund:

Gesta Wironis Chorus & Plechelmi
Præsulum cantet memoranda: fidum
His & Otgheri celebris Leuitæ
Iungat amorem.

Vt sacræ primi fugerent honores
Insulæ, Romam è Scotia profecti,
Vertices Papæ sed inaugurantis
Deniq; subdunt.

Vrbe dimissi socio Leuita
Galliam lustrant, subigunt q; Christo
Geldriam, fixa cruce, comminuta
Gentis Idolis.

Incolunt celsum vacuumq; curis
Sæculi montem Odiliæ, beatis
Angelis vita similes, Deiq;
Perpete laude.

Galliæ Princeps auet hic Pipinus
Anxiè exutis soleas Wironi
Conscia mentis reserare morsus
Atq; reatus.

His fidem Geldri referant magistris.
Hos apud Numen celebrent Patronos,
Vt det æterna Deus his quiete

Consociari.
Hinc Deo Patri Decus, ac perennis
Filio laus, Spiritui q; sancto.
Et pius Deus colat hos quotannis
Accola Rura. Amen.

Vnde considera quam solide sit dictum à Marcellino, hos tempore Synodi fuisse in primitiua Ecclesia Traiectensi, & quidem tanquam egregios Pontifices & prædicatores, vt Canonicos, vt membra resedisse. Quam solide hos Synodo præsentes sistat. Sane quod Becanus in actis Willibrordi ne quidem illos nominat, magnum argumentum est eos Traiecti, aut in Frisia cum S. Willibrordo non fuisse versatos, in Synodo non comparuisse. Vlterius non vna contentus stropha Marcellinus Wironem Deirorum Episcopum intitulat. Vtinam nobis probaret. Sed probari nequit, nisi V. Bedæ coæuo Scriptori & qui prope oculis vidit, omnis fides detrahatur. Nam Episcopatus & Episcopos Britanniæ anni 731. & retrosiorum describens, nominato Plechelmo Candidæ Casæ Episcopo, nullius Episcopatus Deirorum, nullius Episcopi Deirorum, nullius Wironis meminit: sic nec Malmesburiensis, Huntondonensis, Houedenus, nec Polydorus Virgilius, nec Author Fastorum Anglicanorum, nec Harpsfeldius omnes domestici, accurati Episcopatuum & Episcoporum Britanniæ exploratores & descriptores vllius Episcopatus aut Episcopi Deirorum aut vllius Wironis vel minimam mentionem faciunt. 2. Episcopus Deirorum erat hoc tempore ipse S. Wilfridus quamquam ab Ecclesia sua profugus propter malitiam Regis: erant enim Deiri qui sub Diœcesi Eboracensi claudebantur

tur sicut Bernicij (nam in duos illos populos Northumbri erant secti) Diœcesis erant Hagulstadensis & Lindisfarnensis. Beda lib. 4. cap. 12. Toto verò absentis Wilfridi exilio consecrati sunt Eboracenses Episcopi, qui & Deirorum, in locum Wilfridi 1. Boso. Beda ibidem. 2. Ioannes qui Wilfrido superuixit idem lib. 5. Hist. cap. 3. &. 6. Ioanni succeſſit alius Wilfridus qui anno 731. adhuc agebat Eboraci Episcopum, post quem statim secutus est Egbertus, qui pallium Archiepiscopale Ecclesiæ Eboracensi recuperauit, defunctus anno 766. secundum eundem in epitome. Vide etiam catalogos Episcoporum Eboracensium apud citatos Authores. Simili modo declarari id potest de alijs Episcopatibus Northumbriç, nullum Wironem sedisse. Vltimo, Wiro oriundus erat ex veteri Scotia, quæ nunc dicitur Hibernia; ibi egit, ibi in Episcopum est electus, inde Romam iuit consecrandus, inde reuersus, in Gallias transiuit. Surius, Molanus, Miræus, Officium Ecclesiæ Ruremundensis. Quomodo ergo Deirorum Episcopus in Anglia? Figmentum est, ex sola Marcellini Figulina; nam non occurrit vnus antiquior scriptor eo titulo Wironem insigniens. Becanus nullam eius memoriam habet; Leidensis celebrem Episcopum nominat, sed non Deirorum. Primo omnium apud Hædam est Episcopus Deirorum, & deinceps apud eius sequaces, deceptos haud dubio à laruato Marcellino, cui sese cõmiserunt. Quare potius crediderim illum & Plechelmum, ordinatos Romę sine certo titulo ad fidei propagationem, quod frequenter propter Gentiles practicabatur; eoque decoratos in Francorum Regiones ambos descendisse, in ijs Apostolica munia obijsse.

Eosdem adueniſſe sub Pipino Herstallo, tenent Leydẽsis, Molanus vel quisquis eius Marginator, D. Mutsaerts,

passimque insinuatur vel supponitur. Clarissimus Baronius tomo 8. Wironis (consequenter Sodalium) prædicationem in Gallia ponit sub Pipino Landensi, qui desijt an. 647. Hunc Pipinū, ait, solitū quotānis Wironi detractis calceis peccata sua cōfiteri. Verū opinor Baroniū deceptū identitate nominis, quod in vita Wironis, qua vtitur, sine distinctione Pipinus scribatur; multo magis quod scribatur Religiosus, pius, quale epitheton nē videtur fuisse ausus tribuere Herstallo, quem putat ab anno 694. vsque ad mortem peccato adulterij cum Alpaide sordduisse; ideoque adscripsit Pipino primo, cuius eximia pietas in historijs effertur. Fundamentum, hoc quam infirmum sit, dissertatione 92. docebimus. Nec bene cohærentia profert Baronius: nam eodem tomo ad annum 697. cum Marcellino facit eum præsentem primæ Synodo Traiectensi, hominem, scilicet, continuis austeritatibus, peregrinationibus, prædicationibus onustum, centenarium aut prope adhuc florere in Ecclesia & Synodo Traiectensi; Sed huc dictus est Baronius à Marcellino; quam oculato, viderit. In notis ad Martyrologium 8. Maij tradit illum floruisse circa annum 750. quo tempore debuit fuisse 150. annorum aut prope, si sub Pipino 1. prędicauerit. Ast prodigiosum illum ætatis vigorem in viro adeo negotioso quis statuat?

Suppositimus suprà cum Marcellino eiusque assecla Plechelmum sodalem Wironis & Plechelmum de quo Beda, vnum eundemque esse, Sed qui rem pensiculatè inspexerit, iudicabit esse diuersos, & à Marcellino duos in vnum confundi. Nam, vt ex Beda & Baronio diximus, Plechelmus Bedæ anno 731. & 738. adhuc erat in Anglia, ibi Episcopatum regebat: Plechelmus Wironis iam dudum relicta patria in Gallijs versabatur. Plechelmus Bedæ

dæ erat Episcopus Candidæ Casæ in Anglia: Wironis, Episcopus erat sine certo titulo, sine certa Regione in Hibernia. De Plechelmo Bedæ Malmesburiensis habet: eum sub extremo Bedæ tempore primum factum Episcopum Candidæ Casæ, qui multo ante tempore in Westsaxonia commoratus, Sanctissimi Aldelmi discipulatui interesse meruerat; quæ Wironis socio non quadrant. Denique si vnus idemque fuisset, vel Beda vel aliquis Anglicus Scriptor Plechelmi Candidæ Casæ Episcopi, Episcopatus desertionem, peregrinationem, prædicationem, celebriorem obitum in Gallijs cum memorabilia sint annotasset. Verùm nullus vel hilum talis facti aperit, vt suo silentio satis significent Plechelmum (quem sæpius Pethelmum nominant) Candidæ Casæ Episcopum, longe alium esse à Plechelmo Wironis Collega, de quo Scriptores Angli nullum verbum faciunt, vtpote ad Scotos id est Hibernos pertinente, non ad Anglos.

Nota. Plechelmum non dici absolute primum Episcopum Candidæ Casæ, cum ibi à multis annis Episcopum & Concionatorem egerat Nima, sed primum post restitutionem Episcopatus, qui iam dudum extinctus erat; siue quod S. Nima sedem ad posteros non trasmiserit, siue Paganis prævalentibus & omnia euertentibus. Viuente Beda est resuscitatus, & Plechelmo impositus circa annũ 631., à quo Malmesburiensis lib. 3. de Pontificibus Anglorum solùm quatuor enumerat, ac vltimum Beadulf, post quem rursus succubuit vsque ad Malcolmum tertiũ Scotorum Regem, qui sacrum Magistratum ibidem renouauit circa annum 1090. paulo post ipso Episcopo agẽte an. 1147. Ordini nostro Prẽmõstratẽsi est annexus prẽsidẽte in Cathedrali Ecclesia Abbate qui simul erat Episcopus

copus à suo Præmonstratẽsium Canonicorum Cathedralem occupantium collegio electus primusque ex Archi. cœnobio Præmonstrato cõsecratus est Episcopus V. Adamus vitæ integritate & scriptis clarus. Secuti sunt deinceps eiusdem Ordinis alij, sed pauci: nam inter annum 1200. & 1300. Episcopatus rursum supprimitur non surrecturus quantum ex Anglicanis Historijs est colligere. Causa huius vicissitudinis est, quod Candida Casa Oppidum in confinio Angliç & Scotiæ modernæ situm, vtriusque Regis dissensionibns & populationibus fuerit obnoxium, vtrisque Ius in illud vendicantibus. Vocatur Candida Casa Anglice Witterne / quod ibi Beatus Nima Ecclesiam ex lapide polito Britonibus miraculum fecerit, inquit, Malmesburienfis. Male Marcellinus vocat Massam Candidam, quomodo nullus alius Scriptorum nominat. Inspice citatos Authores; Ordinis etiam nostri monumenta, perpetuo Candidam Casam appellant, numquam Candidam Massam.

Memorata tria Galliæ & Hiberniæ lumina terras deseruerunt in monte S. Petri, nunc Sanctæ Odiliæ, iuxta Ruremundam, quem inhabitandum eis concesserat Pipinus Herstallus. S. Wironis corpus (nescio an & aliorum) translatum primò Vltraiectum, sub Lothario Rege Nortmannis Diæcesim Traiectensem deuastantibus, Canonici illinc profugi ad dictum montem, quem Rex eis in refugium assignauerat, reuexerunt. Vbi multis & cælestibus signis illustre fuit. Caput S. Plechelmi in hoc vsque tempus Oldensaliæ in Diœcesi Dauentrienfi asseruatum magna populi Religione fuit cultum.

Eorundem trium ossa ante Iconoclastarum rabiem in excauata basi tabulę summi Altaris Cathedralis Ecclesiæ S. Spiritus Ruremundensis in lignea theca cum vetusta hac inscriptio-

inscriptione, *Partes Reliquiarum SS. Wironis, Plechelmi, & Othgeri*, diligenter conseruata fuerunt, quæ tempore Iconomachię Belgicę anno 1572. Hereticis altaris tabulam euertentibus, ipsamque basim intactam relinquentibus, singulari Dei prouidentia ab eorum furore sunt defensa. Et modo religiosa memoria, solemni officio quotannis à Clero & Populo Ruræmundensi honorantur. Hæc fusius de Wirone eiusque sodalibus, eo quod pene omnes Marcelliniano reti implicati, in ijs hallucinentur.

DISSERTATIO LXXXIV.

Quid in prædicta Traiectensi Synodo actum. Refutatur Marcellinus & simul aliqua illustrantur.

REspondet Marcellinus; PP. in ea decreuisse more Apostolorum & discipulorum Christi in diuersas circumiacentes Barbaricas nationes prestantiores prædicatores dimittere ad prædicandum ipsis Christi fidem & infra: *In ea conclusum & definitum, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent verbum Dei.*

Si intelligat decretum in ea Synaxi, vt Prędicatores in diuersas Frisiæ regiones pergerent, scilicet, Hollandiam, Zelandiam, Geldriæ partem, Frisiam modernam, Transisalanam (quas tum Frisię nomen complectebatur cum aliquot vicinis) habet me assensorem. Hoc enim erat commodum, conueniens, imo necessarium ad fidem dilatandum, pabulum verbi Dei vtiliter dispensandum, &

ad

ad ataxias confusioneſque declinandum. Idipſum confirmat Becanus. Si verò intelligat miſſos in longinquas exteras Regiones. vt in Franconiam, &c. quemadmodum ſeſe poſtea explicat, omnino diſſentio. Quomodo enim longe diſſitæ Prouinciæ ad Patres Synodi Traiectenſis ſpectarent? vnde habebant poteſtatem eò mittendi? talem non apparet S. Willibrordus Româ tuliſſe, potius contrarium. In Friſia latiſſima Meſſis erat totâ pœnè Idololatriç ſerdibus inuolutâ; omnia laborum & ſudorum erant plena. Quę prudentia fuiſſet ad longè abſentia reſpicere? ſatius iudicarent PP. præſentem Spartam, ad quam emiſſi erant, omni conatu aggredi, eam excolere quam aliam reſpectando, præſentem minus elaborare,& neutram tandem exornare. Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Et ipſe Marcellinus ſuimet explicatione ſeipſum confundit & confodit. Poſt recitatum namque decretum & enumeratos eos qui tempore Synodi in Eccleſia Traiectenſi verſabantur, de quibus proxime diſſeruimus,explicaturus iam qui ex vi Synodalis ordinationis ſint emiſſi & quò, ſubiungit: *Igitur S. Acca, vt ante eſt dictum, cum S. Swiberto in Angliam rediens à S. Wilfrido Epiſcopo Augulſtadenſi Eccleſiæ Epiſcopus conſecratur poſt ſanctiſſimam vitam ibidem in Domino quieuit. Sanctus Wigbertus in Foſtelant martyrio coronatus fuit vt prædictum eſt.* Et ſtatim: *duoſiquidem SS. Ewaldi Nabiam introeuntes, Chriſtum prædicando confeſſi ſunt qui ab inde aſcendentes in Saxoniam glorioſo Martyrio coronati ſunt.* Quam belle!quâ dexterè! Impertinens, extra inſtitutum & male connexa eſt narratio. Quomodo enim quadrat propoſito de Acca referre ante Synodum iuxta ſuperiorem eius ſententiam Cap. 10. anno 695. in Britanniam reducę nec vnquam huc reuerſo? Quomodo eum in Britannia affecit Synodus Vltraiectenſis? Quid in Britan-

Britannia ex vi Synodi egit? Quomodo cohęret in Anglia esse & simul esse in Synodo externa? illum qui iam dudum dimissus erat, iam prius dimitti? Quid item hîc Wigbertus, duo Ewaldi diu per Martyrium cœlo recepti? Insigne artificium absentes Concilio Traiectensi prę-sentes sistere, in Diuorum aula versantes, præcepto Synodali constringere. Bene autem hîc nominat Accam Episcopum Augustaldensem, non Lindisfarnensem: nam Lindisfarnensem non fuisse differt. 31. docuimus sicut dissertatione eâdem qua certitudine tenendum sit eum ab Episcopo Wilfrido consecratum. Adde dissertation. eâdē probatum esse Accam illum Augustaldensē S. Willibrordi conuenam non fuisse, in Frisia non egisse.

Pergit Marcellinus: *Sanctus Wilibaldus Orientalem Franciam adiens Aureatensis siue Eistatensis Episcopus effectus est. S. Winebaldus frater eius Heyndelamensis Abbas est ordinatus, quorum Germana Walburgis Virgo.* Hos cum Willibrordo hâc non nauigasse, & per Synodum in Franciam Orientalem ablegatos non esse, scitum est dissertatione 33. ex qua discis dum S. Willibrordus anno 690. huc se contulit, dumque hæc Synodus celebratur, Wilibaldum nondum in lucem fuisse editum, natum scilicet anno 704. vel si eo anno Synodum coactam quis existimet, ad summum in cunis sub ea vagijsse: sic Winebaldum post aduentum Willibrordi prius mundo productum scilicet anno 700. & sub Synodo vel nondum natum vel infantem bimulum aut trimulum fuisse. Et hos Concilio sistit personatus Marcellinus: hos eius decreto in Orientalem Franciam prædicationis causa ablêgat.

De ijsdem (quos Villeboldum & Villenboldum appellat) Marcellini similia habet Becanus in actis S. Willibrordi. Verùm in mentem mihi venit, Becano (saltem

illi quem edidit Bernardus Furmerius anno 1612.) obtigisse communem antiquis bonis Authoribus sortem à glossamentis & additamentis studiosorum ex zelo non secundum scientiam: nam in ijsdem actis S. Egbertus S. Willibrordi director, Archiepiscopus Eboracensis intitulatur, quod apertissimum vitium est.

Sequitur apud Marcellinū: *Lebuinus Pontificatum adeptus Martyrio prope Gandauum coronatur.* Hîc iterum manifestè peccatum: Libuinus enim ille, seu Lebuinus, aut potius Liuinus, Scotorum Archiepiscopus in Flandriam, non in Frisiam venit; in pago Eschen haud procul Gandauo ab impijs trucidatus circa annum 633. Molanus, Baronius, Miræus 14. Nouembris alijque. Isonomîa deceptus confundit Marcellinus Liuinum Gandensium Patronum cum Lebuino Dauentriensium Apostolo sub Gregorio tertio Vltraiectensium Præsule, qui Episcopali mitra non fuit insignitus ac Dauentriæ confessor, non Martyr, obijt post annum 750. & quidem secundum Ber. Furmerium anno 766. vtriusque obitu à se inuicē sæculo plus distante. Omitto nos dissertatione 34. probasse Lebuinum nec cum S. Willibrordo huc venisse, consequenter nec in Synodo Confessorem fuisse.

De SS. Werenfrido & Adelberto.

SEquitur apud Marcellinum: *Sanctus Werenfridus Presbyter & egregius prædicator versus Batuam missus, nouellum Christi populum in Elst & Westervoirt, & in finibus illa fæliciter rexit & infinitis clarificatus miraculis tam in vita quam in morte idibus Septembris apud Westervoirt Spiritum Creatori reddens, miraculose in Elst tumulatur. Sanctus Adelbertus Leuita Filius Edilbaldi Regis Deirorum filij S. Oswaldi Re-*

gu

gis & Martyris in Egmunda in Hollandia Oratorium constructum, post multorum Paganorum conuersionem & laudabilem Sanctæ vitæ suæ consummationem multis miraculis clarus septimo Kalendas Iulij felici fine requieuit in Christo sepultus in Egmonda, vbi vsq; in hodiernum diem claret infinitis miraculis. Is eximius confessor primus Archidiaconus Ecclesiæ Traiectensis fuit. Hîc in quo carpamus Marcellinum nihil occurrit. Atteſtatur hoc modo Becanus: *Vnde & Beatus Adelbertus delegatus (à S. Willibrordo) fuit in Keuemariam vbi etiam in fide Catholica, nouellæ conuersationis roborauit Ecclesiam, qui post plurimorum gentilium conuersionem & laudabilem vitæ suæ consummationem septimo Kalendas Iulij felici fine quieuit in Domino sepultus apud Egmondam honore cõgruæ cuius oratorium vsque in hodiernum diem multimodis claret virtutibus ac in magnis reuerentijs continuè veneratur à deuotis Christicolis. S. vero Werenfridus Sacerdos præclarus versus Batuam ad prædicandum missus à S. Willibrordo Ecclesiam de Westerfuert egregiè rexit & exemplo bonæ vitæ plurimos Deo populos acquisiuit qui 13. Kalendas Septembris requieuit in Christo tumulatus in Heliſto aliàs in Ilst, vbi Beatus Clemens dudum Ecclesiam laboriosè construxit quam in honorem S. Saluatoris dedicauit.* His cõteſtantur Patriæ monumenta, templa ipſis dedicata, cultus exhibitus. Elucidemus tantùm vtroſque.

Weſteruoirt aut **Weſterfuerdt** vicus eſt extra Batuam ex oppoſito Arnhemij non longè à foſſa Druſiana.

Elſt/ Eelſtum, Hæliſto, Iiſt, Eliſte, etiam Marithaine dictum, eſt nobile municipium in Batua ad Lingam amnem medio ferme itinere inter Arnhemum & Neomagum Geldriæ vrbes, quod Carolus Martellus donauit S. Willibrordo anno 726. Ornatum eſt Eccleſia Collegiata B. Werenfrido nuncupata, vbi de articularis morbi remedijs frequẽtari ſolet. De prodigioſa trãſlatione corporis S.

Werenfridi ex Westeruoirt in Elst ad sepulturam, plura Leidensis lib. 2. Annalium Hollandiæ. Nescio an ad omnium palatum. Silet eam Beca, forsan, quod dumtaxat haberet inter pias vulgarium narrationes. prædicauit etiã Werenfridus Medemblicæ & Durostadij. Molanus in Natalibus SS. 14. Augusti.

Dies obitualis Werenfridi videtur dubius. Marcellino est idibus Septembris: Becano, modo Typhographiæ vitium non sit, 13. Kalendas Septembris id est 20. Augusti. Ambobus contradicunt Leidensis loco citato, Molanus in Martyrologio, in Indiculo Sanctorum, in Natalibus SS. Miræus in vita S. Willibrordi statuentes 14. Augusti, quod apparet esse iudicium Ecclesiæ Vltraiectensis, quæ eo die Werenfridi natalem celebrat sub Officio duplici, quod non videtur factura in peruigilio celeberrimæ Assumptionis B. Mariæ, nisi 14. Augusti mortis Werenfridi diem crederet. Ac valde vereor Becanum in nota numerali XIII. non esse purum (editio enim Furmeriana, qua vtor, Calcographicis mendis scatet) rescribendumque XIX. facile quippe vltimũ X. incuria Graphiariorum aut Typothetarum dissectum in duo 11. degenerat transitque XIX. in XIII. Similiter Marcellinus vel falsus vel maculatus credi potest reponẽdumq; loco Idibus Septembris Idibus Augusti id est 13 Augusti, quo eius solemnis anniuersarius Natalis initium sumens, primas obtinet vesperas.

Edelwaldum filium S. Oswaldi Regis Patrem S. Adelberti inter Reges Northumbrorum aut Deirorum non numerant Malmesburiensis, Huntondonensis, Fasti Anglicani. Beda tamẽ lib. 3. Historiæ cap. 23. Regem nominat & in partibus Deirorum regnũ habuisse. Forsan quod potens Princeps inter Deiros esset & proximus à Rege: so-

lent

lent nam maiores Principes interdum Reges vel Reguli appellari, licet proprio Regi sint subiecti: vel quod filius Regis esset & de stemmate Regio. Fuit verò vir pius. SS. virorum studiosus, Fratres quatuor habens omnes præclaros Dei Sacerdotes, vitæ perfectione conspicuos. dignus tali filio Pater.

Kenemaria portio Hollandiæ est inter Alcmariam, Harlemum &, Leijdam versus mare, vbi antiquos Caninefates habitasse nonnullorum est sensus. Hanc S. Adelbertus Euangelicâ luce illustrauit. Sub ea continetur Egmonda, insigne municipium Oceano propinquum inter arenarios colles, portu littorali quondam gaudens, si Cornelio Aurelio fides, in quo Diuus Adelbertus Ecclesiam construxit, quam solemni dedicatione Sacram Augustamque reddidit D. Willibrordus, attestãte Douſa Annal. Hollandicorum metricorum lib. 7.:

O adÿta, ô Diui quondam Domus Adelberti
G Wilbrordi ô priuâ fana dicata manu.

ORigo nominis, Egmonda, iuxta Leydensem lib. 2. Annalium cap. 21. ab ipso est Adelberto, quasi terra emundata per ipsum à spurcitia Idolorum, cum antea Hallem diceretur. Petrus Nannius tribuit D. Willibrordo: prius namque Engmundam dictam, quasi angustum os siue ostium eo quod ibi stagna Rheni aquas suas in Oceanum euomerēt: postmodum S. Willibrordum (cui familiare erat locorum nomina ad speciem Christianismi paucis litteris immutatis trahere) solita sua festiuitate feciſſe ex Engmunda Hæcmundam, vnde Egmonda, quod ibi primum mundæ Religionis, id est Christianæ, homines inueniſſet. Simili lusu in Heiloo (pagus est Egmōdę propin-

quus, S. Willibrordo & deuotus) mutasse Heiligeloof nonnihil inflexo nomine alludentem ad Sanctam fidem.

Adelbertinam Ecclesiam, de qua supra, Frisij siue exteri Barbari funditùs deleuerunt. Sed S. Adelberto post obitum miraculis coruscante, incolæ aliam reponunt ipsi Adelberto indigeti dicatam; quam succedente tempore cum Europæ Flagellum vastator Nortmannus in cineres redegisset, N. Theodoricus primus Hollandiæ Comes Nortmannis oppositus ijsque pulsis, restituit addito Monasterio Sacrarum Virginum ex lignis compacto. Corpus S. Adelberti, cuius memoria erat exoleta, inuentum honorifico loco religiosè collocari curat. De quo ibidem lib. 1. Dousa quamuis non Romano-Catholicus:

Arserat hîc Danis antiqua Ecclesia flammis;
Et reliquum Alberto nil, nisi nomen, erat.
Rudera desertæ solùm supereſſe ruinæ
Audÿt Hollandi conditor Imperij.
Audÿt, ac neglecta diu sine honore iacere
Longius Indigetis non tulit ossa sui.
Nec mora, Texeliæ non vna exscinditur arbor,
Ora dat innumeras Transisalana trabes,
Suppeditat Goiana suas vicinia syluas,
Certat & officijs Municipalis Ager.
Robora caduntur Frisiâ Wasdana securi;
Nullum operâ parcum non pudet esse suâ.
Vt sit, vbi PRINCEPS *cinerum sibi detectorum*
Possit honoratas condere Reliquias.
Ecce noui Alberto Templi properantur honores,
DIDERICOQVE *recens Auspice surgit opus.*
Deniq; quisquis adest, plus quàm prò parte laborat.
AVGVSTO *scires Numen inesse loco.*

Tempore

Tempore quo Præsul (ratio si rite putata hæc)
Vltraiectinus Odilibaldus erat.
Inde Monasterij pergunt attollere molem,
Primáq; Virgineo Septa habitanda Gregi:
Vestales qui sacra frequens obiturus ad Aras
Sollennes peragat nocte dieq; Preces:
Parua inquam, sed laxa illo pro tempore Septa,
Vicinis etiam hæc inuidiosa suis:
Ligno structa licet, sederat reuerentia ligno,
Quantam marmorea post habuere Domus.

Defuncto Theoderico primo succedaneus ei fit filius Theodericus secundus, cuius Imperium abnuentibus Westfrisijs ingens exoritur bellorum tempestas quâ magna infertur vastities Kenemariæ, Egmondanâ Ecclesia rursus Vulcano traditur cum Monasterio. Indignatus Comes vndique accitis auxilijs in rebelles mouet: secundo prælio subigit & imperata facere cogit. Egmundanam dein Ecclesiam restaurat cœnobio ligneo in lapideum cõuerso; amotisque sacris Vestalibus turbâ ad hosticos incursus pauidâ, Viros inducit anno 970. quod prosequitur idem ibidem lib. 2. post decantatam victoriam:

Nec satis, Egmondi purgantur rudera Templi;
Rudera si dici, materia vsta potest
Hæc quoque Victoris, pòst tot sua damna, Patroni
Implorare Fidem visa piasq; manus.
Et meritò: tantas quis enim sarcire ruinas
Dignior? Alberto plaude, (Cathedra,) tuo.
En latere è cocto recidiuæ fabrica molis
Surgit: & hûic operi Conditor ipse præest.

adjutante

Adjutante Patrem Nato, cui Relligionis
Ardor & in Superos ambitiosa Fides.
Nunc & damna juuant: sunt ipsa incendia tanti.
Ecce eadem, vt cultu splendidiore nitent.
Vix eadem esse putes: tantùm noua forma priori
Dissidet, haud aliter fas habitare Deos.
Virginibus VESTÆ *custodia digna Ministris;*
Insula quas tangi Vittaq; nigra vetat.
Sed suspecta Sacris Vicinia contiguasq;
Westfrisiæ (ah) nimium finibus esse nocet.
Ergò alio, DIDRICI *Auspicijs, migrare jubentur,*
Ad loca queis nomen BENNA *Paluſq; dedit.*
Itæpiæ, HEIMSTEDA *Egmondam mutate Puellæ;*
Dum licet, ite: Viris aptior ista Domus.
Hoc satius, quàm vim Frisonum hujus vt Ordinis vlla
Floret, & amissæ damna pudicitiæ.
Quid juuat (ah) fletu nitidos corrumpere ocellos?
Parcite lamentis; ipse medebor, ait.
Hactenus Arnulphi genitor; nec plura moratæ,
Transportant jussos in noua tecta Lares.
In quarum subiêre locum, COMITE *Auspice, Patres*
*Ordinis eiusdem, Grex (*BENEDICTE*) tuus.*
Vt foret & Sacris posset qua turba vacare,
Et simul Augustis præsidio esse locis.
Dulcis erat mercede labor ità Censibus, Agris,
Protenus & fundis res Cathedræ aucta nouis.

Postremò magnorum Principum subsequentium Regali munificẽtia in ingentem splendorem euasit, vndecim Hollandię Comitum sepulchrum, Theodorici primi, Theodorici 2. Arnulphi, Theod. 3. Theodorici 4. Florentij. Gertrudis

Gertrudis viduę Saxoniæ, Theodorici 5. Florentij 2. Theodorici 6. Theodorici 7.

Rudera nunc,

Et seges est vbi Troia fuit, resecandaq; falce
Externo floret vomere pinguis humus.

FAtalis S. Adelberti hora incidit in septimas Kalendas Iulij communi consentiente testimonio. Annum, vt & Werenf. apud vetustiores non reperio: solùm apud Dousam Annalium Hollandiæ lib. 7. ex Chronico quodam ante annos 370. manu exarato legitur: *Adelbertus in loco qui dicitur Ekmonda, vsq; ad obitum suum apud quemdam Egonem vsq; ad tempus Caroli bellicosi Ducis* (Martellum intellige) *mansit, & circumpositam Regionem ad Christianam fidem ex magna parte perduxit & in eadem villa sepultus est. Super cuius sepulchrũ fideles Ecclesiam construxerunt, quam à Danis sæpius constat esse destructam: Dei tamen prouidente gratia inibi semper aliquus remansit qui corpus S. viri honestè seruauit.* Ita ille. ex quo collige prędicationem S. Adelberti peruenisse ad minimum vsque in annum 714. quo, Herstallo defuncto, Carolus gubernacula obtinuit; quod mihi longè verius est quam quod R. V. author Antiquitatũ Belgicarum asserat eum obijsse anno 705. Leuita intitulatur, non, quantum existimare licet, quod Sacerdos non fuerit, aliàs enim saluti Gentilium & fidelium parum vtilis extitisset, sed, vel quia in primo aduentu solùm Leuitæ gradum habuerit, vel apud Willibrordum initio id officij obierit.

Prosequitur Marcellinus: *Et ego Marcellinus Presbyter inutilis à prædictis Pontificibus missus ad partes Transisalanas, ocum Aldenseel, Trentam, Twentam & Conordiam ac Dauentriam rego, &*

Dei prouidentiâ totum fermè populum Christum prædicando lucratus sum.

Verbis istis, Ego Marcellinus, scilicet, huius scripti Author, nigrum theta affigo, cum ex dictis & dicendis satis constet huius libri compositorem non esse S. Marcellinum Frisiæ Apostolum S. Willibrordi cooperatorem, verùm alium longè recentiorem, suasub nomine S. Marcellini venditantem. Contra quem etiam facit, quod probabilissimum sit recensita Patrię Vrbiumque nomina post tempora Willibrordi prius vsum sumpsisse; In honorem nihilominus nostri Apostoli paucis enucleemus.

Transisalania, vulgo **Overijssel** / à situ trans Isalam nomen accepit, tametsi pars illius fluminis eluuione ripam mutarit. Clauditur nunc Geldria, Frisia, Westphalia. Veterum Francorum habitationem fuisse Iunius demonstrat, qui Franci distincti erant in Ansuarios & Salios. Diuiditur hodie regio in tres partes: quarum, quæ Isalæ fluuio vicina, **D'isale** vulgo, latine Salandia; quæ vero trans Vidrum (**Vecht**) sita **Drent** / siue Drenta, quę autem Westphaliæ proxima, **Twent** siue Twentia appellatur. Continet Prouincia 7. vrbes mœnibus cinctas, inter quas principales sunt Dauentria, Swolla, Càmpi. An illi nomen Transisalaniæ tempore S. Willibrordi fuerit cognitum, admodum dubito: Verosimilius mihi non nisi communi Frisiæ vocabulo gauisam fuisse: & hîc, sicut in sequentibus nominibus, aliquid Pseudomarcelliniani odoris spirare.

Aldensel / latine Oldensalia, quasi vetus Salia, quod ibi antiqui Salij sedes habuisse putentur. Ciuitas est Transisalanię in Twentia.

In Twenta, / Twentiâ Tubantes Taciti lib. 1. & 13. Annalium

nalium: In Trenta seu Drenta Cæsaris Tenchteros Francorum socios & Clientes consedisse, affirmat Iunius.

Couordia, Municipium est in Drenta ex decem primarijs Transisalaniæ locis non muratis, qui amplissimis dotati sunt priuilegijs; Hodie ab vnitarum Prouinciarum Ordinibus valide munitum.

Dauentria primaria vrbs Prouinciæ & Ansuariorum; vnde apud vulgares **Anſenſtadt**. Situs illi ad dextram Isalæ ripam, à quo illi accedit magnum munimentum & ornamentum. Est namque nunc ambitu magna, ædificijs publicis celebris, ædium pulcherrimarum frequentiâ nitide culta, ciuibus plena, mercimonijs famosa. Genuit Gerardum cognomine Magnum institutorem Clericorum seu Fratrum vitæ communis, cuius vitam fusè scripsit Thomas à Kempis. Quidam vrbi à potente quodam Dauone S. Lebuino familiarissimo sub Gregorio 3. Vltraiectensium Præsule appellationem obtigisse tradunt: alij à Twent, alij à Drēt tractam volunt. ego huiuscemodi remoram mihi non libenter inijcio.

Concludens hoc caput 14. Marcellinus, addit: *Permansitq; S. Willibrordus in Diœcesi sua Traiectensi feruenter prædicando &c.* Quod verissimum esse dissertatione 123. probabimus contra vnius aut alterius malesanam scriptionem.

Quandoquidem iam occupati fuerimus repellendis vitijs cap. 14. Marcelliniani, hac occasione simul expurgemus quædam eiusdem Marcellini præcedentia. Ac 1. quod in præfatione ad Gregorium Clericos siue Religiosos in Ecclesia Vltraiectina residentes nominet Canonicos, Dominos & Magistros. Item cap. 4. Swibertum esse creatum Canonicum vt Wigbertum c. 5. cap. 14. Winfridum, quæ certe non sunt à manu veri Marcellini: nam cum primi illi Apostolici viri ex Anachorismo & Monachismo

chismo in Angliæ & Hiberniæ Monasterijs prodijssent, non est vero-simile eos nomen hoc assumpsisse, aut inter se vsos fuisse, sed humiliori & Monachis siue veri nominis Religiosis magis competente. 2. Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 3. multis ostendit Clericos Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum antiquis illis sæculis dictos fuisse fratres, quam nomenclaturam non modo in Regula S. Augustini legi, sed passim obuiam esse in multarum Ecclesiarum Erectionibus, dotationibus, Priuilegijs & constitutionibus. Et quidem eiusdem nomenclaturę leguntur pluria testimonia in Ecclesia Vltraiectina, vt non sit opus aliunde probationes aduocare. 1. Bulla est Hendrici tertij Imperatoris qua anno 1040. sub Bernulpho Episcopo vigesimo donat Ecclesię Vltraiectensi villam Groningam in Comitatu Thrente cum omnibus eò pertinentibus *vt dictum prædiũ perpetualiter respondeat seruitio & vtilitati Fratrum ibi Deo incessabiliter seruientium, &c.*

Diploma Ottonis primi quo donat anno 944. eidem Ecclesiæ sub Baldrico Episcopo 15. totum quod in Pago *Lake possidebat ad vsus Fratrum prænemorata Pontificalis Cathedra in duobus Monasterijs inibi Deo famulantium, &c.*

Et regnante Ottone tertio Frethebaldus nobilis bona sua in Teisterbantiâ sita donauit anno 997. S. Martino, *partim prostipendiali vsu Fratrum Pontificalis Cathedræ, partim pro Fratribus vtriusq; Monasterij.* Scilicet Saluatoris & Martini. Monasteria verò illa non fuisse Monachorum aut Religiosorum votis constrictorum, sed Clericorum in communi sine votis agentium, doctum est diss. 80.

Godebaldus Episcopus vigesimus quartus fraternæ charitati condescendens, donat anno 1118. Ecclesiam quandam in Occidentali Fresia in villa quæ Medenblec vocatur cum omnibus suis appendentijs & censu ad ca-

cameram Episcopalem pertinente & circatu, & oblationibus *vtilitati Fratrum in Ecclesia B. Martini Deo famulantium*, &c. Litteras dictarũ donationum integras profert. G. Heda in Historia rerum Vltraiect. Et talem nomenclaturam Fratrum passim occurrere in antiquis scriptis cęterarum quoque Ecclesiarum, Leodiensis, Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis, & Morinensis affirmat Molanus. Si in Cathedralibus, magnificis Collegijs, quantùm magis in simpliciter Collegiatis aut tenuioribus fratres dici amabant: si posterioribus istis temporibus, quibus humilitas multum deficiebat, quanto magis anterioribus. Quod si reperiantur Canonici nonnunquam scribi, fit tantum, vt eorum qualitas significetur, tum ad distinctionem Acephalorum qui sine Canone vagabãtur; tum ad differentiam proprie dictorum Monachorum. Vnde probabile est hunc Marcellinum scriptorem vixisse illis sæculis quibus relictâ vita communi & abiecto nomine Fratrum tãquam nimis vili, vsitatè cœperunt nominari tam inter se quam apud alios, Canonici, Domini Canonici, *Domheeren*, &c.

Capite 4. quod totum scabiosum est, habet: *eodem tempore tanta erat deuotio hominum Angligenarum, postquam tota insula fidei sacramentis erat imbuta, vt non solum nobiles, ignobiles, clerici, laici, verum etiam Reges & filij regum de gente Anglorum, spretis regnis & delitijs mundi eligerent ex maxima deuotione ad tempus peregrinari pro Christo in terris: Quidam ad docendum indoctos, vt Columbanus Sanctus Albas, qui cum duodecim Clericis Galliam perlustrauit, & in fide confirmauit: quidam ad visitandum loca Sanctorum, vtpote Cradwala prapotens rex Angliæ, & Offa rex Cantuariorum: qui anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono Romam proficiscentes, relictis regnis temporalibus vt cœlestis regni introitum & æterna gaudia adipisci possent à S. Papa*

S. Papa Sergio in monachos attonsi regi regum deuotè militarunt, Quibus verbis quinque aut sex lethales ictus infligit veritati. Primò, quod Offam intitulet regem Cantuariorum, contra Bedam & concordem omnium Anglicorum historicorum consensum, qui omnes conueniunt eum non Cantuariorum, sed Orientalium Saxonum fuisse regem De eo habet Malmesburiensis : *Orientalium Saxonum pauco tempore regnum moderatus est Offa filius Sigherij iuuenis iocundi vultus & animi, ætatis floridæ & maximi apud ciues amoris, qui hortatu Kineswithæ Pendæregis filiæ, cuius nuptias suspirauerat, cælestes suspirare doctus amores, Romam cum Kenedo rege Merciorum & Beato Egwino Episcopo Wictiorum iuit, ibique attonsus Regna cælica suo tempore subiuit.*

Secundò, quod scribat Cradwallam, Ceadwallam debuisset dicere, cum Offa esse peregrinatum Romam, qui omnium eorundem Historicorum consensu, non cum Cadwalla, qui regnum inchoauit anno 686. & post duos annos regiminis iam diu obierat, sed cum Merciorum Rege Kenredo Offa Romam est profectus.

Tertiò, quod scribãtur Romam profecti anno 689. quod omnibusijsdem repugnat. Nam Offa primò cœpit regnare circa annum 701. & Kenredus regnum inchoauit circa annum 704. & teste Malmesburiensi quinto anno sui regiminis Romam iuit.

Quartò, quod scribatur Cradwalla præpotens Rex Angliæ; illud enim nomen Britannia tum non ferebat; eratque Cedwalla solùm Rex Occidentalium Saxonum.

Quintò, quod scribatur Ceadwalla factus Monachus, similiter contra cõmunem Anglorum sententiam, qui omnes solùm affirmant eum Romam profectum à Sergio Pontifice Baptizatũ & intra octiduum, quo in albis nouiter baptizati agere consueuerant, obijsse, & hoc notius esse

quam

quam vt nostro indigeat illustrari relatu inquit Malmesburiēsis lib. 1. de gest. Regum Anglorum. vide etiam Huntondonienſem lib 4. qui eius Epithaphiū Romę positum refert, in quo eadem narrantur & nihilum de monachatu. Offa verò & Kēredus Rex Merciorum simul Romam profecti ibidem monachismum amplexati sunt. Beda lib. 5. cap. 20. Malmesburienſis, Huntondonienſis supra, Harpsfeldius sæculo 8. cap. 8.

Eodem cap. Marcellinus: Angli foras peregrinantur, *Quidam ad docendum indoctos vt Columbanus Sanctus Abbas, qui cum 12. Clericis &c.* Quasi Colūbanus in Gallias concessisset eo tempore dum S. Swibertus in Monasterio Angliæ ageret Abbatem Dacorensem sub Egberto Archiepiscopo Eboracensi, cum S. Columbanus centū facile annis eò iuerit quam S. Swibertus cum S. Willibrordo in Frisiam, vt patet ex eius actis apud Historicos relatis. Obijt namque Columbanus anno 614. aut certè non longe post cum S. Willibrordus. & Swibertus in mundum nondum emerserant, & cum 30. plus minus annis tam in Gallia quam in Italia egisset.

Secundò, recenset inter Angligenas Columbanum esse Anglum, cum tamen non solum omnes Hybernicarum rerum scriptores, sed & passim alij eum faciunt Hybernum & ex Hybernia Galliam petijsse. De eo multa habet Historia Gregorij Turonensis siue Appendix ad annum 14. Theodorici Regis à quo eo anno in exilium est ejectus. Vide etiam vitam B. Eustatij discipuli S. Columbani apud Surium recentiorem.

Similiter Iudocum & Winocum connumerat genti Angligenarum & filios Regis Angliæ. Credo scriptorem hunc legisse eos venisse ex Britannia & ignorans aliam Britanniam quam Transmarinam, quę modò Anglia vocatur

tur existimauit eos inde huc transfretasse, cum solùm venerint ex Britannia minori quæ est pars Franciæ: pater enim Winoci erat Iudicail Rex Britonum de quo agit Gaguinus in Historia Francica. Vide Molanum in natalibus sexta nouembris: Miræum in fastis & Annalibus Belgicis ad annum 695. an Winocus fuerit frater Iudoci, vide eundem in Annalibus ad dictum annum.

Dissertatio LXXXV.

De B. Begga Apostolicorum Virorum fautrice & adiutrice.

IN calamum quoque nostrum venire conuenit B. Beggã, tũ quod Illustrissimi Principis Pipini Herstalli, cuius auspicijs, authoritate, ope, Frisia ad Christum est promota, genitrix fuerit: tum quod credibile sit eam Apostolicorum Doctorum, vt Amandi, Eligij, desideratissimam, S. Willibrordo apud natum plurimum fauoris conciliasse Frisiæque salutem, quantum in ipsa fuit, adiuuisse; tum quod in actis nostrorum Sanctorum eius memoria nonnumquam occurrat.

Oriunda est stemmate nobilissimo pariter & sanctissimo, patre S. Pipino Landensi Austrasiæ Principe, in serie Brabantiæ Ducum primo, matre S. Itta aliàs Iduberga. Cognati, affines pœnè omnes nota sanctitatis celebres, vt S. Gertrudis soror fundatrix (potius confundatrix cum Matre) & prima Abbatissa Cœnobij Niuellensis totius Brabantiæ antiquissimi: Grimoaldus frater, Maior domus

domus sub Sigeberto Austrasiæ Rege, adeoque secundus Brabantiæ Dux, qui pietati vacans in vasta Ardennensi eremo Stabulaus & Malmundarium Monasteria, quibus B. Remaclus prę fuit, construxit : S. Witgerus maritus S. Amelbergæ: S. Adelbertus Episcopus Cameracensis, S. Gudula, S. Pharaildis, S. Renella, S. Hubertus Episcopus Leodiensis pluresque alij, de quibus Ioannes Roberti in fastis sacris S. Huberti.

Nuptui data est Begga Ansegiso sanctitate etiam magno, S. Imperij Marchioni, filio S. Arnulphi ex Maiore domus Episcopi Metensis, Fratri S. Clodulphi Duci Mosellaniæ, successori in eodem Episcopatu, auunculo S. Wandregisili fundatoris monasterij Fontanellensis, affini S. Trudonis : quo pari prodijt longa soboles Beatarum mentium, vt Carolomannus Monachus in monte Cassino, S. Itisberga filia Pipini Regis, S. Carolus magnus &c. de qua S. Genealogia pluribus idem Roberti ibidem ; vt meritò ei quadret illud Sapientiæ 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est & apud homines. Et illud Pauli : Si radix sancta & rami sancti. In hac illustri prosapiâ minime otiosa, minime degener fuit Begga, quin potius tamquam lucidissimum astrum in stellato firmamento splendidis virtutum ornamentis plurimum decoris contulit, pijs operibus tam innupta, quam nupta perpètim insistens. Marito Ansegiso nefariè interempto, se totam Deo consecrat accepto sacro Velamine à S. Amando, vt nonnulli scribunt, qui & matrem Ittam & sororem Gertrudem consecrârat. Monasterium Andanense Canonicarum sub Claustro & disciplinis regularibus fundat, dotatque, vbi per plurimos annos religiosis actionibus vidualem statum exercet & exornat. Tandem

beata anima meritorum plena, gemmis vernantibus atque coruscantibus decora, terram deserens ad cælestem sponsam euolat. De hac breuiter Stephanus Abbas Leodiēsis ante annos 500. ait Ansegiso V. Beggā fęlici iunctam matrimonio, generosę sobolis & Nobilissimorum Regum matrē extitisse. Cuius quoque sanctitatis apud nos, inquit, clarent monumenta eo in loco, in quo ex diuina reuelatione septem construxit Ecclesias, vbi & corpus eius à sacris Virginum choris honoratur, quæ Deo ibidem famulantur. Ibi quoque coniux pijssimus Ansegisus ab ea conditus est, qui ab alumno suo, quem idem Dux puerum fortè inuentum & de sacro fontè susceptum aluit in filium & exaltauit, crudeliter in venatione peremptus est.

Circa annos interfectionis Ansegisi, consequenter viduitatis Beggæ, fundationis Andennæ, circa annos S. Amandi, à quo Begga velum putatur accepisse, plurimùm discrepant Chronici. Quo ad Angesisum, mihi placet magis censura statuentium eum interemptum anno 685. vt Sigeberti, Haręi, Chronici Brabantiæ impressi anno 1618. Diuęi; eandem indicat Chronicon Francicum.

Fatalis Beggæ in actis eius nuper planâ formâ Brabantico idiomate editis, est annus 692. Sigeberto, Haræo, Baronio est annus 698. quos nos in tabula nostra Chronologica secuti sumus. Vetusta quædam vita S. Beggæ anonyma edita à Iosepho Geldolpho Abbate S. Gertrudis Louanij anno 1631. cap. 7. de obitu Beggæ loquens, ait: *vertebatur eo tempore annus fœliciſsimæ Incarnationis Domini nostri* Iesv *Christi* 709. *Clodouæo Rege Dagoberti Filio in Francia Occidentali, & Sigeberto in Orientali regnantibus.* Idem habet codex quidam anonymus à 780. circiter annis penna exaratus

ratus cœnobij Corſſendonckani multas SS. vitas complectens. Verùm calculus ille nulla authoritate, aut ratione probatur, & falſus ex adiunctis Regibus conuincitur; ambo enim ante annum 680. communi teſtimonio deſierunt.

Sunt qui ſcribunt ab hac Begga tamquam inſtitutrice, Begginas nomen ſuum habere, ſed id parum, aut potius nihil probabilitatis habet, inquit Molanus in indiculo Sanctorum Belgij. Quam ſententiam libenter ſemper fui amplexatus, & priuatim rationibus aliquando defendi: & pro ea libellum emiſit Petrus Coens Secretarius tum Epiſcopi Antuerpienſis & eiuſdem Eccleſiæ Canonicus, in quem ſtatim multæ Apologiæ Beggam Begginarum fundatricem aſſerentes euolarunt. Habeo vetuſtum libellum in quo hæc verba: *anno 1107. multæ mulieres contempto ſæculo fecerunt congregationes, ſimul congregantes, & vocabantur Begginæ.* Non ignoro Begginarum aduocatos ad ſimilia reſpondere: ego hiſce contentionibus non deſeruio, negotium tamquam propoſito meo extraneum, in medio relinquens. Hoc ſolùm aſſero, quidquid de inſtitutione ſit, Begginas rectè eam Patronam colere, quod viro orbata vitæ genus Begginarum ſtatui ſimillimum duxerit.

DISSERTATIO LXXXVI.

De Martyrio S. Lamberti.

DE exilio S. Lamberti, de reductione dictum eſt diſſertatione 43. nunc de eius Martyrio aliquid agendum. Digniſsimus Antiſtes Sacerdotalibus gratijs ditatus, memor eius de quo S. Paulus Epiſcopos admonet: Tu verò vigila, in

omnibus. labora opus fac Euãgeliſtę, miniſteriũ tuũ imple. Et illius : argue, obſecra, inſta opportune, importune, in omni patientia & doctrina, Pipinum adulterij fœdo crimini ſe immergentem omni conatu eripere laborat. Alijs Auſtraſiæ Franciæque Epiſcopis Principi conniuentibus & adulantibus, ipſe conſtantior, Zelo Diui Ioannis Baptiſtę præcinctus, Ducem de illegitimo thoro non ſemel redarguit, durè increpat, eoque tandem animum inflectit vt pœnè ad pœnitentiã adductũ ab Alpaide auertat. Hinc pellicis, hinc Dodonis Fratris ebulliunt furores; hinc cognatorum & affinium in S. Domini igneſcunt odia. Illa, tanquam altera Herodias verita Pipinum exhortationibus & authoritate eius à ſe alienum redditum iri, Dodonem fratrem idem timentem ad Antiſtitis necem inſtigat. Ille concitatus, collectâ ſceleratorum hominum turmâ, Virum Dei Leodij inuadit, in oratorio ſuo precantem indigna nece trucidat in vindictam & præmium ſororiæ libidinis, non ſine ſcitu aſſenſuque Pipini. Sed quod Princ., Deus haud inultũ ſineb at, omnibus cędi cooperatis varijs interitibus intereuntibus: alijs vorticibus Moſę abſorptis: alijs ſibi inuicẽ cõgreſſis mutuo cõfectis vulnere: Dodone exeſo à vermibus vẽtre ſceleratum factum expiante. Pellici id infamiæ tributum, quod cùm S. Martyris corpus omnibus exoſculandum præberetur, ſi quando Pellex accederet, quaſi turbine quodam impulſa repelleretur. Fuſius hæc Chronicon Leodienſe per Cheapiauilliũ editũ tomo 1. & Ioannes Roberti in vita S. Lamberti editâ anno 1633. vbi hæc omnia pulchrè & latè deſcribit.

Qui Lamberti Martyrio vicinfores floruerunt hiſtorici, occaſionem parricidij ſubticuerunt, eò quod viuerent Pipinus, Carolus Martellus Alpaidis filius, eorundemque agnati

agnati, quos adeo nefandi sceleris pudebat, cuius causę & authores sine eorum infamia & indignatione non fuissent propalati. Posteriores omnes vulgarunt, & quidem principalem (nam duplex assignatur) eam quam modò recitauimus.

Quis annus eius Martyrij fuerit, non omnium eadem est scriptio. Sigebertus, Trithemius in compendio lib. 1. Molanus, Baronius & eius compendiator Spondanus, Haræus in Hist. Brabantica, Ribadeneira in vitis Sanctorum, Zacharias Lippeloo siue Cornelius Grasen in Epigraphe ad vitam S. Lamberti, Chronicon Francicum, Rosweyda, Bernar. Furmerius lib. 3. Frisiæ cap. 6. statuunt annum 698. Ægidius Bucherius & ex eo Ioannes Roberti annum 696. quos secuti aliquando fuimus in tabulâ Chronologica de S. Willibrordo editâ anno 1626. Verùm postmodum, re melius perpensa malui positum 698. vel potius 699.

Argumentum est 1. quod Martyrium S. Antistitis inciderit in initium Imperij Tiberij Absimari, quemadmodum tradunt Sigebertus, Vrspergensis, Nicolaus Canonicus Leodiensis, qui floruit anno 1120. & particulatim vitam S. Lamberti describit, Placentius in Historia Episcoporum Leodiensium, Cheappiauillius in notis ad mortem S. Lamberti ex vetusto Authore. nec puto ab vllo antiquo negari. Tiberius autem inuasit Imperium anno 699. mense Iulio, teste Onuphrio accurato temporum in Romanis Principibus calculatore, quem propterea in hâc materiâ libenter amplectimur. Ab Onuphrio aut nihil aut perparum dissentiunt, qui aiunt anno 700. Tiberium inuasisse Imperium, vt Vrspergensis; nam, præterquam quod alijs atque alijs diuersus inchoandi & finiendi annos sit modus, intelligi possunt de perfecta & stabi-

lita inuasione quæ anno præcedenti fuerat inchoata: nam Regnum non inuaditur subito perfecte, nec statim firmatur.

2. Scribitur S. Lambertus passus sub Childeberto Francorum Rege. Ita Reinerus Canonicus Leodiensis qui ex professo acta S. Lamberti litteris mandauit & anno 1130. floruit. Idem habet Cheappiauillius ex quodam vetusto Codice Aureæ vallis. nec lego ab aliquo negari. Aſt tradunt omnes veteres Scriptores, imo & multi probæ notę recentiores, vt Haræus, Chronicon Francicum, fasti Regum Angliæ impressi cum Malmesburiensi & alijs Historijs Anglicanis, (excepto vno & altero qui inchoant regnum eius anno 697) Childebertum non inchoasse regnum ante annum 698. Imo multi serius, anno 699. vel 700. nec vllus antiquiorum est, qui inchoat eius regnum anno 696. Non ergo passus est Lambertus anno 696. sed potius anno 698. vel 699. cui calculo multitudo Authorum suffragatur.

3. Legitur in vita S. Lamberti, S. Willibrordum nouiter creatum Episcopum, in nouo Episcopatu consilij egentem, Lambertum veteranum in occurrentibus difficultatibus aliquando consuluisse; quod verum esse existimo & rationi consentaneum est; non potuit ergo Lambertus esse occisus anno 696. nam occubuit omnium sententia in Septembri, & Willibrordus Episcopus ordinatus est in Nouembri anno 696. si Lambertus fuisset occisus anno 696. fuisset mortuus antequam Willibrordus crearetur Episcopus; quomodo ergo Willibrordus nouiter creatus illum consuluerit aut consuluisse potuit? an viuus mortuum? Itaque melius meo iudicio statuitur Martyrio perfunctus Lambertus anno 698. vel 699. tum S. Willibrordus Româ Episcopus redux anno 696. aut 697. potuit

cum

cum eo conuersari & consultare.

Quod igitur in tabula nostra Chronographica fixerim Martyrium S. Lamberti anno 696. hîc retractatum volo.

DISSERTATIO LXXXVII.

De consecratione mirabili Episcopali Sancti Huberti S. Willibrordi amici.

Adem die, imo eadem hora, qua S. Lambertus pro Domino sanguinem fudit, cælitus de eo certior redditur Romæ Pontifex Sergius, & monetur confestim consecrare in eius locum S. Hubertum, qui deuotionis ergô ad Romana limina peruenerat. Historiam protulimus dissertatione 60. pro vt eam edidit ex vetusto Authore Ioannes Roberti. Nunc ex eodem Authore hæc addimus: *A Pontifice ergo in Episcopum consecratur S. Hubertus. Cum ibidem missam celebraret, apparuit ei B. Petrus Apostolus, tradens ei clauem quasi auream, in manu gestandam in potestatem ligandi ac soluendi, & lunaticis furiosisque sanitatem conferendi: clauis autem ipsa vsq; hodie seruatur in Ecclesia B. Petri Leodij. Dum autem exequiæ B. Lamberti agerentur, in Ecclesia B. Mariæ Traiecti, audita est vox desuper eâdem horâ, à summo Pontifice, Deo reuelante, eis prouisum de condigno Pastore B. Lamberti Discipulo Huberto nomine. Accepta autem licentia & benedictione à summo Pontifice, qui venerat peregrè, Præsul factus remeauit cum honore. A Roma autem vrbe cum baculo & Pontificalibus B. Lamberti rediens, secum ferens clauem à B. Petro sibi traditam, à Clero & populo Traiectensi honorifice suscipitur, & in Cathedra Pontificali reuerenter inthronizatur.*

Con-

Conformiter ad noſtram ſententiam mox ſtabilitam de anno Martyrij S. Lamberti, dicta S. Huberti conſecratio peracta eſt anno 698. vel 699.

Dissertatio LXXXVIII.

De Drogone, Grimoaldo legitimis Pipini Filijs.

Secundum Sigebertum, Haræum, Miræum anno 699. Drogo Pipini filius vitam morte commutat. fuerat Maior domus Franciæ & Dux Campanię. Pater enim eius, quantumuis meretricijs amplexibus irretitus, liberorum tamen ex Plectrude procreatorum curam minime abiecit. Drogonem natu ſeniorem ampliſſimo Ducatu Campaniæ, (vulgo de Kempen lego apud non neminẽ vocabuli ſimilitudine deceptum) & Maioratu in Francia ditauerat. Et hoc eodem anno Grimoaldus ſecundo genitus à patre Maior Domus in aula Childeberti Regis ſtatuitur in locum Drogonis, eique Filia Radbodi Friſonum Regis deſpondetur. Grimoaldo proditoriè interfecto, idem Pipinus Theobaldum ex Drogone Nepotem eodem Maioratu honorat. Sic Palatinas dignitates pro libito Pipinus diſtribuebat qui Rex non erat, Regia tamen dominabatur poteſtate.

Dices, Pipinus Maioratum Auſtraſiæ & Franciæ retinuit vſque ad obitum; quomodo ergo Drogo, Grimoaldus, Theobaldus, hîc dicuntur Maiores Domus Franciæ conſtituti? Reſpondeo, admitto antecedens; ſed quia Pipinus in Auſtraſia ſeſe continebat ibique Magiſtratum per ſe adminiſtrabat remotus à vaſta Francia, aliquem ex ſuis ordinauit in aula Regis qui Francicis negotijs intende-

ret

ret cum titulo Maioris, sub sui, tanquam super intendentis directione, consilio & arbitrio, & tanquam Vicarium. Ita S. Hubertus ante conuersionem viuente Pipino legitur Maiorem egisse, scilicet, tanquam substitutum, auxiliarium; quod indicant verba Hapaert citata apud Ioannem Roberti nota 28. in vitam S. Huberti : *Præposituram, quam palatij domusq; Regalis dicunt, Nepoti suo Huberto gubernandam tradidit Pipinus.*

Nota, Clarissimum Baronium de anno 699. obitus Drogonis ambigere, ex sola legatione Plectrudis ad maritum anno 714. morientem, quam narrat Marcellinus cap. 25. vitæ Swibertinæ, in qua Drogo adhuc viuens commemoratur. Verùm quàm solida sit istius capitis Historia, ac quàm immeritò eam propter à Sigeberti aliorumque sententia discedatur, ostendemus, cum ad annum 714. Pipini emortualem, peruenerimus.

DISSERTATIO LXXXIX.

De S. Wulfranno Episcopo Senonensi, Frisiæ Apostolo.

DVm S. Willibrordus totus est in Frisiorum ethnicismo extirpando, in Ecclesijs fundandis & ornandis, in partem ex Gallijs ad eum accurrit B. Wulfrannus Archiepiscopus Senonensis lucrandarum animarum Zelo accensus, imitatus Sanctos Liuinum, Rumoldum, Amandum, qui postpositis Episcopatibus suis ad gentium Catechesim sese conuerterunt. forsan pudebat Gallos adeò vicinos Frisiam tanto tempore in Idololatriæ sordibus reliquisse, nullum eorum ei operam suam in multis opportunitatibus

impendisse, accurrisse ex toto diuctâ Britanniâ mundo, qui palmã eam reportarent; & hoc Wulfrannum excussis-se. In vita eius est, diuinitus admonitum fuisse Frisios docere. Apud Ionam in eiusdem actis habetur adueniisse anno 700. cum licentia Childeberti Regis & Pipini. Apud Ioannem Becanum cui conformis est Heda, adueniisse anno 717. Sed prior calculus apparet verior, quem sequuntur Molanus, Baronius, Bernardus Furmerius in Annalibus Frisiæ, Haræus. Miræus in Annalibus Belgicis signat annum 699. nullâ vel paruâ differentiâ. Interim quid prohibet bis terue ad Frisios excurrisse? non satiatur Zelus Apostolicarum mentium vna vice. Satis vicina erat Gallis Frisia, vt eam frequenter valerent inuisere. Non recipio verò Leijdensem, qui ait eius prædicationem & quæ eam sunt secuta de quibus Ionas, incœpisse anno 720. quandoquidem secundum Historicos cęteros ad vnum omnes, eius in Frisia Apostolatus diu ante cœperit; & is annus fuerit Wulfranno obitualis in Monasterio Fontanellæ, postquam resignato Archiepiscopatu, ibidem per aliquod tempus religiosa pietate se exercuisset. Quod ad licentiam Childerici & Pipini, cum qua profectionem instituit S. Wulfrannus, intellige eam secundum ea quæ disseruimus dissertatione 38. 39. 40. Inseruiebat illa insuper ad Barbaros Euangelij hostes infestissimos in officio continendos & à maleficio inferendo absterrendos. Simili modo ab eodem Pipino S. Willibrordum in prædicatione fuisse adiutum legimus apud Bedam lib. 5. Hist. cap. 11. citatum dissertatione 28.

Sed vbi est Wulfranno licentia Pontificis sine qua prædicare Gentibus non licuit? Resp. Si opus fuerit, eam à Pontifice, siue immediate, siue mediate accepisse non dubito, vtpote qui probe gnarus erat quænam tale negotium

tium concernerent. Verosimilius autem tenuerim prędicasse cum consensu & admissione S. Willibrordi totius Frisię Archiepiscopi ampla potestate Frisios gubernandi iam pridē à Sergio donati. Quęrebat ille fidos auxiliarios & cooperatores, multo magis tales qualis erat Wulfrannus Archiepiscopus à quo iam sensibus exercitato in Archiepiscopali munere perfici, cum quo de Ecclesiarum regimine consulere in promptu esset; Hic pręter flagrantem Charitatem mihi occurrit summa humilitas dignissimi Antistitis Wulfranni, qui non est dedignatus sub alieno, peregrino Episcopo, in aliena Diœcesi concionari, Barbaro vili populo inseruire, catechisare, Sacramenta ministrare.

Eius profectionem & quæ in eâ contigerunt prosequitur sic Ionas: *Nec silentio est prætereundum quod diuina pietas per eundem S. Pontificem operari dignata est. Plurima enim virtutum miracula dum ad eam (Frisiam) iret & in eadem gente per eundem fiebant: ex quibus vnum memoriæ tradere & posteris intimare commodum duximus. Deniq; fratres qui eum familiariter nouerunt & coram quibus patratum est dicere solent & maxime vir Reuerendissimus Wando tunc temporis Diaconus & cooperator in verbo Dei eiusdem Præsulis postea autem Presbyter & succedente tempore eiusdem Monasterij Fontanellensis Abbas in quo educatus fuerat. Dum enim nauigaremus*, inquit, *in Frisiam positis nobis in medio mari quod adiacet regioni Morinorum, adfuit hora in qua Sacrificium Deo victimæ salutaris immolandum erat. Tunc positis anchoris nauis immobilis permanebat. Et celebrante eodem S. Pontifice Missarum solemnia, ventum est ad locum vbi minister patenam Præsuli porrigere debuit extensaq; manu exspectabat horam qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mare cecidit prostratusq; pedibus S. Pontificis humiliter veniam precabatur dicens, quia dum eam abluere voluisset, suis manibus in maris elapsa profunda ima petijsset.*

Moxq; idem vir Dei flectens genua sua ad Patrem Domini nostri IESV *Christi precabatur eius clementiam vt qui quondam coram Patribus in mari rubro fecerat mirabilia, propitius suis adesset precibus. Finita verò oratione imperat Diacono vt in eum in quem patena cecciderat locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo mari eadem patena diuinitus reuecta eiusdem ministri manui inhæsit. Quod videntes nauta caterique nauis comites, Dominum cunctipotentem totis viscerum præcordijs collaudauerunt qui per seruum suũ tale dignatus est operari miraculum. Sicque commixtionem Corporis & Sanguinis idem Præsul faciens nomenque Saluatoris glorificans, Sacrosancta Missarum solemnia compleuit.* Hæc Ionas ex relatu Wandonis. Ex quibus, præter insignis miraculi virtutem, intelligis (inquit Baronius) lector, non destitisse Sanctos viros in mari etiam, cum tranquillitas esset, religata anchoris naui celebrare ibi Sacrosanctum Missæ Sacrificium Deo maxime gratum, quod ipse tanti editione miraculi patefecit. Ita S. Willibrordum, SS. Ewaldos inter peregrinandum Sacrum Missæ officium minime omisisse, docent Historiæ & eorum altaria portatilia.

Miraculum circa patenam patratum est in mari fluente è regione Morinorum. Habebant autem Morini ab Occidente & Septemtrione mare Gallicum & Britannicum: ab Oriente Menapios: à Meridie Neruios, Ambianos, Atrebates ac Veromanduos; continebantque olim Morinorum fines ea quæ nostra ætate possident Dixmudij, Nieportij; Veurnij, Dunckerkij, Grauclingij, Borbourgij, Winocxbergij, Casselij, Poperingij, Bellani, Iperani, Messenij, Caletenses, Guinesij, Bolonienses, Monstreulij, Crotoij, Abbeuillij, Dorlani, Hesdinij, Terouanenses, Comitatus fani D. Pauli, Pontij, cum eo Picardiæ Tractu qui citra flumen Somonam conspicitur, tum etiam Fanum Audomari, Ariam cum locis vicinis, quibus ditionibus

nibus adhuc nostra ętate multis locis continuæ ac difficiles visuntur paludes, Belgis Moeren / à quibus appellationem induerunt Morini, quasi Moerepnen / id est paludum incolæ & accolæ. Hinc docetur miraculum illud factum esse è regione Flandriæ vel Artesiæ. Locus ob tantum Dei opus meritò suspiciendus.

DISSERTATIO LXXXX.

De B. Gangulpho B. Wulfranni in Frisia Cooperatore.

PRęter Wandonem à Iona mox nominatum cum S. Wulfranno socius & cooperator in Frisiam aduenit S. Gãgulphus, de quo legitur in vernaculis Hollandiæ Chronicis Wulfranno Episcopo in Frisijs Christum annuntiante S. Gangulphum equitem & Burgundię Comitem Authoritate & mandato Regis Pipini, potentia sæculari cooperatum fuisse, eumque ob id toto anno resedisse in Medenblick & Episcopo petente primá iecisse fundamenta Ecclesiæ in Oostwoude. Vbi nota, nomen Regis sumi amplè pro eo qui imperat aut latè regit: constat enim Wulfrannum in Frisiam descendisse sub Pipino Herstallo qui tantum Dux, non proprię Rex fuit. S. Gangulphum inter Frisię Apostolos & martyres numerat Martinus Hamconius in sua Frisia. Huius Reliquię multis miraculis claruerunt in Parochiali & Collegiali Ecclesia S. Gangulphi Oppidi Florinensis. Et Natalem celebrant vndecima Maij, aduentum verò Reliquiarum 6. Augusti. Quas tamen

men dolent sibi anno 1554. aut incendio aut direptione perijsse in bello Henrici Regis Galliarum.

Dissertatio LXXXXI.

De B. Euermaro Frisio S. Willibrordi Spirituali fętu.

Fas non sit silentio præterire B. Euermarũ Martyrem S. Willibrordi præclarum fætum. Is nobilis viguit Friso regente Pipino filio B. Beggæ & S. Willibrordo per Frisiam prędicante, cuius salutaribus concionibus & monitis è gentilium tenebris in Christianam lucem esse traductum, omnino est credendum. Inter cętera pietatis opera summæ curæ habuit ad Sanctorum loca peregrinationes instituere. Ea pietate animatus e longinquâ patriâ per tædiosa itinera & vasta montium iuga in Galliciam ad Reliquias S. Iacobi Apostoli Compostellæ honoratas concedit. vbi per aliquot dies Sanctum venerans supplex diuersa deuotionis officia explet Christiano de more. In reditu sibi similis varia Sanctorum loca inuisit. Intelligit Traiecti ad Mosam in summa veneratione haberi Lipsana S. Seruatij Tungrorum quondam Episcopi eaque miraculis fulgere: succrescit statim animus eo contendere & vt perueniat, diuertit ad quemdam Hacconem in silua Harsclapia cum septem suis comitibus nihil sinistri suspicatus. Tyrannus erat Hacco Christiano nomini perquàm infensus, qui inuidus impensi & impendendi honoris viro Dei Seruatio Euermariąue virtutum decôra non ferens, instigante diabolo eum cum socijs crudelissimè interimit. Corpus ibi-

dem

dem humo opertum verosimiliter à Christianis id loci habitantibus, cum à Tyranno qui mallet Christianorum corpora auibus ferisque discerpenda relinquere, id factum non sit valde credibile. Iacuit sepulchro absconditum honoris expers per duo & amplius sæcula vsque dum virtuosus quidam Presbyter in Ecclesia S. Martini orationi intentus tertiò per Angelum admonetur vt Episcopum adiret intimaretque Deum velle sacrum corpus è tenebroso loco in apertum produci & publico cultu honorari. Gerebat tum Pontificiam dignitatem Ecclesiæ Leodiensis Heraclius vita doctrinaque insignis Episcopus 45. qui accepto nuntio lætus properè eò aduolat, in oratione se prosternit & ecce reiecta humo denudato corpore fragrantissimus odor exhalabat æternæ receptæ gloriæ testis. Inde pergrato odore perfusus Heraclius palam exultat: gratulatio & acclamatio fit omnium adstantium: erigitur corpus & in loco qui Ruthen dicitur haud procul Tungris festiuo plausu decenter collocatur à populo deinceps adorandum; & hanc eleuationem tot subsecuta sunt miracula, quod descripta ingens volumen efficerent, inquit Molanus in Natalibus SS. 1. Maij. numeraturque inter præclara gesta Heraclij Antistitis Leodini. Perseuerat eius cultus etiamnum in Ecclesia Ruthensi Collegiata & vicinis Tungris. Annuatim Sacra Lipsana ab Ecclesia Ruthensi in Tungrensem solemni pompa & crebro vicinorum concursu inferuntur & reducuntur non ad paruam Frisiorum gloriam, qui ipsum Tungrensibus pepererunt. Dolendum sociorum patriam nominaque memoriæ non esse consignata. Patriâ Frisios Euermari conterraneos fuisse ex societate posset conijci & credendum eos cum ipso sempiterna gloria frui quamuis apud mortales in obscuro deliteścant. Annum Martyrij silent historiæ. Cum

verò

verò, teste Molano in Indiculo Sanctorum, Martyrium subierint sub Pipino filio Beggę, consequitur cælos petijsse ante annum 715.

Dissertatio LXXXXII.

Quidnam egerit Pipinus post necem S. Lamberti & refutatur Vulgata opinio ex Marcellino desumpta.

Simul ac auditum fuerat Pipino Hubertum Infulis decoratum Traiectum appulisse, non mora, splendido cinctus comitatu eò properat, Cognato suo de recenti dignitate gratulaturus & Episcopum splendidis officijs demeriturus. Ast S. Antistes memor moniti quod Dominus dedit Episcopo Ecclesiæ Sardis: esto vigilans & confirma cętera quæ moritura erant, Pipinum licet in se officiosum, fędis adulterij vndis etiamnum innatantem hortari ad pænitentiam, instigare, arguere, increpare; negare sibi quidquam cum illo aut esse aut fore commune, priusquam ad mentem redeat, minari se ei Ecclesiæ communione interdicturum nisi resipiscat, idque palam orbi facturum. Mouetur hisce non parum Pipinus, sed non permouetur. tandem tamen non desistente Huberto, suo Pastori obedit, vt postmodum dicetur.

Interim hîc conueniendi sunt qui ducti relatione Marcellini, qua cap 25. enarrat Plectrudem per Swibertum & Agilolphum Episcopos rogasse Pipinum moribundum, ne filios suos legitimos, Drogonem & Grimoaldum exhæredaret, & nihilominus Pipinus moriens ijs pręteritis, Carolum Martellum illegitimum hæredem inscripserit, colligunt

colligunt constare miserum Pipinum vsque ad obitū cum pellice perseuerasse. Vide Spondanum ad annum 698. vbi ait: Pipinum miserum numquam destitisse à consortio pellicis, idque ex Baronio quem compendiat.

Idem iter ineunt multi, inter quos & Furmeriuslib. 3. Frisię cap. 6. eodem duce; sed quam cæco plus satis innotuit. Nos igitur illum non morati, astruimus sub hunc annum Pipinum abiecto scorto Plectrudem iam ante repudiata in coniugem rursum admisisse simulque vsque ad terminū vitę in mutuo cōnubij fœdere perstitisse. Conuincit 1. summa deinceps cōmunicatio inter vtrosque. Nam circa præsentē annum Pipinus vna cum Plectrude fundat monasterium Andainum nunc S. Huberti in Ardenna. Factum describit Ioannes Roberti ex vetusto autentico Manuscripto eiusdem monasterij sic: *Temporibus Pipini, qui maior Domus erat sub Theodorico Rege, vxor eius Plectrudis Amberlacum Suæ ditionis fiscum parabat adire: & per prædictum locum transiens, tum tædio vastæ solitudinis; tum feruore æstatis confecta, ibidem in pratis virentibus decreuit aliquandiu requiescere. & cum post exactam refectionem comites eius longiori somno premerentur, ipsa curiosior pro equis pascentibus, ne per siluas vagarentur, neminem excitans, ipsa sola surrexit, equisq; recollectis, iam lassior, dum super aceruum lapidum ibi fortè congestum resideret, chartulam quandam cœlitus allapsam, opstupuit apud se cadentem. Quam, licet pauida, corripuit; & nemini comitum ausa credere secretum, ad virum quantocius decreuit reuertendum. Cui cum per ordinem retulisset ordinem miraculi; ille euocato Beregiso viro Venerabili (qui tunc in Dei rebus obsequebatur eis) chartulam ei obtulit exponendam sibi. Consultus sacerdos Dei ei respondit, locum quo eadem chartula deciderat à Deo esse electum, ex quo multorum animæ transire deberent ad regna cœlorum. Pipino verò subiungente quid sibi inde videretur agendum, Beregisus, capta oc-*

casione (qui iam dudum apud se deliberauerat, mundo relicto, Deo liberius vacare) subintulit Principi, ne quantum in se esset, diuinæ dispositioni deesset, paratum se solitudinem illam colendam suscipere, si eam sibi ille concederet. Placuit Pipino Beregisi propositum, licet grauaretur admodum, à se suum emittere carissimum. Illo tamen sæpius instistente, vt rem quantocius acceleraret, Pipinus cum comitatu Curialium suorum, venit ad locum inuentæ cœlitùs chartæ. Ibi facta legali donatione, & ratacoram Principibus suis astipulatione, locum ipsum perpetuò habendũ Beregiso donauit. Ecce fiscũ vocari Plectrudis qui tũ erat Pipini Principis, sed eius ratione coniugij. Vide obambulantem Plectrudẽ nonnihil à viro suo & inuenta charta ad illum redijsse, scilicet, quo iam vt viro vtebatur vxor, cum quo iã in gratiam pristinumque eius redierat. Non amplius illa Coloniæ lugens detinetur. Beregisus illis obtemperat in Dei rebus, non Pipino solùm, sed vtrique, coniugum pari. nulla hîc Alpais. Contigisse vero datam historiam circa annum 700. docet Ioannes Roberti qui ex professo res Andannẽsis cœnobij scrutatus vulgauit. Nec obstat quod legatur, *temporibus Pipini qui Maior domus erat sub Theodorico Rege &c.* qui Theodoricus obijt anno 690. aut 91. non enim illis verbis significatur celebris chartę illa inuentio aut donatio facta sub Theodorico, sed solùm Pipinum maiorem Domus creatum sub eo Rege & eius principatum sub eo incœpisse, quod verissimum est. Gelenus in Sacris Colonienſibus Syntag: 9. lib. 3. ait Pipinum post diuortium semel tentatum & S. Lamberti cædem, quæ fuit anno 698. cum Plectrude Capitolium Colonienſe, quod erat Palatium Principum, vertisse in Monasterium Monialium ac munificè dotasse, prout, inquit, in Tabellarijs Ecclesiæ legitur. Verbis, *post tentatum semel diuortium*, significatur diuortium quidem tentatum, sed non consummatum abiectâ Alpaide

paide: addens, simul, excludit opinationem asserentium Pipinum post reconciliationem reuocatâ pellice ad vomitum redijsse: donatione & fundatione simultaneis cernitur vtriusque reconiunctio. Præterea anno 706. Pipinus cum Plectrude coniuge donat S. Willibrordo medietatem fisci Epternacensis. Anno 708. ad preces & instantiam Plectrudis dat S. Svviberto Werdam insulam. Paulò ante mortem donat S. Willibrordo Villam Sueſtram (Sustern) in pago Mosanorum per Plectrudem ab ingenuis coemptam, vt loquitur Theofridus in M. S. vita S. Willibrordi. Mortuo Pipino Plectrudis eius thesauros conseruat: Theobaldum nepotem Maiorem constituit. Vides hic summam & continuam communicationē Pipini cum legitima coniuge: non auditur, non rogatur, nil agit hîc Alpais. 2. Non est verosimile Pipinum animo pium, benignum, plurium Ecclesiarum & monasteriorum fundatorem, Sanctorū Apostolicorū virorum amantissimum, visis terribilibus flagellis desuper vibratis quæ iram Dei & Antistitis Lamberti innocentiam declarabant, auditis monitionibus S. Huberti aliorumque Sacerdotum, inter quos puto S. Willib. quem libenter audiebat, partes suas non omisisse, cognitis miraculis quæ ad sepulchrum Martyris frequentia patrabantur, non est, inquam, verosimile his circumstantijs adeo peruicaciter in suo peccato perdurasse. 3. graue scandalum partum erat omnium fidelium animis; populus in adulterum & pastoricidam fremebat seditioni proximus; non credendum est tanti mali authorem & peioris futuram apud se amplius conuersari voluisse. Hanc nostram conclusionem apertè enuntiant Leidensis lib. 1. Chronici cap. 21. Fasciculus temporum: Adulphus Happaert, cuius sententiam profert Roberti ipsique assentitur. Nobiscum etiam est Franciscus Haræus

Haræus nisi quod addat Pipinum ad vomitum redijsse iterato meretrice recepta, colligens ex eo quod moriens Car. Martellum scripserit heredem. Gramaius ex veteri in Brabantia monumento Ecclesiæ Huguardiensis, quæ Collegij sui fundatricem agnoscit Alpaidem, narratis Dodonis & complicum pœnis, subdit, Alpais perpetuo contabescens mœrore factum expiauit, sufficienter eius dimissionē post S. Lamberti necem insinuans.

Fundamentum contrariæ opinionis quod ex cap. 25. Marcellini desumptum est, refutabimus dum ad obitum Pipini venerimus, vbi plura ad nostræ confirmationem adducentur & simul manifestabitur Pipinum non iniuriosè Martellum hæredem ordinasse, consequenter nec exeo colligi dimissam Alpaidem resumpsisse.

Dissertatio LXXXXIII.

De Sergio Pontifice S. Willibrordi Ordinatore.

ANno 701. vitę statione cedit Beatissimus pontifex Sergius cui plurimum obligatur Frisia, vtpote quē eius causa bis S. Willibrord. adijt. Semel 1°. introitu ex Hybernia, ab eodem prædicandi potestate plurimisque ad sacram susceptam spartam elaborandam vtilissimis & necessarijs instructus rediens. Beda lib. 5. cap. 12. Iterum à Pipino delegatus anno 696. pro Episcopalibus Infulis obtinendis, pro nouo Vltraiectensi Episcopatu instituendo, roborando ac ampliori facultate spirituali Frisios gubernandi

bernandi, in quibus omnibus voto suo potitus plenissime, in messem Frisicam remissus est. D. Gregorius Magnus meretur audire Apostolus Angliæ eò quod ad eius conuersionem miserit Augustinum cum socijs, cur non pari iure V. Sergius merebitur audire Apostolus Frisiæ qui ad eius conuersionem miserit & ordinauerit S. Willibrord. & consequenter consodales? Vide supra diss. 26. & sequentibus.

Hic B. Sergius pontifex creatus anno 686. saluberrimus Ecclesiæ Catholicę fuit. Portionem salutiferi Ligni (referēte Anastasio Bibliothecario) Dominicę crucis inuenit, quę etiā ex illo die pro salute humani generis ab omni populo Christiano in Basilica S. Crucis deuotè osculatur & adoratur. Hic fecit Thymiamaterium aureum maius cum columnis & cooperculo quod suspendit ante imagines tres aureas Beati Petri Apostoli, vt narrat idem Anastasius, in quo incensum & odor suauitatis festis diebus, dum Missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. Corpus Beati Leonis probatissimi Patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris Secretarij prædictę Basilicæ positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata Basilica publico loco (vt ei fuerat reuelatum) reposuit ac locum ipsum ornauit. Hic statuit, vt tempore confractionis Dominici Corporis, Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis, à clero & populo decantaretur. Constituit etiam, vt diebus Annuntiationis Domini, Natiuitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei genitricis semperque virginis Marię ac Sancti Simeonis, quam Hypopantem Græci appellant, Litania exeat à Sancto Hadriano, & ad Sanctam Mariam occurrat populus. Hic ordinauit Damianum Archiepiscopum Sanctæ Ecclesiæ Rauennatis, atque Cle-

mentem Frisonum. Hic ordinauit Berectualdum Dorouernensem Britanniæ Archiepiscopum S. Theodori successorem. Hic ordinauit per diuersas Prouincias Episcopos nonaginta septem. Fecit autem ordinationes duas per mensem Martium, ordinauitque presbyteros decem & octo, Diaconos quatuor; qui etiam sepultus est ad beatum Petrum quinto idus Septembris, Indictione decimaquarta, Tiberio Augusto. Notetur hinc qualem fidem & à quali S. Willibrord. Romæ inuenerit, Româ eduxerit, in Frisiam induxerit. Ex mittente noscitur legatus. Perpendant quam placitum sit nostris Primęuis Patribus relictâ Româ, abnegato Pontifice Romano Christi in terris Vicario, normâ fidei quęrere ab Apostatis, votifragis, nouitijs, & quidem quam nec ipsi, nec ab eis progeniti nouerunt. Illi Româ fidem, leges, præscripta, monita, accipiebant. Occlamant; Sergium Pontificē primum Antichristum vel inter primos Antichristos sedisse; sed non aduertunt se hoc pacto ductorem, Doctorem, salutis suæ nuntium & Pædagogum, omnis impietatis, hypocrisis, ignorantiæ, accusare, qui Antichristum adorauerit, ab Antichristo poteſtatem verbi Dei deprædicandi tulerit, Antichristi characteribus insignitus fuerit, Antichristo resistere timuerit. Quæ magis horrenda in Christi missum blasphemia? Sed relictâ hâc fœtutinâ ad cœtera pergamus.

Dissert.

De Orpiensi cœnobio per Pipinum fundato.

PIpinus quo infame Sacrilegum homicidium expiaret, furorem diuinum placaret, simul publicum datum scandalum auferretur, monasterium Virginum constructit in loco dicto Orpen, Nunc Orpium, vernacule (**Ollegrand**) in ea Austrasiæ parte quę modo est Gallobrabantia Vestalibus ex Niuellensi cœnobio eò adductis. Ioannes quidem Placentius in Catal. Episcoporũ Leodiensium, Diuæus in historia Brabantię aiunt id cœnobium fundatum ab Alpaide à Pipino iam semotâ & pœnitente. Verùm non puto nobiscum pugnare: potest vterque esse fundator: Pipinus fundum conferendo, authoritate, consensu suo instituendo, prima fundamenta iaciendo: Alpais augendo, dotem comportando, primam fundationem promouendo. In ea Parthenone vixit Sanctissimè præfuitque Abbatissa S. Adelia, cuius lipsana in Odæio Ecclesiæ Orpiensis etiamnum religiosè asseruantur. Eius vitam ex M.S. eiusdem Ecclesiæ Gallicè edidit Ioannes Monceaux ex Societate IESV. Sed quæ mihi semper apparuit & apparet non syncera, commixta ex actis S. Odiliæ siue Othiliæ Bauaricæ, quod multis SS. vitis accidisse deplorat Molanus. Per Barbarorum enim irruptiones gesta SS. amissa dum pij Zelatores ex varijs & scriptis & locis restaurare sunt conati, vbi nominum similitudinem inuenerunt, vna eademque reputantes, omnia in vnum congerendo permiscuerunt; pluribus adscribenda, vni asscripserunt,

triste

triste funus Alitheæ afferentes. idipsum reor ex parte contigisse actis S. Swiberti coepiscopi S. Willibrordi quæ in hoc opere discutimus, infartis nonnullis de alio Swiberto Anglo Abbate 1. Episcopo Verdensi sub Carolo Magno, de quo Krantzius in Metropol. Saxoniæ. Idem in actis S. Adeliç, quç à multis Odilia & Othilia, quod decipere natum est, scribitur, quamquam minus rectè, cum antiquissimæ litteræ apud nos & speciatim diploma B. Alberti Martyris datum Remis paulo ante Martyrium sẽper Adeliam citet, numquam Odiliam, Othiliam: Gallice etiam nunquam aliter audit quam S. Adelle. Desijt diu sacra Pipini Plantatio. Quo tempore, non liquet. Mihi probabilissimum sœculo 9. per Nortmannorum debacchationes; post quos locum occuparunt Clerici in communi viuentes. His iam proprietarijs & prębendarijs factis, successerunt Abbas & Monachi Florinẽses Ordinis S. Benedicti, qui totum Orpium in temporalibus & spiritualibus possederunt Ecclesiamque magnis priuilegijs dotatam gubernarunt vsque in annum 1298. quo Wilhelmus Abbas Florinensis Ioanni Lotharingię Du ci omnium suorum bonorum in Orpio medietatem vendidit ac 1301. reliqua cum iure patronatus eique annexa Ioanni Abbati Bonæ Spei Ordinis Præmonstratensis in Hannonia: à quo dein anno 1339. Ecclesia cum adiunctis ad cœnobium Tungerloense est deuoluta, quam ab eo tempore vsque huc Religiosi eiusdem cœnobij gubernarunt & gubernant.

Orpium verò situm medio ferme itinere inter Thenas & Namurcum fuit olim pagus celebris & potens, nunc ad longe tenuiorem fortunam redactus. Solę Reliquię S. Adeliæ, ad quas ex vicinijs & longinquo magnus est confluxus, hodie famosum faciunt.

De Alpaidis dimissione, pœnitentiâ, exitu.

PIpinus Princeps animo tandem tum per S. Huberti monita, tum per horrendas plagas Lamberti percussoribus immissas planè immutato, pellicem à suo consortio abijcere seriò disponit. Adornatâ honorificâ legatione Plectrudem legitimam coniugem (quæ, secundum Texera, erat filia Grimoaldi Baiororum Ducis) Coloniâ, vbi hactenus se continuerat, euocat, in antiqua Matrimonij iura recipit, fidem illibatam deinceps promittens. Alpaidem, cui iam per quinque annos conuixerat, licet multum quæritantem, multa prætendentem à se dimittit, malens vlterius Diuino præcepto, quam scorti quærimonijs obaudire, pro vt supra est probatum. Dimissa primò includitur Monasterio Virginum non ita dudum fundato per beatam Landradam N. V. saltu Belisiæ eo Austrasiæ tractu qui nunc est Ditio Leodiensis: floretque etiamnum sub ritu Canonicarum nobilium dictum vernaculè **Munster Bilsen.** In hoc latuit Alpais vsque dum Orpiense Cœnobium satagente Pipino absolueretur, in quod perfectum translata, vitam vsque ad obitum Pipini transegit. De latibulo & fine Alpaidis variant scriptores. Alij ibi pœnitentiã pro delictis egisse religioseque suo fato quieuisse: alij aliter. apud Iohannem Roberti hæc sunt: *Alpaidem in peccatis inueteratam, obduratamque Hubertus anathemate percutit: mox rectius sapientem, Belisiensi Ecclesiæ includit, lacrymis, & spontaneis pœnis peccata expiaturam. Vnde in recens extructum Monasterium Orpen transire iussa est, quò Pipinus ex Ni-*

 uellensi

uellensi Parthenone, sacras Virgines, Deo, & sibi victuras euocauerat. Sed manebat eam Zelantis Dei vltio, quam S. Lamberti innocens sanguis expetebat. Verba iam Happart accipe: Sed audi parumper quorsum res deuenit. Plaudus Comes de Osterne, frater S. Lamberti (bellico tumultu inter Principes oportunitatem præstante) in Orpen venit euulsamq; Alpaidem igne combussit, Martello (erat hic Alpaidis filius ex adulterio Pipini) rem obsaui Martis furorem dissimulante.

Hæc vltima Roberti mihi primùm legenti noua videbantur, eo quod apud neminem authorum, quos plurimos euolueram, simile quid de Alpaidis clade occurrisset, & noua videbantur pariter ijs quibus hęc communicabam. Verùm attentior, mox fidem non inuitus accommodaui.

1. Quod producat hæc ex vetusto scriptore Adolpho Happart vetustissimi Andainensis Monasterij monacho, qui diligentissimus in S. Huberti, alijsque affinibus describendis, profitetur sanctè, se nihil allaturum, quod ab idoneis Authoribus non hauserit.

2. Memini apud non neminem legisse Alpaidem Orpiensi Parthenone inclusam non semel à S. Lamberti fautoribus oppugnatam. Cuius rei fidem facere potest collis etiamnum spectabilis & à me sœpius spectatus ante Orpiensis Cœnobij diruti Ecclesiam, qui traditur fuisse vnum ex munimentis ad defensionem Alpaidis. Mox audio collem illum ab aliquot diebus esse disiectum ac in eo inuentas partes cadauerum, in argumentum probabile extitisse munitionem, habitatores præsidiarios, qui defuncti inibi sepulturam acceperunt.

3. Hugardia pagus celebris, vbi Alpais Collegium Canonicorum fundauit, distans duabus plus minus leucis ab Orpio, creditur denominata à custodia quam incolæ assueuerant

assueuerant Alpaidi exhibere, quasi Hoeren guarde id est custodia meretricis. ita plurimos audiui illud nomen interpretari. Certè hinc ostenditur traditionem habere, Alpaidem non sine timore inimicorum versatam, & vicina loca ipsius odio fuisse infesta. Ac verosimile admodum est, amicos, familiares, clientes S. Lamberti, à persecutione pellicis & vindictâ de sacro innocenti sanguine sumendâ non quieuisse, atque eam statim perfecisse defuncto Pipino dum res Austrasiæ essent turbatissimæ, Martellus à Plectrude nouercâ carceri mancipatus, thesauris patris spoliatus: imò ipsa Plectrudis memor iniuriarum, & maiorum verens, meretricem continere conaretur. Neque his expressè contraueniunt cæteri scriptores: consistit enim violenta illa mors cum eo quod dicatur in Orpiensi Monasterio pœnitentiam egisse, quam diu scilicet Pipinus viuebat: item quod religiosè obierit, æquo ac patienti animo supplicium in expiationem suorum delictorum perferendo. Ex dictis probabiliter colligas Alpaidem vitam mortalem exuisse vel in fine anni 714. quo obijt Pipinus: vel potius anno 715, quo regnante Plectrude cum nepote Theobaldo Martellus incarceratus, inermis, matri succurrere non valeret; aut elapsus infœlicibus prælijs quateretur.

Dissertatio LXXXXVI.

De progressu & seminario Ecclesiæ Traiectensis sub Willibrordo.

Sanctus Willibrord. ab inito Episcopatu Collegiũ suum Clericorum institutum ita adaptauit, vt in eo florerent viri sanctitate, eruditione conspicui, ordinatis etiam palæstris in quibus docerentur Neophyti tã indigenę, quam aduenę, suo tẽpore in Ecclesiæ messem mittendi. Noluit omittere consultissimus Pater quod in alijs Canonicorum Collegijs consuetum erat, nimirum, esse scholas quarum summã curam gerebat Episcopus, in quibus iuuentus tam in litteris quam in moribus grauiter poliretur, ad Ecclesiarum regimina præpararetur. Traiectensis conuentus istoc in genere plurimum efflorescens boni sui odoris fama plurimos etiam ex Britannia ad se alliciebat. De hoc præclaro seminario Guilielmus Heda in Sancto Willibrordo: *Hæc autem Ecclesia à primordio sanctissimis viris illico frequentabatur, qui in omni genere doctrinæ & scientiæ, ac sæcularis nobilitatis splendore præcelluerunt: Nam & oratorum & Rhetorum illuc magnus confluebat cætus, vti legitur: Fuere enim, vt semel recensitos omittam, Winfridus Canonicus qui Bonifacius postea Maguntinus Archiepiscopus & Willibrordo successit in Episcopatu Traiectensi: Wiro Episcopus Deyrorum, Plechelmus Episcopus Massæ Candidæ, Eobanus Comes, Willericus. Gerardus, Theodoricus & Boso Presbyteri, Othgerus Leuita; Gregorius verò & Albricus & plerique alij gloriosi viri, qui regio & alto sanguinem originem duxêre, prout videbimus in sequentibus. Ita vt, sicuti Sulpitius Seuerus testatur de*

excellentia

excellentia Ecclesiæ Sancti Martini Turonensis, vix aliqua ciuitas vel Ecclesia fuerit, quæ de Traiectensi Clero non peteret sibi sacerdotem: Nam Bonifacius ad Moguntiaci, Gregorius & Albricus ad Coloniæ Agrippinæ, & successu temporis alij ad alias Ecclesias regendas acciti sunt, vti patebit suo loco.

De eiusdem magnifico progressu sic Becanus: *Hæc vtiq; sancta Traiectensis Ecclesia merito regia plantatio dicta est quæ multis Regalibus prædijs ac Imperialibus priuilegijs adornata est, in qua plures sacro sancti Patres pristinis floruere temporibus, qui tam in morte quam in vita multis miraculorum claruere virtutibus. In hac quidem Ecclesia largè præbendati sunt veneranda dignitatis Canonici, qui in horis nocturnis, siue Diurnis continue non tacebunt laudare nomen Domini: In hac insuper Ecclesia multa Sanctorum corpora de diuersis Sanctuarijs & reliquijs venerantur, in qua nihilominus duorum præpotentium Imperatorum consepulta viscera recondunntur.* Adeo augustos successus edidit hoc neophyterium vt Reges & Principes in sui amorem traheret, ab illis donis & honoribus nobilitaretur. In hoc Winfridus alias Bonifacius Apostolatus sui Germanici: S. Wiho Frisius doctrinæ sua tyrocinia sub S. Willibrordo posuerunt.

Dissertatio LXXXXVII.

De conatibus æmulorum in B. Wilfridum, qui absolutus, Episcopus fit Hagulstaldensis.

T virtuti comes est inuidia, ita gloria & præclara facta B. Wilfridi inuidiam plurimis concitarunt, etiam Alfrido Regi Northumbrorum & Bertwaldo Archiepiscopo Cantuariensi, qui cum multis machinationibus & criminationibus eum euincere nequirent, tandem quasi pacifici & synceri suadent vltroneè se Episcopatu abdicet : fore ipsi laudabile & glorioſum hoc medio, scilicet, sui spontanea abdicatione pacem Ecclesijs restituisse. Verùm ille sentiens ignes suppositos cineri doloso, respondit : nihil æque ad cumulum infamiæ homini valere, quam si se sua damnaret voce. Se primum fuisse, qui verum Pascha in Northumbria Scotis eiectis docuerit, qui cantus Ecclesiasticos antiphonatim instituerit, qui Sanctissimi Benedicti regulam à monachis obseruari iusserit, pro quibus omnibus nunc senem & septuaginta fere annorum Pontificem hoc in munere recipere, vt cogatur se ipsum scripto damnare. Nossent ergo se illud non facturum, quod esset sibi dedecus, calamitas subiectis, incommodum cunctis : quin potius sedem Apostolicam appellare, & si quis eorum Ecclesiasticum conflictum præsumeret, eo prouocare. Itaque ad Romanum tribunal appellat, ac citatis aduersarijs iam septuagenarius iterum Romam properat, quò

quò veniens talem epistolam siue libellum Pontifici curat porrigi:

Domino beatissimo vniuersali Papæ Ioanni VVilfridus supplex & humilis seruus seruorum Dei Episcopus. Cognoscat sanctitas vestra quod perturbationibus nuper in Brittanniaortis ex parte eorum, qui contra decreta beatissimi Agathonis Papæ illiusq; successorum venerabilium patrumsibimet Episcopatum & monasteria terrasque cum omnibus facultatibus meis vsurpabant, compulsus hanc sacrosanctam Apostolicam sedem appellaui, contestans eos per omnipotentem Dominum & beatum Petrum Apostolum, vt siquis aliquam accusationem contra me haberet, ad vestram præsentiam veniret, sicut beatissimi Sergij prædecessoris vestri scripta decernebant: ideo petitionem humilitatis meæ gloriosæ præsentiæ vestræ offerendam curaui, vt vos largifluæ pietatis beneuolentia confirmare dig-

nemini

nemini, quæ à beatissimis antecessoribus ve-
stris erga meam paruitatem decreta sunt. &
si quis contra me accusator aduenerit, per ve-
stram iussionem productus in medium, quod
voluerit, obïciat: & si quidlibet minimum
obiectum non probabiliter cassauero, paratus
sum seueritatem canonum experiri. Dein-
de rogo, vt litteras commendatorias de ve-
stra celsitudine ad Ethelredum regem Mer-
ciorum adipiscar, vt omnia monasteria mea,
quæ in eius sunt prouincia quietem habeant:
ad Alfridum regem Northumbrorum e-
pistolam habeam vt omnia mea mihi red-
dat. quod si forte sibi graue videbitur, vt
Episcopatum Eboracensem habeam, præui-
deat Apostolica sedes, quis ibi habeatur
Episcopus: ego tamen monasteria duo in ea
prouincia posita Ripis & Hagustaldeia qua
fundaui, non amittam. In fine quoque spon-
debo me omnibus decretis Brethwaldi Ar-
chie-

chiepiscopi pariturum quæ contra prædecessorum vestrorum fundatissima decreta erga meam paruitatem non fuerint.

Æmuli ab Archiepiscopo Cantuariensi submissi cum nil solidi contra Wilfridum producerent, absoluiter Ille & omnis criminis expers declaratur. Fauore Apostolico munitus in Angliam iubente Pontifice reuertitur: à Merciorum Regibus, à Berthwaldo Archiepiscopo Cantuariensi benigne suscipitur Pontificis voluntati obedire paratis. Solus Alfridus Northumbrorum rex obstinare. eo elato, adnitente præsertim beatissima Virgine Elfleda Abbatissa, Wilfridus Hagulstaldensi Episcopatu donatur hoc anno 705. Redditur eidem Monasterium Ripense quod fundauerat circa annum 660. in quo S. Willibrord. iuuenis est educatus, instructus, religiose conuersatus vsque ad vigesimum ætatis suæ annum, quo arctioris vitæ ergô secessit in Hiberniã ad Egbertum Archimandritam; vt etiam S. Willibrordum beato Wilfrido debeamus. Sed cur non in integrum restitutus est Wilfridus? cur tantum Episcopus fit Hagustaldensis? cur non & Eboracensis aut totius Northumbriæ vnde erat eiectus? Respondetur, Wilfridum acquieuisse tum pacis causa, tum quod iam prouectæ ætatis onera illa Archiepiscopalia in vasta Diocœsi illi non luberent, nec gloria tangeretur humana. Præterea difficile erat expellere eos qui iam Cathedræ Eboracensi insidebant. Denique æmulorum odijs sopitis quidem, sed non extinctis, meritò & nouas & veteres pro-

cellas in Eboraco extimuit, ad quietem in senili ætate anhelans ad quam respexisse patet, quod postquam innocens Romæ esset declaratus & ad antiquam sedem remissus, ambiebat tamen Romæ remanere, nec nisi cogente Iohãne Papa in patriam est reuersus.

Dissertatio LXXXVIII.

De fundatione Cœnobij Epternacensis Dotantibus Pipino & Irmina.

Pipinus Princeps motus Apostolicis & religiosis operibus S. Willibrordi ex pietate donauit medietatem fisci Epternacensis idque anno 709. Childeberti regis Franciæ 12. qui successit Clodoueo anno 698. Est verò Epternacum (quod secundum Adrianum Iuniũ corruptum vocabulum est cùm primitus vocaretur Absternacumab abstergendo) situm inter Lutzenburgenses qui creduntur esse veteres Leuci de quibus Tacitus libro 17. Annalium. huius loci pars vna spectauit ad Pipinum, altera ad Irminam Dagoberti Regis filiam.

Sed cur hîc de fisco Epternacensi? quid sibi vult fiscus Epternacensis? Respo: fiscus in propria significatione denotat vimineam sportam : vnde fiscella scirpea ex iuncis seu scirpis quasi viminibus contexta, qua expositus est Moyses Exodi 2. fiscus significat etiam vtensile ad maioris summæ pecunias capiendas. Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuatæ, factum est vt fiscus pro Pecunia publica dicatur. hinc S. Augustinus (in psal: 146)

146) & Isidorus (l. 20. origin. cap. 9.) interpretantur saccum publicum. Suidas & Hesychius penuarium publicum Inde enatum quod loca ipsa, domus, arces, publicis Principis reditibus seu frumentarijs, seu alijs, conuehendis, & condendis extructæ, & comparatæ, fisci dicebantur. Eiusmodi publicas domos, maxime, si etiam contra vim munitæ, Castra vocauit posterior ætas, quæ antiquis Latinis Arces erant. sumpto continente pro contento significat fiscus diuitias seu thesaurum Principis, quem Traianus Imperator solitus erant appellare lienem, eò quòd eius nimium augmentum, subditorum & populi, à quo pecunia fisci exigitur, sit detrimentum: crescente enim & intumescente liene, cæteri artus & membra tabescunt. denique etiam totus aliquis terræ tractus ex quo annui census principis colligebantur & ad certum Primarium locum deferebantur, fiscus cœpit nominari. talis hoc loco est fiscus Epternacensis (quem Dominium possis appellare) cuius dimidium modo Pipinus dat S. Willibrordo: alterũ dimidiũ Irminę supradictæ est donũ. De hac Epternacensi donatione sic Hareus: ann. regni Hildeberri 2. (est is annus Christi 699) Pipinus cum coniuge Plittrude tertio Idus May tradidit beato Willibrordo medietatem fisci Epternacensis à Theodardo Theodarij Ducis filio sibi relictam. Ita ille & quidem ex Heda. verum fallitur, nam in primis exemplar Hedæ quod pœnes me est editum per Bernardum Furmerium donationem dictam recensens, nullum nominat annũ. Exemplar Hedę editum longè correctius ab Arnoldo Buchelio anno 1643. continet donationem factam anno 12. Hildeberti. Vnde videtur Hareus vsus exemplari corrupto ponente 2. pro 12. omisso 1. Monumenta Epternacensia à Mirœo eorum inspectore citata continent sæpe dictam donationem factam à Pipino anno

12. Hildeb. Ipsis potius credendū est. Deniq; non apparet probabile Pipinum tam cito elargitum Willib. censui Epternacenses fundando asceterio in adeo dissita plaga, qui iam recens Episcopus in erigendo Episcopio Traiectino aliisq Frisię plurimam partem adhuc ethnicę negotijs plus satis erat occupatus Ex acceptis agris S. Willibrordus Monasterium erigit siue hoc eodem anno, siue sequenti; non longè eum distulisse credendum est, cum Pipinus eum in vsum sua alienaret. hîc notandus est Bruschius asserens S. Willib. Epternacum condidisse anno 696. & regere cœpisse anno 698. Quomodo Willibrord. implicuisset sese negotio ædificandi Cœnobij in adeo remoto tractu cui nec de sede Vltraiectensi erat plenè dispositum, & in fine anni 696. primo consecratus sit Episcopus, sequenti anno in Frisiam demum rediens? præterea in annis Bruschianis nondum collatus erat fiscus Epternacensis vti iam visum est. imaginor Bruschium possessionem, regimen Willibrordi in Episcopatu Traiectino sumpsisse pro possessione & regimine auspicatis in Epternaco; nam is anno 696. Cathedralem suscepit & anno 698. plene administrare cœpit.

Obseruandum scribi nunc Echternacum, nunc Epternacum quod est communius: nunc Efternacum quo vtitur Ioannes Roberti in annotationibus ad Flores Thiofridi Abbatis Efternacensis secutus suum authorem. Esternacum nusquā mihi occurrit præterquam apud Harçum suprà, forsan vitio Typographiæ. Longissimè recedit Iunius cudens Absternacum ab abstergendo ipsius solîus, quod sciam, lusus & speculatio est, quam Thiofridus Abbas Efternacensis & eius commentator I. Roberti varias istius nominis pronuntiationes recensens, ignorant.

Dissert;

Qualis Irmina quæ S. Willibrord. fuit benefica.

IRminam Dagoberti Regis filiam S. Willibrordo reliquum Epternacensis Dominij attuliſſe eſt indicatum. Queri poteſt, quænam ſit iſta Irmina; Cuius Dagoberti, primi-ne an ſecundi filia. De Irmina ſunt hæc Trithemij verba in Dagoberto primo: *Irmina virgo ſanctiſſima conuerſationis vna ex filiabus Regis Dagoberti* (primi) *fuit & regum prædictorũ* (Clodouei & Sigeberti) *ſoror. huic patet adhuc viuens in vrbe Treuirorum in palatio ſuo antiquiſſimo, quod Horreum vocabatur monaſterium puellarum ſub regula S. Benedicti Eccleſiam in honorem B. Mariæ Semper Virginis conſtruxit, in quo congregationem monialium poſuit quibus Matrem & Abbatiſſam dedit eandẽ filiam ſuam quæ multis in vita & poſt obitum virtutibus & miraculis claruit, cuius venerabile caput in Abbatia Spanheimenſi habetur.* Ita Trithemius, qui addit id Dagobertum feciſſe ad inſtantiam Modoaldi Epiſcopi Treuirorum ex cuius conſilio & alterum ædificat idem in ſuburbijs Treuirorum cui præficitur Adela S. Irminæ ſoror.

Hæc Trithemij Irmina Dagoberti magni ſiue primi gnata fuit prout circumſtantiæ demonſtrant. An vero illa ipſa ſit S. Willibrordi benefactrix & confundatrix Monaſterij Epternacenſis, nil hinc reſcitur, cum Trithemius talis beneficij ne hilum apponat. Quare à ſcopo errare mihi non videretur qui Irminam Willibrordo beneficam, adſtrueret Dagoberto 2. genitam. 1°. ſi Dagoberto primo (qui obijt anno 644. aut 645.) nata donauerit anno 706.

sequitur donasse iam centenariam in ætate & sexagenariâ aut prope, in regimine Abbatissæ; ast tanto tempore in proprio Monasterio & alijs Monasterijs istius tractus, quæ ante annum 700. fundata recenset Trithemius, erigendis, alendis, conseruandis sua insumpsisse credibilius est, vt non restaret fiscus Epternacensis Willibrordo offerendus. 2. eandem Abbatissam religiosis votis adstrictam (si modò propriè religiosa fuerit) proprio, facultate dandi alienandi carentem adeo liberalem fuisse, videtur durius. 3. longè conuenientius accipitur hîc filia Dagoberti secundi qui tempore dictę donationis vixit, cuius Maior Domus C. Martellus fuit, regnauitq; ab anno 716. vsq; ad annum 722. Videtur hoc simul insinuare Trithemius citatus à Baronio vbi Irmina iuxta Trithemium perhibetur floruisse anno 710. quod significantius & commodius accipitur de Irmina iuniore quam de centenaria; nam non dicitur quis florere in fracta decrepitaque ætate, sed viridi & media. Cum hæc sic mecum essem ratiocinatus, incidi post aliquod tempus in codices Diplomatum Belgicorum Auberti Miręi in quibus est diploma Leonis secundi ad Horreense Monasterum apud Treuiros pertinens, ex quo clare colligitur Irminam Dagoberti primi filiam Horreensis fundatricem obijsse ante annum 688. id est ante aduentum S. Willibrord. in Frisiam; per consequens, Irminam primi Dagoberti non esse illam Willibror. benefactricem aut Epternacensis fisci donatricem, adeoque iuxta nostrum factum discursum duas esse Irminas, vnam Dagoberti primi, alteram Dagoberti secundi Willibrordo deuotam, quæ ob similitudinem nominum in vnam confunduntur.

Iuuabit ipsummet diploma audire: *Ego Leo Vicarius S. Petri Principis Apostolorum, meritis quidem impar, vice tamen ipsius*

ipsius dignitate Romani fungens præsulatus, Cœnobium Horreense à Modoaldo Treuirorum Archiepiscopo, subministrante B. Modesta, filia sororis eius è regalibus horreis, à quibus & nomen accepit, ad diuini cultus officium restaurandum, post discessum B. virginis Irminæ, quæ prima hunc locum prouehendum suscepit, tantâ reuerentiâ & honore apprimè donatum accepimus, vt matre istius congregationis vitâ excedente, nulla ab extraneis quocumq; modo, sed vna ex ipsis subrogetur, Principibus Ecclesiæ Treuirensis ex consulto fauentibus, sororibus electione potitis, ipso quoque Præsule deuotè annuente.

Quod tanta auctoritate subnixum vt in æternum stabile permaneat & fixum in nomine IESV *Christi Domini nostri, sanctiq; prædecessoris Petri, & omnium electorum Dei, æterno seruetur damnandus iudicio, si quis Prælatus tantæ hîc commorantes eximendi crit priuilegio. Fiat, Fiat, amen, amen.*

Verba illa, *post discessum B. Virginis Irminæ quæ &c.* manifestè insinuant beatam Irminam Horreensis fundatricem antè annum quo Leo secundus priuilegium hoc vel dabat vel confirmabat terrenam habitationem deseruisse. Item illa, *Vt Matre &c. nulla ab extraneis quocumq; modo, sed vna ex ipsis subrogetur, Principibus &c.* manifeste insinuant inter beatam Irminam & tempus priuilegij dati vel confirmati plures matres successisse, per consequens hanc beatam Irminam aliam esse ab illa quæ postmodum S. Willibrord. Epternaco ditauit.

A Modoaldo Treuirorum Archiepiscopo &c. Et Modoaldum Treuirorum Episcopum ante hanc concessionem obijsse opinor, vtpote qui sub Dagoberto primo & Pipino primo Episcopatum tenuerit, longe ante Leonis diploma prout diserte edicit bulla Dagoberti primi apud Miræum in eodem codice, adeoque in diplomate Leonis iam descripto, pro *restaurandum*, legendum esse, *restauratum*. Errare

rare demum Zachariã Lippeloo in vitas SS. To. 2. 12 May annotantem S. Modoaldum Treuirorum Episcopum vixisse sub Pipino 18. Francorum Rege qui regnare cœpit anno 751. nisi intelligat alium S. Modoaldum Treuiris sedisse sub Dagoberto & Pipino primis, alium sub Pipino 3. Francorum Rege.

sequitur.

Diploma quo Irmina S. Willibrordo donat medietatem oppidi Epternaci necnon Ecclesias à se ibidem ædificatas cum varijs prędijs.

Domino S. ac Venerabili in Christo Patri Willibrordo Episcopo Irmina, Christo Deo sacrata Abbatissa. Dum ab omnibus non habetur incognitum, quod ego inspirante misericordia Christi, pro consilio virorum Apostolicorum, patrum nostrorum Domini Basini & Domini Leotwini Episcoporum, seu & pro consensu sororum nostrarum Christo seruientium, quæ nobiscum sunt congregatæ, basilicas in nomine S. Trinitatis vel in honore gloriosissimæ Virginis Mariæ genitricis Domini nostri IESV *Christi, seu & Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli vel caterorum SS.*

In villam meæ propriæ quæ vocatur Epternacus, sitæ super fluuio Sura, seu & Monasteriolum ibidem ad monachos peregrinos conuersandum, vel . . . . . pauperes ibidem alimoniam petendum, pro diuino respectu, vel pro animæ meæ remedio construxi. & dum sanctitas & dilectio vestra erga me vel monasterium meum assiduè agitur.

Igitur decreui apud animum meum, vt vos de rebus meis propriis in aliquo consolari deberem; quod ita spontanea voluntate feci. Idcirco dono vobis donatumq; esse volo, memoratas Basilicas Sanctorum

ad

ad gubernandum vel dominandum.

Itemq; Dono vobis ad supradicta loca SS. portionem meam in ipsa villa Epternaco, hoc est, quantumcumq; ex successione Paterna vel materna mihi obuenit, tam in domibus quàm adificijs, mansis, mancipijs, vineis, terris, campis, pratis, siluis, aquis aquarumq; decursibus; seu & pastores vaccarios, porcarios, vernecarios, cum gregibus eorũ vel cum appendicijs suis, id est Baidalingo, Mathofonillare, vel portionem nostram in Oxiuuillare, exceptis hominibus illis, quos per epistolas nostras ingenuos relaxauimus.

Similiter dono vobis, vel ad supradictas Basilicas, vineapedecuram vnam in monte Viennensi, cum vinitore nomine Alitfrido, cum omni peculiari suo.

Ista omnia, vt dixi, ad ipsa loca SS. vel vobis, à die præsenti, tradimus atque transfundimus, ad gubernandum vel ad dominandum: ea ratione, vt quidquid de re superius memorata in Dei nomine facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem.

Nam si quis contra hanc Chartulam donationis mea venire tentauerit, inferat fisco auri libras decem, argenti pondo viginti, manente nihilominus firmitate. Actum Treuiris, sub die Kalend. Nouembris, anno 4. Domini nostri Childeberti Regis.

Ego Huncio in Christi nomine Presbyter hanc chartulam donationis iubente Domina Irmina perscripsi & ipsa super manu propria vnà cũ testibus firmauit: & qui subscripserunt in præsenti rogauit.

Ego Irmina in Christi nomine hanc donationem relegi.
Basinus Episcopus.
Leodowinus Episcopus:
Theodefridus Presbyter:
Waltharius Diaconus:
Gangbertus Presbyter.
Hudobertus Presbyter.

Annotationes in dictum Diploma.

Domino S. ac Venerabili Patri &c.

NOta, nomen Patris ac Domini non consueſſe olim attribui niſi Epiſcopis, aut ad ſummum Archimandritis, ideoque eo titulo Willibrordum hîc honorari. Inferiores Eccleſiaſtici appellabantur Clerici, Presbyteri, Diaconi &c. quemadmodum in ſubſcriptione diplomatis eſt obſeruare. Sęculum noſtrum liberalius paſſim Sacerdotibus, præſertim Religioſis, nomen Patris impertitur.

Willibrordo. Sic apud Bedam, ſic apud lectiſſimos Authores, non Willebrordus, Wilbordus, Willebrodus, Gwillebrodus, Willigbrodus aut ſimile. quod nota pro diſſertatione 3.

Irmina. Hanc beatam Dagoberti primi Francię Regis filiam ſunt qui ſcribunt, quod mox confutauimus, exiſtimantes eſſe potius Dagoberti ſecundi filiam, aliam ab iſta. ſi quis contendat eſſe vocarique filiam Dagoberti primi, eo quod ipſius neptis & ipſe eius auus ſiue abauus fuerit, nolim multum reſiſtere: non enim invſitatum Neptem filię nomine venire: exempla ſunt apud Molanum. Titulo

lo Beatæ cur hanc venerer, certum testimonium non habeo. Piè admodum vixisse, ipsa facta docent.

Abbatissa, cuius Cœnobij, cuius instituti fuerit, non exprimitur. Florebant apud Treuiros & iuxta, plures Parthenonæ, quarum cui prefuerit, mihi non constat. Horreensem rexisse Beatę Irminæ siue immediatè, siue mediatè succedaneam, non improbabile.

Proconsilio &c. Id est cum consilio &c.

Basini. Fuit, inquit Miræus in annotationibus ad hoc Diploma, primùm Abbas Maximini Treuirensis, post Archiepiscopus Treuirensis.

Leodwinus seu Leodewinus, nisi fallor ait idem ibidem, fuit Auunculi sui Basini successor in Episcopatu seu Archiepiscopatu Treuirensi, quem alij nuncupant Leduwinum, ceu Lutuinum : & scribunt fuisse Abbatem ac fundatorem Monasterij Mediolacensis. Viuente autem auunculo suo potuit Leodeuinus fuisse Episcopus ad conuersionem gentilium ordinatus, more illius ęui. Potuit etiam Leodeuinus Basino suffraganeus fuisse in vasta Diœcesi Treuirensi. Adde varias ob causas nonnumquam duos simul vnam Cathedram tenuisse, vt D. Augustinus Hypponensem viuente & tenente adhuc Valerio: Liethardus Cameraci Episcopum egit viuente & simul agente Burchardo: quinimò non raro Episcopi abdicatis Cathedris, substitutis Successoribus, ad Monasticen priorem refugerunt, & simul titulo Episcopali honorari perseuerarunt.

Basilicas in nomine S. Trinitatis vel in honore Glorioßimæ Virginis Mariæ. Notent Nouantes ab antiquo Ecclesias in honorem Sanctissimæ Trinitatis, B. Mariæ & aliorum Sanctorum constructas. Has fundationes S. Willibrordum suscepisse, gubernasse, laudasse, approbasse.

Quæ Vocatur Epternacus: sic propriè & vsitatè scribitur, aut Efternacum more Germanico p. per f. enuntiantium.

Super Sura. Sura fluuius est nauigabilis in vel ex Mosella fluens, in quo liberam potestatem vtendi nauium cursu & recursu Abbati Epternacensi concesit Henricus Imperator, stabiliuitque ex deuotione erga S. Willibrordum Lotharius tertius anno 1131. Vide Miræum in 2. codice donationum cap. 45. falsi autem aut improbi admodum sunt, qui scribunt S. Willibrordum exstruxisse Cœnobium Epternacense ad Mosellam, cum Mosella Treuirensem vrbem perlabens quinque milliaribus ab Epternaco fluat.

Seu Monasterium ad peregrinos monachos &c. Sæculo 6. 7. & 8. plurimi Diuino impulsu confluebant peregrini Angli, Scoti, maximè Hiberni Christianã fidẽ Barbaros erudiendi causa in Austrasiam vicinasque ditiones Regum Franciæ. Cuius testes sunt Sacræ eorundem exuuiæ penè omnibus Belgij locis depositę, relictæ, & populi deuotione celebres, de quibus consulendi Molanus in Natalibus SS. Belgij, Miræus in fastis Burgundicis. Tantę Dei Beneficentiæ minimè ingrati Reges & Principes viri, inter quos Pipini, eorumque coniuges & affines, Priuati etiã homines, Viris Sanctis excipiendis, alendis, fouendis, eorum instituto promouendo, hospitalia, monasteria condere, bona sua offerre. Factitabat idem S. Adelia Orpiensium in Gallo-brabantia Patrona, quę receptioni talium Peregrinorum Anglorum & Scotorum feruentet studens, in eum vsum Monasterium suum aptauerat.

Dum Sanctitas Vestra &c. Erga me vel Monasterium meum, &c. hinc colligo S. Willibrordum ante conditum suum cœnobium sæpius Epternaci versatum, nunc pro alimonijs sibi fratribusque in Frisia procurandis, quæ inter Barba-

ros

ros ęgre habebantur, nunc à tumultibus Friſicis aliquantulum ſecedens & Lutzenburgijs ſpiritualem operam impendens. Hæc conuerſatio Pio Viro notitiam & beneuolentiam Irminæ tandem acquiſiuit.

In monte Viennenſi. Multa loca ſunt eo nomine inſignita, Vienna Auſtriæ, Vienna Gallię fluuius, Vienna in Gallijs. Hic per Viennã ſeu montem Viennenſem *Vianen* aut *Viandeu* Oppidum in Ducatu Lutzenburgenſi Comitatus titulo clarum, à 300. pene annis familię Naſſouię inoculatum; nã circa annum 1350. filius Othonis Comitis Naſſouij duxit in vxorem Comitiſſam Viennenſem, nunc Viandenſem, à quo tempore Comitatus Viandenſis continuò genti Naſſouiæ adhęſit.

Sub Die Kalendarum Nouembris. Thiofridus Abbas Epternacenſis in Manuſcripta vita S. Willibrordi ponit in Kalendis Decembris, vt annotat hîc Miræus.

Anno quarto Childeberti. Is eſt annus 701. aut 702. hinc ſumas octo circiter annis prius donaſſe Irminam medietatem Epternacenſem, quam ſuam portionem adijceret Pipinus, quamquam aliqui Scriptores ſuo modo loquendi videantur contrarium dicere, nimirum Pipinum prius ſuam dediſſe, poſterius Irminam ſuam addidiſſe.

Hudobertus. Mihi idem eſt quod Hubertus: iſtud enim nomen varias mutationes ſortiri docet Ioannes Roberti in vitam S. Huberti, apud quem legere eſt amplè de ijs. Ex hac donatione Irminæ ſua propria, & ſuapte authoritate donantis, apparet vel fuiſſe Abbatiſſam commendatariam, non Religioſam per tria vota eſſentialia, qua lesetiam priſcis ſęculis inter Nobiles inueniebantur: vel coluiſſe inſtitutum Canonicum in quo ſeruata proprietate in cõmuni victu Deo ſeruitur, ad normã Clericorum in communi degentium, cuius normæ Cœnobia ſæcu-

lum septimum & octauum amasse supra dissertat. octuagesima demonstrauimus: & hodie supersunt Montibus Hannoniæ, Malbodij, Niuellis, Andaini, Sustris &c. quamquam antiquo viuendi ritu non parum demutato.

Dissertatio 100.

De donatione Imperialis Werdæ. Examinatur & explicatur Marcellinus.

Præclarè Nazianz. orat. de amore pauperum: *Nihil*, ait, *tam diuinum homo habet, quam de alijs bene mereri. Ex calamitoso fis Deus Dei misericordiam imitando.* Quin & Seneca lib. 3. de Beneficijs cap. 15. *Qui dat beneficia, deos imitatur; qui repetit, fœneratores.* Denique Cicero orat. pro Ligario; *Homines ad deos nulla re propius accedunt, quam dando. Nihil habet fortuna melius, quam vt possis; nec natura melius, quam vt velis seruare quam plurimos.* Horum apophthegmatum strenuus auscultator & imitator fuit Pipinus. Eius munificam largitatem hactenus experti sumus in fouendis, recipiendis viris Apostolicis, in erigendis, ditandisque Episcopatu Vltraiectino, Cœnobijs Andainensi, Orpiensi, Epternacensi. nec hîc stetit regia eius liberalitas. S. Swiberto cedit Insulam quandam Rheni dictam Cęsaris Werdam, tum in eius asciscendorumque Religiosorum alimentum, tum ad procurandam partim suorum subditorum, partim antiquorum Saxonum vicinorum (nunc Westphalorum) gentilium salutem. Hanc Werdensem translationem eiusque occasionem sic describit Marcellinus nobis Pseudomarcellinus

cellinus capite 22. *Interea attendens S. Swibertus glorioſus Pontifex, gregem ſuum hac illacque diſperſum, & quod nullum fructum nullaſq; indu ias inter vtraſq; partes cum ſuis propter ſaxea Saxonum corda facere poſſet, exoranit aſſidue Dominum vt ei iam ſeni locum oſtenderet vbi habitare deberet. Tandem angelica reuelatione admonitus præcipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, qui ei aptum locum permanendi cum ſuis condonarent. Igitur S. Swibertus valefaciens Boructuarijs cum ſuis presbyteris & clericis ac nonnullis Chriſtianis per ſqualida & deuia loca in magno diſcrimine ferocium Saxonum Coloniam vſq; Deo comitante & dirigente vias ſuas peruenit. Erat autem eo tempore ſereniſſimus Pipinus Dux habitans in Ioppiliacum Alpaide pellice ſua: Plectrudis vero Dux eximia & deuota Princeps moram traxit Coloniæ Agrippinæ in palatio Ducum Agrippinenſium & Lotharingorum, quod per eam mutatum & conſecratum eſt in Clauſtrum Sanctimonialium intitulaturq; Eccleſia glorioſæ Virginis Mariæ ad Capitolium. Cumq; ea audiuiſſet aduentum S. Swiberti Magnifici Præſulis gauiſa eſt gaudio magno. audierat multoties à pluribus celeberrimam ipſius opinionem, depoſitoq; faſtu regalis excellentiæ ipſum cum Venerabili patre Annone Archiepiſcopo Colonienſi honorifice & deuote recepit ſecumq; aliquot diebus detinuit, ac miro ſemper eum humilitatis affectu coluit, vt abeo ſecretioribus colloquijs ſalutis verba mereretur audire.* Huc vſque Marcellinus conſequenter enarrans duo miracula per S. Swibertum Coloniæ coram Plectrude patrata, capite 23. reſumpturus & completurus donationem Werdenſem. Sed antequam eò veniamus, ſiſtamus illum & parumper examinemus & illuſtremus. Quod dicit, *præcipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, &c.* non coheret cum eo quod ſtatim ſubditur; *erat autem eo tempore ſereniſſimus Pipinus Dux habitans in Ioppilia cum Alpaide pellice ſua: Plectrudis vero Dux &c.* ex priori enim apparet

Pipinum

Pipinum & Plectrudem simul habitasse & communicasse vt coniuges: ex posteriori fuisse diuulsos & habitatione & thoro.

Valefaciens Boructuarijs) Hos nonnulli statuunt in Comitatu Marcano siue in Comitatu Bergensi Westphaliæ. Probabile admodum est esse eosdē quos Tacitus Bructeros nominat Tenchteris & Phrysijs vicinos, qui sederunt inter Amisiam & Lippiam amnes, vt Coesfeldij, Monasterienses, ijsque versus Rhenum propinqui: Sic enim lib. 1. Annal. *Cæsar Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumē Amisiam mittit*, à Rheno scilicet. Et statim; *Bructeros sua vrentes expeditacum manu Stertinius missu Germanici fudit. Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum, quantumq; Amisiam & Lippiam amnes inter vastatum; haut procul Teutoburgensi saltu in quo reliquia Vari legionumque insepultæ dicebantur.*

Habitans in Ioppiliacum Alpaidepellice sua, Plectrudis &c. Anno 708. aut circiter, quo hæc impetratio Werde secundum Marcellinum debet esse facta, diuortium Pipinià Plectrude legittima perduraſſe, confutatum est differt. 92. & longè aliud præ se ferunt verba Bedæ infra producenda agentis de eadem Werda.

Ioppilia. Nomen erat vici è regione pagi Herstallensis non procul Leodio ad Mosam, in cuius supercilio Pipinus arcem exstruxerat, ad quam loci amenitate captus frequēter diuertere solitus erat. Eandē in delitijs habuerunt successores vsque ad Ludouicum Caroli Magni filium, post quem non legitur exculta, imo potius desijsse, Imperatoribus alibi alia palatia excitantibus & amantibus. Arx etiam Herstallensis dicta quod sub Herstalli complexu eo tempore, vt reor, contineretur, vnde & Pipinus Herstallus. Supersunt & modò Ioppilia & Herstallum distincti & diuersarum

tarum iurisdictionum pagi ad peculium Nassouiorum pertinente Herstallo; sed à veteri nobilitate degenerarunt, nec Pipinianæ arcis vlla visuntur vestigia.

Agrippina, vetustissimum hoc vrbi Colonienſi cognomentum ab ipsis incunabulis: Non à M. Agrippa viro consulari, quod quibusdam visum, sed ab Agrippina M. Agrippæ ex filio nepte Cæsaris Neronis Matre. Debentur quidem initia ciuitatis M. Agrippæ, sed nomen, Agrippinæ. Cum Vbij veteres Germaniæ populi Transrhenani habitatores Sueuorum vicinorumque Germanorum quotidianas iniurias ægrè sustinerent (qui eo acerbius eis bellum faciebant finibusque pellere conabantur, quod inito cum Romanis fœdere communem Germaniæ libertatem primi deseruisse viderentur) venià Cæsaris Augusti Rheno traiecto Gallorum & Menapiorum agris insederunt, exstructo ad Gallicam Rheni ripam nouo oppido sub patrocinio ac fide M. Agrippæ generi Cæsaris Augusti, qui eos auctoritate Romani nominis ab incursu hostium facile tutos reddidit. Sed cum noua ciuitas commigrantibus in proximos agros incolis (agrum enim excolere quam oppidum malebant) rarò habitaretur, Agrippina neptis Agrippæ apud Gallicos Vbios nata, Coloniam veteranorum Italorum militum in eam deduxit. Ciuitateque insigniter multisque beneficijs adornatâ, facile obtinuit exstincta Vbiorum appellatione à se Colonia Agrippina vt diceretur, quemadmodum diserte asserit Tacitus: *Sed Agrippina* (inquiens) *quo vim suam socijs quo q; nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos Coloniam q; deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius; Ac forte acciderat vt eam gentem Rheno transgressam auus Agrippa in fidem acciperet.*

Feracissima Roma perplurimas Colonias in regiones

exteras de duxit, de quibus late Ouuphrius Panuinius enumerans vltra 200. Vbi miratus fui non parum interea non commemorari celebrem Coloniam Agrippinam & Coloniam Traianam quæ modo est oppidum Sanctis in Cliuia patria S. P. Norberti. forsan Onuphrio Italo ex Italicis monumentis scribenti Germanicæ & Belgicæ Coloniæ non occurrerunt.

In palatio Ducum Agrippinensium Nemo vnus mihi occurrit ex vetustis fide dignis qui Duces Agrippinenses commemoret aut Coloniam Ducatus titulo insignitam: Erant qui præsidebant post reges Franciæ seu Austrasiæ Duces Austrasiæ, sub cuius ambitu erat Colonia. Commemorantur quidem Reges Agrippinenses, qui etiam Brabantiæ nostræ præfuissent, sed ab ijs qui à temporibus Iulij Cæsaris (vtor verbis Molani in præfatione ad militiam sacram) aut longiore mendaciorum catena à diluuio Noe, Brabonum multorum seriem & historiat recentibus scriptis vsque ad tempora Pipini primi deduxerunt, quique non historiam scripserunt, sed in confingēdis nescio quibus Vtopię monstris earumque ampullosis nugis, bonas horas malè collocauerunt. Vide etiam hist. Brab. I. B. Gramaije cap. 1. Quare hoc nomen de sua liberali pharetra deprompsisse existimo Marcellinum & quidē non omnino ineptè; quamquā enim non credam titulum illum S. Marcellini calamo subfuisse aut eius sæculo notum, tamen recentior componere potuit à primaria vrbe siue residentiâ, quemadmodum olim Duces Lotharingiæ Comites Louanienses, Bruxellenses: Comites Hannoniæ Comites Montenses sunt intitulati à nobilioribus vrbibus; sic Duces Austrasiæ appellati Duces Agrippinenses à digniori siue nobili vrbe, cuius erant possessores & inhabitatores. Adde hîc dissert. 71. de vario Ducū genere.

Et Lotharingorum. Duplici signo sese hic prodit hypocrita. 1. Dans Pipino eiusque prædecessoribus ducatum Lotharingorum, quod nomen post ætatem S. Marcellini demum enatum esse differt. 74. est ostensum. 2. Tanquam separatos enumerans Ducatus Agrippinensium & Lotharingorum qui prius nominabantur Austrasij, quasi duo essent Ducatus Agrippinensium & Lotharingorum: idem vnusque erat Ducatus Lotharingorum siue Austrasiorum; qui erat Dux Agrippinensium, erat simul & illorum, quia Colonienses erant Lotharingi & tempore S. Marcellini dicebantur Austrasij. Rectius loco, &, posuisset vel, seu, aut quid simile.

Ad Capitolium. Sicut auspicijs Romanorum Colonensis Vrbs est condita, ita ad eorundem mores eius magistratus est compositus, ac ad imitationem Romanæ vrbis Capitolium in ea supra monticulum positum, & quidem, vt asseritur, ab ipso M. Agrippa viro consulari. Quod per Francos Rhenano tractu Vbijsque in subiectionem redactis, Francorum Ducibus in palatium & habitaculum cessit. Illud ipsum Pipinus Plectrudi abiectæ in habitationem permisit, vbi ipsa quadriennio circiter humanis casibus non succumbens singularis patientiæ & deuotionis exemplar se exhibuit. Illâ à viro receptâ, ille & illa coniunctim Capitolinum Palatium ad Dei ac S. Dei Genitricis honorem in cœnobium Canonicarum conuertunt inter plures Colonienses Ecclesias Collegiatas numeratum, in quo & ipsa confundatrix sepulturam elegit. Vide differt. 92. & Erhardum Winhemium in Sacrario Agrippinç. Deinceps insequenti cap: complet sollicitationem S. Swiberti & donationem Werdę per Pipinum. Pro cuius explicatione sit

Dissertatio CI.

Prosecutio donationis Werdæ.

Cap. 23. Post enarrata aliquot pia colloquia Plectrudis cum S. Swiberto subiungit: *Et ne ingratus illis beneficijs videretur* (Plectrudis) *cõsensu & admissione Venerabilis patris Annonis Archiepiscopi Coloniensis, direxit S. Swibertum Episcopum cum prafato Gerardo Palatino de Ardenna, sanato à peste Anginæ per eundem S. Swibertum, cum litteris commendatitijs ad illustrem Pipinum Principem petens & postulans obnixe, vt viro Dei Swiberto donaret vicum Werdam in insula siue littore Rheni, vt gentili Saxonico populo illic cum suis prodesse & præesse posset. Pipinus vero senex prouectaque ætatis honorifice S. suscipiens Swibertum, cum suis aliquanto tempore secum detinuit vt verba vitæ ab eo audiret, eo quod pridem à plerisq; multa laude digna audierat. Tandem vt hilaris dator sitiens æstuanter conuersionem gentilium, volensque cultum diuinum augmentare ex regali munificentia benigne eundem vicum ei propter profectum & firmamentum suorum Principatuum donauit, addens & efferens ex copioso thesauro suo, aurum & argentum multum nimis quibus Ecclesiam siue monasterium ibidem ad honorem Dei ædificaret, & populum barbaricum, fidei Christi prorsus ignarum, verbo vitæ reficeret.*

Hîc Marcellinus insinuat vel inuitus abdicationem repudij Plectrudis à Pipino & repetitam coniunctionem tanquã verorum coniugum. Quomodo enim alioquin illa plurimis annis abiecta voluisset aut ausa fuisset à Pipino petere? quomodo litteras commendatitias ad ipsum mittere? quod pondus apud Pipinum & Alpaidem habuissent? quomodo S. Swiberto ipsius intercessione libuisset vti? potius

tius timuisset offẽsionẽ vtriusq;. quomodo nõ prius adisset & postulasset à Pipino? quare placet fidelis & simplex narratio V. Bedæ quam sequuntur Leydensis & qui ante hunc Marcellinum scripserunt: *Qui* (Swibertus) *accepto Episcopatu de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuariorum secessit ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longe post tempore Boructuarijs à gente antiquorum* Saxonum *dispersi sunt quolibet hi qui verbum receperant, Ipseque Antistes cum quibusdam Pipinum petijt, qui interpellante Schildetrude coniuge sua dedit ei locum mansionis in insula quadam Rheni quæ lingua eorum vocatur in littore. In qua ipse constructo monasterio, quod hactenus hæredes eius possident, aliquamdiu continentissimam gessit vitam ibique diem clausit vltimum.* Ita Beda lib. 1 cap. 12. Hic nullæ diuortij indicinæ: imo potius coniunctionis aperta argumenta. Nec fuisset ignotum Bedæ, nec destitisset verbulo insinuare.

In textu Marcellini mentio est V. Annonis Episcopi Colonienſis. quotus iste Antistes fuerit, quot annis sederit, quo anno defunctus, incertum. Diuersi diuersos Episcoporum catalogos numerosque conficiunt & tanquam certos proponunt. In ista varietate consului R. P. Georgium Garnefelt Carthusianum Colonienſem in Annalibus Ecclesiasticis Colonienſibus elaborandis plurimis iam annis exactissimè versantem, qui mihi assignauit regulam, quam amplector & amplecti debet quisquis hac in materia errare & dubia pro indubitatis obtrudere nolit. Est vero hæc: *Quæ ad Episcopos Colonienses attinent, ea duplicis generis sunt: primo quædam obscura, vsque ad annum Christi* 923. 2°. *quædam clara, ab anno expresso vsque ad nostra tempora.*

Addebat idem Pater seriem Episcoporum Colonienſium qui præfuerunt ab aduentu S. Willibrordi vsque ad obitum S. Ludgeri id est ab anno 690. vsque 809. vt vel hoc

modo meo instituto pro sua beneuolentia inseruiret. Libet eam appendere, lectori (spero) vtilem futuram.

Adeluuinus sub Theodorico Rege Francorum, ex *MS.* catalogo.

Giso sub Clodouæo 3. & Hildeberto R. ex MS. Catal.

Anno primus sub Dagoberto 2. ex MS. cat.

Pharamundus sub eodem. ex MS. cat.

S. *Agilolphus* primus sub Hilderico R. huius vitam habeo MS. & statuo illum Martyrio coronatum anno 718. 9 Iulij.

Raginfredus sub Theodorico 2. ex MS. cat.

Agilolphus secundus præfuit 748. ex Surio & Baronio.

Hildegerus sub Pipino Rege occisus à Saxonibus anno 755. pro fide. ex MS. cat.

Bertelinus annis 10. sub Pipino Rege. ex MS. cat.

Recolphus annis 22. sub Carolo Magno. ex MS. cat.

Hildeboldus annis 34. sub Carolo & Ludouico Impp. & Ludouico cum Regem vnxit. ex MS. cat.

Retineat diligenter hunc elenchum qui res Ecclesiasticas Belgicas sæculi octaui enarrare aggreditur.

Anno siue Annō iste primus est istius nominis Ep. Coloniensis, qui cum S. Willibrordo interfuit translationi sacri corporis S. Lamberti Traiecto Leodium per S. Hubertum de qua alibi. An fuerit verus Archiepiscopus quemadmodum hic nominat Marcellinus, an simplex Episcopus, discutietur postea. Alius est Anno secundus istius nominis eiusdem vrbis verus Archiepiscopus defunctus anno 1075. Sancti titulo decoratus. Huius vita late scripta est iussu Reginhardi, procuratoris Cœnobij Sigebergensis cuius S. Anno est fundator ibidem requiescens. eundem laudat Lambertus Schafnaburgensis eius contemporaneus in Chronico Hirsfeldensi ad annum 1075.

Quo anno S. Swibertus Werdam obtinuerit.

SI ductu texturę Marcellinianæ trahamur, peracta erit anno 707. aut potius 708. nam iuxta ipsum cap. 19. ad Boructuarios venit S. Swibertus anno 705. & iuxta caput 22. biennium & aliquid vltra hæsit, post quod tempus statim Plectrudem & Pipinum adiens Werdam obtinuit. ex quibus consequitur impetrationem peractam anno 708. Id ipsum ad dictum annum reponit Miræus & nos in tabula Chronologica secuti sumus. Franc. Haræus in Annalibus Brabanticis ita pergit: *Quin etiam anno 702. testante Beda, Swibertus antistes S. Willibrordi sodalis cum quibusdam Pipinum petijt, qui interpellante Plichdruda coniuge sua dedit ei locum mansionis in insula quadam Rheni &c.* Verus, aut vero propinqiùs est Harçus, nisi quod addat, testante Beda, quasi id, quoad annum scilicet, testaretur Beda, cum Beda nullum annum nominet, imo acta Swiberti breuissimè perstringat nullo facto annorum calculo.

Fateor equidem ego annum donationis incertum esse, attamen non illibenter in eam abeo sententiam contigisse anno 701. aut 702. est ille admodum conformis verbis Bedæ supra relatis, quamuis illum non exprimat aut testetur. Verba talia sunt: *qui (* Swibertus *) accepto Episcopatu de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuariorum secessit &c.* Intellige post reditum Willibrordi à Româ & absoluta Synodo habita anno 698. Deinde sequitur: *Sed expugnatus non longo post tempore Boructuarijs, (* intelligo post biennium aut ferme triennium *) à gente &c. Ipse antistes Pipinum adijt &c.* Hinc exurgit petijsse Pipinum & Werdam obtinuisse anno 701. vel 702. Consonat ratio, nam credibilius

dibilius est S. Swibertum post separationem à S. Willibrordo anno 698. quam citò certâ sedē sibi cōparasse, quâ ingētes excurreret, in quâ se reciperet, neophytos cōgregaret, propriam vitam excoleret, credibilius, inquam, quam per decennium expectasse, instabili loco discurrisse. Venerabilis igitur Swibertus sui postulati compos, quam primùm in insula Cœnobium construere, discipulos adunare, sacratissimis legibus imbuere, vicinos gentiles erudire, ipsemet sanctissimè viuere omni diligentia cœpit.

Nota 1. Cæsaris Werdam Rheni insulam, vocari etiam *In littore*, quod (quantum arbitror) paruis riuulo & alueo discreta esset à cōtinente, id est iuxta littus. Hinc colligo facile postea exsiccato aut obstructo alueolo cū continente coaluisse, prout modo est coniuncta.

Nota 2. Illa Bedæ, quæ lingua eorum vocatur in littore, interpretatur Leydensis, Anglorum. Verius, illorum, antiquorum Saxonū siue Westphalorū. Ad hos respicit Beda, ad hos spectabat insula, hi nomen insulæ dederunt.

Nota 3. Reperiri plura loca nomine Werd & Werden siue Werdena, sed alia à supradicta. Werd oppidum Westphaliæ. Werden similiter distans tribus circiter leucis à nostra Werda imperiali. Werdenę Monasterium est ordinis S. Benedicti in quo requiescit S. Ludgerus primus Episcopus Monasterienſis tempore Caroli Magni, cuius vitam conscripserunt eiusdem conuentus Monachi. Hoc obserno quia legi Werdam Cæsaris & Werdenam apud bonum authorem confusas.

Nota 4. esse in Germania alium locum dictum Insula Rheni decoratum Cœnobio Benedictino Allemannicè **Rheinaw**, vbi S. Fintanus Princeps Laginiæ prouincæ in Hibernia spreto Mundo sponte pro Christo exul, post salutata limina Apostolorum anno ætatis suæ 51. Monachus reclusus

cluſus factus rara vitæ auſteritate, ieiunijs pęne perpetuis orationibus continuis egit 27. annos & ibidē in ſua clauſa miraculis & crebris cæleſtibus viſionibus clarus migrauit in cælum 15. Nouembris Anno Chriſti 827. ætatis verò ſuæ 78.

DISSERTATIO CIII.

De prima profectione Winfridi in Friſiam. Exponitur Othlonus.

SAnctus Winfridus, qui & Bonifacius, in Britanniâ Monaſticæ perfectionem excolens, imbuitur ab alto lucrandarum animarum, præcipue gentilium, quorum miſeriam miſerabatur, deſiderio. Inde impetratâ veniâ à ſuperioribus profectionem Friſiam, in qua parte contribules laborare inaudierat, adoritur dequa Othlonus libro vitæ Bonifacij primo cap. 8.

Sicq; vtriuſque hominis ſupplemento ſuffultus, proſpero curſu profectus eſt, peruenitq; ad locum, qui antiquo Anglorum & Saxonum vocabulo appellatur Lundenvic, ac non multo tranſacto poſtliminio, tranſijt ad Dorſtet, ibiq; aliquandiu commoratus, debitas Deo perſoluit die noctuq; laudes. Sed quoniam per idem tempus hoſtilis diſſenſio exorta inter Karolum Principem glorioſumq; Ducem Francorum, & Ratbodum Regem Freſonum, populos ex vtraq; parte perturbabat, maximaq; pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum prius in Freſia ſubiecta erant imperio, Ratbodi perſecutione incumbente, idolorum culturæ lugubriter reddebatur: Ideoq; vir Dei, perſpecta tanta peruerſitatis mole, ex illis partibus diſceſſit, & peruenit ad Trehte, ibiq; etiam commoratus aliquantis diebus, aduenientem Regem Ratbodum allocutus eſt, obſecrans, vt à tanta prauitate quieſceret.

Caput hoc perobscurum est si ad temporis rationem lustremus: nam videtur dicere in primo aduentu Bonifacij ad Frisiam, qui fuit Anno 704. aut parum ab eo, Carolum, scilicet Martellum, Francorum Ducem fuisse, cum Ratbodo bellasse, quod falsum est. Carolus enim non adeptus est principatum Franciæ, aut bellauit cum Ratbodo nisi post obitum Pipini patris, qui contigit Anno 714. & dum è carcere nouercali esset elapsus Anno 716. Vnde insedit suspicio nomen Caroli ab aliquo glossatore interpositum & eius loco substituendum Pipinum per idem tẽpus Ducem Francorum.

Similiter quod refert de persecutione Ratbodi, intelli-ge de inuasione in Frisiam postquam Traiectum à Pipino Anno 693. fuisset occupatum, & obsidione Traiecti anno circiter 697. quo tempore irrito conatu Traiectum obsedit Ratbodus ab exercitu Pipini rursum fugatus. Vide supra dissertatione 47. & infra dissertatione 109.

Quod pergit: *Peruenit ad Treht ibique etiam commoratus aliquantis diebus aduenientem regem Ratbodum allocutus est obsecrans vt à tanta prauitate quiesceret.* Si intelligat allocutum Ratbodum in Traiecto quod castrum nuncupabatur, verum non est; quia à quo Anno 693. Traiecto expulsus fuit Ratbodus numquam deinceps obtinuit, nec ausus fuisset eò venire durantibus continuis inimicitijs inter ipsum & Francos Traiectum occupantes. In territorio Traiectensi aut alibi cum eo egisse, non negatur. Fuit verò magni spiritus & constantiæ ipsum alloqui ob amissas vrbem & citeriorem Frisiam in Christianos furentem.

Mansit vero Winfridus in Frisia per duodecim annos, quibus non solum tyrocinia Apostolatus, sed eximia Apostolica facta edidit. nam Frisiam accessit, non vt nouitius, non neotericus, sed iam sacerdotali dignitate honoratus,

noratus, à sap entia, doctrina, religione, rerum agendarum habilitate illustris famæ, vt precedentibus capitibus 5. 6. 7. Othlonus deprædicat, adeo vt tantum eruditionis iubar, tantum virtutis omnis exemplar à se discedere nollent, sed incenso ipsius zelo assiduisque peruicti obtestationibus, non è patria dumtaxat excedendi copiam fecerunt, sed necessarijs etiam ad tantum ac tale iter corporis animique subsidijs instruxerunt, viatico nimirum, comitibus & multis ad Deum precibus postulantes, inquit Othlonus, vt Angelus domini bonus comes eius vbique esset, eumque ad prospera cuncta dirigeret. Loquitur tamen idem de eius reditu in Angliam quasi in Frisiâ aut nihil, aut nihil alicuius momenti egisset aut eius prædicationi locus non patuisset; ita enim ibidem : *Post hæc vero peragratis illius terræ partibus sollicite explorauit, si alicubi in eâ prouinciâ prædicationis pateret locus, cumque diuturnâ inquisitione intelligeret se frustra ibidem prædicando laboraturum, arida spirituali fertilitate arua reliquit, & ad natale solum transmigrauit.* Quę verba commodè accipientur de tempore quo defuncto Pipino Herstallo ob contentiones de Maioratu & se mouente Ratbodo res Christianorum in Franciâ & Frisiâ erant turbatissimæ, non autem de tempore intermedio, quo Vltraiecti & in citeriori Frisiâ sufficiens erat tranquillitas, prędicationi laxum ostium aperiebatur, & nō dubitandum quin inconfusibilem operarium se prębuerit : erat namque eius zelus in corde instar flammę contineri nescię. tanti viro animi otiari non datur. Othlonus vel ipsius moras & acta in Frisiâ ignorauit, vel Germanus in Germaniâ ad Germanos scribens maximè studuit acta Winfridi Germanica suis Germanis tradere.

Dissertatio CIV.

De obitu S. Wilfridi Apostoli Frisiæ. Epitome Chronologica vitæ ipsius.

B. Wilfridus Apostolicę vitæ paradigma postquam quatuor annis Haguſtaldenſem Eccleſiam gubernaſſet, turbidum mundi mare emenſus æternæ quietis ad portum applicans, nauem optato in littore collocauit. Id inciſſe in annum 705. legitur apud Miręum, quod neſcio an non imputandum Typographis procliuibus errare in notis numeralibus; nam apud neminem alium illud inuenio, nec computus V. Bedæ patitur. Fran: Godwinus Pſeudoepiſcopus Landauenſis contigiſſe anno 711. fundamentum nullum proferens. Molanus aliquotque alij anno 709. Solidior eſt annus 708. idque ex ipſo Beda prout ex textubus ipſius, quibus acta Wilfridi perſequitur, collatis patefit. Nec cenſendi ſunt differre aut multum differre qui annũ 709. ponunt: nam ſępe aut alium modum inchoandi & terminandi annum prę oculis habent, aut inchoatos pro abſolutis ſumunt & contra. Ac in adeo parua differentia non eſt mathematicè præciſum quid definire, quodque parum diſtat, non diſtare videtur.

Vt autem genuinus emortualis annus ſimulque curſus vitę S. Antiſtitis clare cernantur, enarrabo acta eius epitomicè chronologicè. meretur hoc de nobis vir laudabilis, qui in conuertendis rigidis frigidisque Friſijs noſtro Willibrordo glaciem fregit, quique S. Willibrordi nutritor, imo Abbas fuit in Rhipenſi conuentu.

Anno 633. naſcitur Wilfridus & quantum colligere datur

datur in regno Northumbriæ ex quo S. Willibrordus, Swibertus, Beda pluresque sanctitate conspicui prodierunt.

Anno 647. anno ætatis 14. apud Lindisfarnum traditur monastica pietate & litteris imbuendus, non tamen professione fit Monachus.

Anno 651. cum esset annorum octodecim Romam visendi desiderio accensus, à Rege Cantuariorum datur in comitatu Benedicti pòst Wirensium Abbatis eandem cogitantis. Sed in Gallijs à Dalphino Archiepiscopo Lugdunensi iuuenis probâ indole recreato aliquantum detinetur. pòst iter propositum explens Romę rationem Paschalis Cycli & computum Ecclesiasticum edocetur.

Reuersus in Franciam adhæsit S. Dalphino annis tribus vsque dum Nanthildis (alias Bathildis) Reginæ furijs S. Antistes trucidaretur.

Inde in Angliam reuersus à Rege Northumbrorum benigne exceptus donatur mansione in Ripis in qua circa annum 664. constructo monasterio presbyter ordinatur.

Anno 664. Episcopus Northumbrorum estelectus cum esset annorum circiter triginta, vt loquitur Beda, id est annorum 31.

Renuens consecrationem accipere à Scotis Episcopis in Galliam profectus ab eius Episcopis consecrationem adipiscitur. Dum domum remeat, inuenit quadam factione in suam sedem intrusum Ceaddam. Quare cogitur tribus annis in Ripensi suo Cœnobio hærere; interim per diuersa loca sacerdotalia & Episcopalia officia petentibus Regibus & populis exequens.

Anno 669. per Theodorum Archiepiscopum Cantuariensium deposito Ceadda Northumbrorum cathedram occupat.

Anno 678. post 9. annorum sessionem eius prosperis successibus inuidentium conatu Episcopatu pulsus dum Gallias meditatur, flante Fauonio euitatis multis insidijs in via positis in Frisiam ad Adgillum Radbodi patrem peruenit, apud quem Idololatris prædicando hyemem exegit, fæliciter inchoans quod Sanctus Willibrordus fæliciſsmè perfecit.

Anno 679. Romam venit coram Agathone Papa causam dicturus, in qua præualet.

Anno 680. iubetur considere in Concilio plurimorum Episcoporum Romæ contra Monothelitas coacto.

Anno 681. in Angliam reuersus tantum abfuit vt iuxta iussionem Pontificis restitueretur, quin post perpessos carceres patria cedere compulsus in Westsaxoniam profugerit. Nec ibi à persequentibus omnino tutus. Nihilominus tam Australibus quam Occidentalibus Saxonibus gentilibus per annos 5. Christi Euangelium prædicare, Monasteria construere eorum Regibus percharus.

Anno 687. annitente Theodoro Archiepiscopo Cantuariorum antea infesto recuperat Northumbrię Episcopatū anno 2. Alfridi Regis.

Anno 692. tertiò expulsus Alfrido Rege in deterius mutato ad Regem Merciorum profugus inter eos Legeceſtrē-sem Diocœsim administrat, simul Mediterraneis Anglis Episcopalia & sacerdotalia officia impendens per annos decem prouincialibus amandus iuxta & reuerendus, plurima machinamenta Rege Alfrido & Bretvvaldo Archiepiscopo, qui Theodoro succesſerat, in Wilfridum struentibus, & deterentibus.

Anno 696. Romam vadit & ibi cum S. Will. est familiaris.

Anno 702. Septuagenarius vltimò Alpina iuga superans pro sui defensione Romam venit sub Iohanne Papa a-

apud

pud quem de aduersarijs triumphat.

Anno 703. Britanniam repetens Meldis cuitate Franciæ infirmitate pressus visione sanatur Angelica.

Anno 704. in Angliam reuersus non statim ad sedem suscipitur ob Alfridi Regis pertinaciam.

Anno 705. Alfrido mortuo adlaborante Elfleda Abbatissa eius sorore donatur cathedrâ Hagulstaldensi & Rhipẽ sis Cœnobij possessione.

Anno 708. postquam quatuor ferme annis Hagustaldenses gubernasset in cæleſtem patriam demigrauit longanimis patientiæ coronam non vnam percepturus, humato corpore apud Ripenses. Plures post annos Ripis Cœnobio destructo, Cantiam delatus Wilfridus inter præcipuos habetur, inter primicerios honoratur inquit Malmesburiensis. In Haguſtaldensi ei succenturiatus est V. Acca de quo actum supra. In Eboraco, defuncto Iohanne qui Sancti viri dignitatẽ diu occupauerat, succesit Wilfrid. alter qui iuxta Malmesburiensem Bedæ superuixit. Quocirca (ait idẽ) lis inextricabilis inter Cantuarienses & Eboracenses versatur: quod dicant Cantuarienses se Wilfridum seniorem habere, contra Eboracenses contendant hunc minorẽ ab Archiepiscopo Odone Cantiam translatum. Ita identitas vocabuli confusionum & litium semper est occasio. Hæc ad gloriam B. Antistitis Frisiorum pluriumque gentium Apostoli ex V. Beda Malmesb. alijsque Historijs Anglicanis.

DISSERT-

Dissertatio CV.

De Translatione corporis S. Lamberti Traiecto Leodium. Plurima eò pertinentia explicantur.

Nno 711. S. Willibrordus interfuit celeberrimis eleuationi translationique corporis S. Lamberti Martyris Traiecto Leodium factis per S. Hubertum illi viciniſsimum, & amiciſsimum. Narrabo eam ex vetuſto ſcriptore vitæ S. Huberti coæuo eiſdem & S. Willibrordo, tum ad eam plenius capiendam, tum vt videant Hagiomachi noſtri quanto honore curaue SS. Reliquias maiores noſtri habuerint quas ipſi adeò viliter & contemptim habent. Is capitulo 3: *Anno autem ordinationis eius* (Huberti) *duodecimo. Crebras ſibi prodidit* (Hubertus) *perlatas, ſub noctis quiete, viſiones, quibus ſe commonitum fatebatur, vti à Traiectenſi oppido, oſſa S. Lamberti leuaret, & in locum, quo celebratam eius paſſionem noſſet, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inæſtimabili recreauit gaudio. Attamen in quodam meditullio poſitus, cum neque viſioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret: quod ſibi erat occultum, iudicauit à Domino quærendum. Nam indicto cunctis, tam monaſterialibus, quam è ciuitatis Clericis, necnon & laicis, ieiunio, quæ ſibi diuina voluntas de his agere præciperet, magnopere requirere ſtuduit. Tandemq; edoctus, ancipiti ſummotâ ſententiâ, tertio decimo anno ſui præſulatus, cætu clericorum ſibi adiuncto, nec non populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Epiſcopis, & Sacerdotibus, tumulum venerandi viri adijt: ibi-*

demq;

demq; spirituales obseruantes excubias, diuinitatemq; pulsantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, vt quæ Antistiti suo faciendа mandauerat, quo perficerentur, cœptis annueret secundosq; prouentus attribuendo, suam voluntatem vt taliter fierent, cunctis palam ostenderet. Quorum pijs votis omnipotentiæ diuinitatis annuere libuit. Nam cum maximâ veneratione vrnam, quâ Sanctissimus cinis conditus seruabatur, adeuntes, absq; aliqua difficultate, busta beati viri ex loculo protulere, & cum magno gaudio, qua venerant, pedem referentes, in loco, quo passus est, terræ mandauere. Quantis autem, qualibusue miraculis, suum velle Dominus, in tali facto, per omne iter reuersionis eorum, commendarit, sedula gestorum eiusdem Sancti Pontificis annotata continent. Fabrica autem eiusdem Basilicæ, qua beati viri conditæ sunt reliquiæ, qualiter ab eodem viro S. Huberto ordinata sit, quia oculis videntium se offert, de ea aliquid dicere subsedi. Hęc vetustus ille auctor antequam vel Hussũ aut Lutherũ vel ex illis infęlicibus ouis natum pullum orbis vidisset. Nostrum est hîc aliqua annotare & elucidare. Ac in primis N. Diuinis oraculis, monitis, visionibus alijsque cælestibus signis corpora SS. sæpenumero esse inuenta, eleuata, translata, quo facto Deus declarat suæ voluntatis esse eorum venerationem & cultum. Talibus prodierunt ossa SS. Stephani, Gamalielis, Abybonis, anno 415. vide Baronium ex epistola Luciani illud fusè differentem ad dictum annum. Sancta Odilia de numero vndecim millium virginum dixit in visione Ioanni de Eppa conuerso Parisijs in conuentu S. Crucis: surge Frater; Coloniæ iuxta S. Gereonis Ecclesiam, in viridario Arnulphi, inuenies ossa mea sub piro marmoreo Sarcophago, quæ in primarium S. Crucis Cœnobium, iuxta oppidum Huiense, volo transferri. Molanus in natalibus 18. Iulij & in Indiculo SS. Belgij. Occisis per Barbaros duobus Euualdis radius lucis permaximus atque ad cęlum

vsque altus omni nocte super locum fulgebat illum vbicumque ea (Euualdorum corpora) peruenisse contingeret & hoc etiam Paganis qui eos occiderant intuentibus. Sed & vnus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis cui nomen erat Tilmon viro illustri & ad sæculum quoque nobili qui de milite factus fuerat Monachus, indicans quod eo loci corpora eorum posset inuenire vbi lucem de cœlo terris radiasse conspiceret. Quod ita completum est. Beda lib. 5. Hist. Anglicanæ cap. 11. Deus propter iniquitatem habitantium (in Doorne apud Antuerpiam) exosus locum, reliquias ipsius (S. Fredegandi) iussit altè transportari, vt nullum esset obstaculum contra desolationem. Molanus 17. Iulij de S. Fredegando. Cælesti oramate trahente corpora SS. Dijmpnæ & Gereberni Sacerdotis à nefario Hibernorum Rege occisorum in pago (Distat is semi-hora à nostro Tungerloensi Monasterio) Sammale ab incolis Geelensibus eleuantur inque eorum Ecclesiâ S. Martini honorifice transportantur. Sic vita eiusdem Sanctæ & traditio incolarum Sãmalensium & Geelensium. Quinimò ea certo loco velle coli seruarique indicat nonnumquam Deus. Ipso enim tempore quo Petrus & Paulus sunt Romę passi, testatur Gregorius lib. 3. Epist. 30. Orientales Christianos Romam venisse, vt ipsorum, tamquam suorum gentilium, reliquias veindicarent; sed diuino miraculo impeditos, eas secum portare nequiuisse.

N. Secundò, si quando oramata forent incerta, solere fideles per ieiunia iuncta precibus eorum declarationem à Deo impetrare. Vide epistolam Luciani supra & eundem Baronium ad annum 566. Sic Pater noster Norbertus sollicitus & incertus de reliquijs inueniẽdis, præindicto suis confratribus nouiter conscriptis ieiunio, reuelationem corporum SS. Gereonis sociorumque ac duorum Eualdo-

rum

rum obtinuit quæ ſuo Præmonſtrato inuexit.

Accitis etiam venerabilibus Epiſcopis. Hoc honoris defunctis ſanctis, & maximè Martyribus: hoc offi-cij viuis Fratribus, Coëpiſcopis, pij Epiſcopi præſtare ſolebant. Docent hoc hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæpenumerò obuiantes.

Spirituales obſeruantes excubias, id eſt nocturnas vigilias quæ in magnis feſtis magniſque negotijs frequentabantur. Vbi attende priſcum Eccleſiæ nocturnarum vigiliarum vſum, quas veteres, nunc lucernarium, nunc lucernales, veſpertinas preces, lucernarium officium, peruigilium, Tartullianus ad vxorem lib. ſecundo cap. quarto nocturnas conuocationes vocant; conſule Baronium de hoc vſu fusè diſcurrentem ad annum Chriſti 51. qui addit: *Porro de antiquo in Eccleſia ſacrarum vſu vigiliarum, de quo agimus, non ſolum innumera SS. Patrum tam Latinorum quam Grecorum ſuppetunt teſtimonia, ſed etiam ſcriptorum gentilium, videlicet Plinij iunioris, Luciani, Ammiani Marcellini*, quorum verba ibidem profert.

Sed quinam illi cöoperatores, coexcubitores acciti Epiſcopi? author neminem nomine expreſſit. Non negandum quin vocati ſint Epiſcopi S. Lamberto & Huberto familiares & vicini. Id ſuadent charitas & ratio. Cur enim relictis ijs è longinquo iuiſſet accerſitum Epiſcopos Hubertus? Inter familiares autem & vicinos facile primus numerandus S. Willibror. qui cum S. Lamberto de propaganda fide ſæpius contulerat: Huberto familiariter vtebatur, in cuius Diocœſi non raro videbatur quod in ea Princeps reſideret qui ſæpe erat adeundus: ab eodem Pontifice Sergio non longo ab inuicem interuallo erant Romæ Epiſcopi ordinati: item Diocœſes omnino contiguas habebant. Nobiſcum planè conſentit Ioannes Roberti in notationi-

bus ad dictum textum, qui simul alterius testimonium adducit his verbis:

Clarissimus Vir. D. Claudius Despretzin suis ad me missis Analectis, ex antiquis MS. scribit huic Translationi affuisse Annonem Archiep. Coloniensem, Rigobertum Archiepiscopum Remensem, Vindicianum Episcopum Atrebat. Garulphum Tornacen. Berkembodum Morinen. Dominicum Ambianen. & Willibrordum Vltraiectens. sem. Adde ego Swibertũ omnium nominatorum vicinissimum Werdæ ad Rhenum residentem. Cur enim adeo Reuerendus Antistes adeo loco propinquus negligeretur? præsertim cũ in more esset, vicinos Episcopos in simili negotio conuenire.

Vrnam qua Sanctissimus Cinis conditus &c. Nemo hinc putet Corpus S. Lamberti in cineres omnino abijsse. Nam quod hîc cinerem, ante sacra ossa, & post reliquias, busta, vocat author. Et affirmant Anselmus & Ægidius in gestis S. Lamberti cap. 11. Item in ijsdem Godeschalcus cap. 14. & Renerus ca. 26. integrum corpus S. Lamberti esse repertum. Eorum verba adferre non est opus. Reperies ea simul apud Chapeauille tomo primo Annalium Leodiensium.

In loco quo passus est terra mandauere. Is est Leodium, tunc villa parui nominis, sed quæ post aduentum reliquiarum S. Lamberti & simul eò translatam sedem Tungrensem auspicijs S. Huberti in magnum nomen adoleuit.

Qua vero sacra pompa rituue metaphoria illa sit peracta, particularius depingit nobis Godeschalcus illi ætate proximus, vtpote sub Pipino Francorum Rege & eius filio Carolo Magno in viuis agens, qui supra cap. 14. hæc: *S. Hubertus quondam illius discipulus, illo tempore Pontificatum procurans, auditis, cum prædictis miraculis, his visionum præceptis; cum timore Dei, omnem rei certitudinem scisciatur: & cognita*

veritate

veritate, scilicet quod Dei nutu hæc disponi constarent: bonorum virorum annitente adiutorio, & consilio, deliberauit, vt absq; dilatione, corpus Sanctissimum, ad locum prædestinatum, cum magno honore deferretur. Præparauit etiam indumenta cultiora, & omnia quæ essent necessaria in in sacratissimi corporis diuersis impendijs: & accessit illuc, cum multorum Sacerdotum, omnium Ecclesiasticorum graduum comitatu, & cum Christianorum multorum frequentiâ, qui secundum ritum diuinæ religionis, Psalmos, & hymnos decantarent. At venerabilia membra Christi Martyris, odore suauissimo fragrantia, Hubertus Pontifex salua & inte merata inuenit, quæ cum timore, & honore, imo de sepulchro eleuans, pretiosis vestimentis inuoluit: ea verò quibus fuerat tempore sepulturæ indutus, sub sigillis signata, reposuit. Hinc inde fratrum fideliter Psallentium Chori, suauissima organorum, & Cymbalorum modulatione, concinebant: & hinc Angelica agmina psallentia, & de triumpho S. Martyris Deũ laudantia, ab idoneis testibus, & visa & audita sunt.

Quid interim plebs Legiensis? eiusne corda insignierat Caluinanus character? Minimè. Audi ibidem eundem Godscalcum. *At omnes habitatores loci illius* (Legiæ) *gaudentes, in occursum S. Corpori, quod diu desiderauerant loco passionis reportari, exeuntes, cum magno honore suscipiunt, & condignum parant ei diuersorium, intra septa clausuræ suæ, complectens Martyrij eius ædiculam: quod opere artificum mirabili, & copiosâ mole auri, & argenti, & gemmarum, lapidumque pretiosorum, ac diuersis structuræ speciebus, ibidem à potentibus collatis ditatum est, in tantum, vt vix sermo exarantis queat exponere. Ibidemque, vt decebat, vrbana, & honesta memoria, ex ipsius S. Martyris præsentiâ exorta est, & omne decus, & speciosa compositio, non solum in Clero, sed etiam in plebe cæpit haberi: & in Dei veneratione populus, qui ante erat agrestis, & incultus, paulatim cæpit esse compositus, timoratus & religiosus.* Tanta erat virtus & reuerentia S. Corporis vt nõ solum in mores animorum, sed & in cor-

porum vim suam exereret.

Quod ad annum, ex hisce antiqui vitæ Hubertinæ scriptoris, quem initio dissertationis produximus, verbis, *Anno autē ordinationis eius duodecimo crebras &c.* ratiocinatur Roberti transpositas reliquias anno 709. concorditer ad suam opinionem de occisione S. Lamberti anno 696. Nos vero qui alium calculum supra inimus de occisione Lamberti scilicet 699., conformiter transpositionem sacri corporis reponimus ad annum 712. Sed quid? sacræ solenni pompę adfuit vel abfuit Pipinus? nulli historici eum præsentē exhibent, qui tamen & actum & stylum ornasset. Imaginor abfuisse, ne præsenti infamis parricidij memoria refricaretur & populi murmur recrudesceret.

Interim notent hîc fideiaduersarij, Episcopos & Sacerdotes gradu distinctos: clericos Monasteriales & alios: vigilias nocturnas: ossa S. Martyris sacra, Sanctissimum cinerem, corpus sanctissimum è terra reuerenter eleuari: cum magnò honore, cum frequentia populi Christiani, secundum ritum diuinæ religionis, psalmis, hymnorum decantatione deferri, honorari, pretiosis vestimentis inuolui: populum sacro corpori occurrere, ei sumptuosa ædificia parare: illatas reliquias plebis mores in melius reformare, quemadmodum nuper actum audiuimus in Bohemia dum sacrę exuuiæ sanctissimi Patris Nortberti summo triumpho Magdeburgo Pragam sunt inuectæ. An sunt hæc insignia scholæ Gebennicæ, an adhuc sęculum illud pientissimum Caluinisticum? an S. Willibrordum Caluinistam prędicabunt?

An simul cum corpore S. Lamberti sedes Episcopalis Traiectensis siue Tungrorum sit translata Leodium.

NOnnulli agentes de transmigratione reliquiarum S. Lamberti adiungunt, simul (tempore) esse translatam sedem Episcopalem Tungris siue Traiecto Leodium. Quantum ego ex historijs sapio, apparet mihi translocationem Sedis peractam esse post relatum corpus & serius quam anno 709. aut 712. Pro primo argumento iuuabit audire accuratum Happart apud Iohannem Roberti:

Cœpit, inquit, *Legiam muris cingere, præruptis scopulis vallibusque munire* Hubertus: *portas instruxit, & mœnibus circumdedit, quibus ab hostium incursu populus tutior, liberius Deo famularetur. Fundauit in eadem Ecclesiam in honorem intemeratæ Virginis Mariæ, Sanctique Lamberti. Triginta Canonicos ad diuinum cultum ibidem instituit, quos largis reditibus dotauit. Ædificauit & aliam Ecclesiam in pede publici montis, sub honore Apostolorum principis Petri, quindecim Canonicis in eadem positis, quos sub lege communiter victitandi, ex Ecclesia Tungrensi sufficienter dotauit. Adiecit insuper egregius Præsul in augmentum diuini cultus, & subleuamen Canonicorum maioris Ecclesiæ Clericos sex. Et quia horum erat, actis diuinis, mensis prouidere, Clerici Mensales, (qui iam Canonici) vocabantur.*

Ecclesias inter Traiectum, & Leodium, quas in translatione S. Lamberti designauerat, fideliter compleuit. S. Hubertus auctoritate Apostolicâ, per Papam Iohannem sibi commissâ synodum triginta Episcoporum congregauit, quorum ordinatione Tungrensem Ecclesiam transtulit, & plurimis dignitatibus, & priuilegijs decorauit. Verum S. Hubertus videns filiam sublimatam in matrem vt regale

gale sacerdotium obtineret; Ecclesiam esse Cathedralem, ipsaque ciuitatem caput esse Episcopij; diuersas leges, & plebiscita populo suo promulgauit. Et quia erat pacis & iustitiæ cupidus, iustam stateram ponderis, mensuram vini, & frumenti imposuit, & morosa plebi certa priuilegia, & libertates concessit. Ipse monetam publicam, sigillumque S. Lamberti imagine figuratum, cuius inscriptio:

Sancta legia, Romanæ Ecclesiæ filia, effinxit: Hactenus Happart.

Quod narret fundasse Hubertum in Legia Ecclesiam in honorem S. Lamberti: item Ecclesias inter Traiectum & Leodium quas in translatione S. Lamberti designauerat, fideliter compleuisse, & postea subiungat S. Hubertum synodo Episcoporum congregata eorum ordinatione Tungrensem Ecclesiam transtuliisse, docet transportatam esse Cathedram post euectas reliquias, & non simul.

Secundum argumentum est, quod nulli auctores qui sancti Lamberti vitam ex professo composuerunt apud Chapeauille dum migrationem S. corporis describunt, vllius translatæ sedis, rei tamen apprimè memorabilis, mentionem habeant, & si quis habet, diuerso loco & tanquam separatæ recordatur.

3. Antequam Episcopalis dignitas residentiaque transferretur, oportuit Legiam in ciuitatem efformari; nam ex insigni oppido in ignobilem vicum transportari indignum esset. Non surrexit vero in ciuitatem Legia nisi per S. Hubertum eam mœnibus cingentem prout Happert supra & reliqui: ast S. Hubertus ciuitatem condere non potuit nisi donatus iurisdictione & potestate sæculari, quam primò accepit a Carolo Martello testibus Molano, Leuino Brechto, Chapeauille, Iohanne Roberti. Vnde sequitur Ciuitatem non esse conditam nisi mortuo Pipino sub Carolo Martello hoc est post annum 714. per consequens sedem

Leodij

Leodij esse positam post illum annum, quare cohærenter non procedunt agentes S. Hubertum Leodium in Ciuitatem erexisse 710. & iurisdictionem temporalem (quæ ad hoc requiritur) datam à Carolo Martello, cum Martellus anno 710. nullam obtineret facultatem alienandi, nullam administrationem viuentibus Grimoaldo filio legittimo Pipini Maiore domus, Theobaldo nepote quos vsque ad mortem promouit Pipinus pręterito Martello. Accedit quod Pipinus non consueuerat conferre Episcopis politiam sæcularem: eo defuncto magis præstitit Martellus, vt S. Willibrordo Vltraiecti, & nunc S. Huberto.

Si qui veteres scribunt simul cum reliquijs translatã sedem, explicari possunt, vel de simultate personæ, non temporis, id est S. Hubertum illa duo præstitisse licet non vno tempore: vel quod tum transcathedrationẽ cogitarit, proposuerit, incœperit, præpararit, quam postea actualiter executus est; non enim tanti moliminis res subitò impleri potuit.

Episcopi triginta à S. Huberto ad ordinandam translationem congregati quinam fuerint, nullibi lego. Fas non sit Willibrordum absentare, amicum, vicinum, spectabilem, in Episcopalibus negotijs multis annis versatum. Difficultas verò oritur quomodo Hubertus authoritate Iohannis Papæ (septimi) congregatis Episcopis Ecclesiam transtulerit post annum 712., cum Iohannes septennio ante obierit. Respondetur, verba Happart non cogere nos sentire translationem peractam permissione, iussione, ordinatione, aut authoritate Iohannis, sed solùm Hubertum donatum fuisse à Iohanne facultate conuocandi Episcopos siquando Ecclesiæ negotium requireret. Hubertum autem ea potestate fretum, dum propositum suum seriò absoluere cogitat, Episcopos congregasse, &

causam transponendæ cathedræ ventilasse inque finem perduxisse. Non infrequens fuit eiuscemodi facultatem à summis Pontificibus honorabilioribus Episcopis conferri in vsum Ecclesiæ, vt in Wilfrido etiam sumus expertis suprà.

Dissertatio CVII.

De morbo & morte Pipini. Examinatur Marcellinus.

ANno 714. Pipinus Princeps in lethalem morbum incidit eodēque anno suo obedit fato. De his Marcellinus: *Cumque in Monasterio Werdensi vitæ cælestis institutio quotidianum sumeret incrementum contigit anno ab incarnatione Domini 714. Pipinum de Herstallo strenuum Principem & Maiorem Domus Francorum dolentem super innocente morte sanctissimi Lamberti Tungrensis Episcopi ad mortem ægrotare. Accersitusq; S. Swibertus egregius Pontifex ad visitandum eum per nobiles viros perrexit prius cum Willeico & Theodorico discipulis suis Coloniam ad Plectrudem illustrem Ducissam Lotharingiæ seu Austrasiorum consilium ab ea expetens quidnam facere deberent. Quæ cum religiose suscipiens & tractans, tandem retento Coloniæ pio Willeico presbytero S. Swiberti apud se caussa devotionis & consolationis (erat enim fœlix Willeicus Euangelicus sacerdos) misit S. Swibertum & Agilolphum Colonien-sem Archiepiscopum cum pleriscq; alijs Prælatis ad Pipinum Principem coniugem eius ad informandum eum, si obiret, ne illustres legitimos suos filios Drogonem Ducem Campaniæ, Grimoaldum Maiorem Domus Childeberti Regis Franciæ exhæredaret, hæredem scribendo*

bendo Carolum Martellum illegitimum ex Alpaide pellice genitum in detrimentum & damnationem animæ suæ & in confusionem sui & totius Ecclesiæ, atque in scandalum suorum Primatum & subditorum. Et quia S. Lambertus Episcopus eundem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpauerat, Martyrium subijt. Venientes igitur præfati Pontifices Ioppiliam ad egrotantem Principem Pipinum, benigne ab eo suscepti sunt. Qui ipsum consolantes & ad tolerantiam aduersitatum temporalium & infirmitatum corporalium confortantes, aiebant quod Deus electis suis iter asperum facit, ne dum delectarentur in via, obliuiscerentur eorum quæ sunt in patria. Tandem nacto oportuno tempore & congruo inter cætera pro salute & remedio animæ suæ, causam pro qua venerant, ei deuote & salubriter Pontifices exponentes, & de illicito matrimonio increpantes, statim cum indignatione repulsam patiebantur. Alpais vero Legationem sanctorum Pontificum sciscitans & comperiens, irata valde Pontifices abire celeriter præcepit: & ipsa interpellans importune pro Carolo Martello filio suo apud Pipinum impetrauit cuncta pro eodem filio suo quæ petierat. Pipinus vero eodem anno moriens eundem Carolum Martellum suorum Principatuum reliquit hæredem. Quod cernentes præfati Pontifices inglorij & tristes Coloniam redierunt enarrantes præclara Plectrudi omnia, quæ gesta erant in Ioppilia à Pipino consolantes eam & ad tolerantiam patientiæ animantes. Hęc ille.

Quod ait, *Dolentem super innocente morte S. Lamberti &c.* Non grauatè assentior; iugiter illi obuersabatur innoxius sanguis effusus & magis in extremis vitæ quibus videbat Lambertum à subditis feruentissimè coli.

Cæterum Alpaidem vsque in finem Pipino conuixisse, cum eo moriente versatam, legationem & postulata Plectrudis impediuisse &c. non recipio. Vide sis supra Dissertatio. 92. in qua demonstrauimus Pipinum ablegata meretrice deinceps vsque ad extremum cum Plectru-

de in iure coniugij perſeueraſſe. Quæ ſententia confirmari poteſt primo, quod moriente Pipinò ipſius theſauros obtinuerit, ſeruauerit: quod Theobaldum nepotem Maiorem domus crearit, aut in eo confirmare & ſtabilire conata ſit, cùm eo Principatum vſurparit: quod Martellum priuignum carceri manciparit, bella pro nepote geſſerit. quomodo hæc valeret Plectrudis aut auſa fuiſſet mulier abiecta & 28. fere annis repudiata? quomodo hæc non deueniſſent potius ad Alpaidem, ſi tot annis Pipino cohabitaſſet, in compoſſeſſione omnium iurium fuiſſet? Ad reliqua diſcutienda ſit

Dissertatio CVIII.

Reijcitur Marcellinus.

AVdiuimus intonantem Marcellinum non S. Marcellinum: *Neilluſtres legittimos ſuos filios Drogonem Ducem Campaniæ, Grimoaldum Maiorem domus Childeberti Regis Franciæ, exhæredaret, haredem ſcribendo Carolum Martellum illegitimum &c.*

Sub ærato mendoſum tinnit auro. Eundem ſemper obtinet Marcellinus, ſcilicet filios Pipini Drogonem & Grimoaldum patri morienti ſuperſtites eſſe, pro ijs Plectrudem intercedere. Hoc præ ſe ferunt & volunt verba textus; Quomodo enim aliàs hæredes inſcribi vel exſcribi poſſent? ſicut etiam clariſſimus Baronius ad annum 698. ex hoc eodem textu intelligit Drogonem patri ſupereſſe contra Sigebertum cõtrarium aſſerentem. Sed omnino extra verum eſt Drogonem &

Grimoaldum

Grimoaldum patre obeunte in viuis fuisse, aut pro ijs Plectrudem apud Pipinum morientem interpellasse. Est contra testatam omnium Classicorum tam veterum quam recentium scriptorum authoritatem, qui omnes vel contrarium expresse asserunt, vel clarissime insinuant & supponunt. Vt Sigebertus qui obitum Drogonis statuit anno 699. Trithemius in compendio, Iacobus Bergomas, Chronicum Leodiense in vita S. Lamberti, Iohannes Leidensis lib. 2. hist. cap. 17. Ianus Dousa lib. Annal. Hollan. Nauclerus ad annum Christi 715. Petrus Louuius annotatio. ad Molani militiã sacrã cap. 10. Amandus ziriczæus in Chronica. Sic Chronicum quoddam Franciæ anonymum compositum circa annum 1470. editum Parisijs 1548. perhibet Grimoaldum anno 713. Leodij ante aras S. Lamberti à quodam Frisio gregario milite trucidatum. Item anno 699. Grimoaldum loco Patris Præfectum aulæ constitutum insinuans Drogonem eo anno desisse, cum alioquin ad illum tanquã maiorem natu deuenisset. Adrianus Barlandus de Pipini prolibus hæc : *Plectrudis mulier vitæ sanctimonia insignis huic vxor data est. Matrimonij vinculo sic iuncti, ac velut concatenati, bonorum omnium radici Concordiæ nihil præferendum existimantes, omnia sic egerunt, vt pax inter eos & tranquillitas esset. Hanc pacem id boni secutum, vt ex eo coniugio digna parente sit edita proles: filij tres, Drogo & Grimoaldus, qui quum Christi esset fortis adsertor Dei, postea Leodij Martyrium adijt ob Christi fidem, ibi sepultus in æde Diuo Iacobo sacra. Filius tertius fuit Siluius, vir pientissimus, qui & ipse Sancti appellationem meruit. Filia Notburgis vocata est. Sepulcro illata Coloniæ, miraculis claruit, quæ res vitæ innocenter actæ euidens est iudicium. Omnium ex coniuge Plectrude liberorum funera vidit Pipinus.* Sic Barl. Sanè ea quæ in gratiam Thebaldi nepotis gessit Plectrudis decedente Pipino, bella ex-

orta pro maioratu, Magistratus Theobaldi ante Pipini obitum, satis indicant Drogonem & Grimoaldum inter mortales antea delijsse, cum ad eos alioquin spectassent, nec Mater præteritis filijs pro nepote laborasset. Quod autem Baronius de Grimoaldo silens Drogonem patri supervixisse intelligat, vel potius dubitet, hausit ex solo præsenti textu (cui bona fide innititur) Marcellini. Aliqui recentiores eodem scipione ambulant. Ast is quantæ fidei, quam firmus sit, ex decursu huiusce nostri tractatus quiuis æstimare valet. Hinc eluitur macula quæ à personato Marcellino hîc Pipino inuritur, scilicet suos legitimos & seniores filios postposuisse Carolo ex Alpaide pellice nato. Alienum hoc fuit à sensu Pipini qui vt superius diximus Drogonē & Grimoaldum dum inter viuos essent præ Carolo honoribus & diuitijs cumularat: Drogonem Ducatu Campaniæ, Grimoaldum maioratu domus Franciæ, summa dignitate. In nepotes etiam transijt amor dum interempto Grimoaldo in Maiorem domus ordinaret non longè ante mortem Theobaldum nepotem filium Drogonis defuncti postponens Carolum.

In mentem mihi venit S. Swibertum duas obiuisse legationes ad Pipinum. Primam inter annum 695. & 701. aut 702., (quo spatio in aula Childeberti Regis degebant Drogo & Grimoaldus,) ne iam nato Martello ex Alpaide cohabitante illi (quod verebatur repudiata Plectrudis) ab hæreditate excluderentur. Secundam circa obitum Pipini consolationis & pij officij ergô, & apparenter ne Martellus testamento Maior domus scriberetur neglecto Theobaldo filio legitimi Drogonis. Has Marcellinum imperitè, obscurè & inordinatè confudisse.

An Pipinus moriens iniustè hæredem scripserit Carolum Martellum illegitimum prę terito Theobaldo legitimo Nepote.

SAltem iniustitiæ reum clamant Pipinum quod mundo emigrans Martellum illegitimum nominarit Maiorem & Principatuum suorum hæredem omisso Theobaldo legitimo filij Drogonis Filio ad quem ordine successionis pertinebant.

Verùm huic calumniæ in promptu est spongia. non id iniuria factum. Nam Theobaldus propter violentos & efferos mores quibus Francorum terras turbabat & multorum intestinorum bellorum fax erat, summopere Francis displicebat, vt ei meritò offensus & auersus fuerit Pipinus ac iudicauit talem eo gubernaculo indignum aut inidoneum adeoque iure præferendum Carolum Filium, in quo residebant dotes Principe viro dignę & in quo tranquillandæ Franciæ spes cerneretur, quę in Theobaldo erat nulla. Adde Pipinum id sine procerum votis consilioque non concluisse, quod ex historijs colligitur & apertè edicit Barlandus: *Prius*, inquiens, *quam decederet apud conuocatos oppidorum primores Filium sibi, his etiam amplectentibus, successorem constituit, qui legitimo thoro natus non erat.* in Chronico de Pipino.

Denique considerandum, quamquam Regibus socordia torpescentibus Maiores Domus pro voluntate sua Magistratum ad hæredes consueuissent transmittere, Maioratus tamen honorem hæreditarium de se non fuisse potuisseque accedentibus præsertim iustis causis alijs transcribi, nec propter hoc Theobaldus debita hęreditatis portione priuabatur. Quare passim historici narrant Carolum

rolum Martellū è carcere Plectrudis nouercę pro nepote Theobaldo laborantis non ſine diuino nutu elapſum, de nouerca ſe egregiè vindicaſſe, ac Palatij Magiſterium obtinuiſſe. Vide de his citatos ſupra authores. Deſinant nunc Pipini manes laceſſere qui optimo Principi etiam morienti infamia ſtigmata inurunt. Sicut peccauit (fatemur) cum Dauide Plectrudem eijciendo, Alpaidem inducendo, ſpiritualem admonitorem interficiendo, ſic cum eodem pœnituit Alpaidem dimittendo, Plectrudem reſtituendo, eleemoſynis, fundandis Monaſterijs, homicidium expiando.

Diſcutitur annus obitus Pipini.

PIpinum vitę ſtationem ceſſiſſe anno 714. aſſeruimus. Sunt tamen nonnullæ obiectiones ex hiſtorijs petitæ, quæ ſuadeant obijſſe anno 712. prima eſt, Annus 13. Pipini currebat cum anno Chriſti 700. teſte inſigni illius temporis ſcriptore Iona Monacho in vita S. Wulfranni apud Surium 20. Martij. Si ſupra 700. addas 12. tenemus completos annos regiminis Pipini, nimirum 24. aut 25. quibus plures à nullo aſſignantur; ergo obijt anno 712.

Secunda, Annus 7. Caroli Martelli currebat cum anno Chriſti 719. vt idem Ionas teſtatur; ergo Martellus Principatum auſpicatus eſt anno 713. loco patris in Decembri anni 712. defuncti.

Verùm propter huiuſmodi ratiunculas non eſt à communi calculo recedendum: nam Ionas apud Surium multis ſcatet erroribus Chronologicis in quos etiam alijn-

cauto

caut eimpegerunt, imo nonnumquam sibi contradicit; ideo argumenta ex ipso petita nullius sunt roboris. Annum 714. terminum Pipini figunt omnes nostrates historiæ & patria monumenta, quibus omnino acquiescendũ.

Vt status Franciæ post transitum Pipini vno oculo perspiciatur, apponam quædam Gaguini ex quibus simul superiora possunt confirmari: *Erat Pipino* (inquit Gaguinus) *pusillo Martellus filius quem Plectruda nouerca persecuta comprehensum in custodia Colonia habuit. Orta deinde inter proceres propter Theudoaldi violentiam seditione, cum diu digladiatum esset, Dagoberti fortuna deterior facta est. Vnde pulso Magistratu Theudoaldo Franci Rangafredum Principem palatij nominauerunt. Qui mox excitato ad rem fortiter gerendam Dagoberto per carbonariam siluam ad Mosam flumen vsque copias promouit vastatis vndiq; atque incensis agris. Quo tempore Martellus custodia elapsus est: & Dagobertum mors occupauit. Eodem prope tempore Ansbertus Abricensis Pontifex in colle altissimo S. Michaelis Cœnobium exadificauit cum ageretur Annus salutis 709. Erat sacerdos qui Daniel appellabatur, qui cum bona æstimationis esset, hunc assumptum palatio præponunt: permisso imprimis vt Cæsaries illi barbaque adolesceret quã per sacerdotij legem tondere sapius oportebat. Capillo adulto Regem proceres consalutant appellantiq; pro Daniele Chilpericum. Martellus libertate adepta, Pipini patrus Magistratum hoc est palatij præfecturam recuperare omni studio contendit: Clotariumq; in Dagoberti locum constituit. Qui cum militum delectum iam haberet, Chilpericus accito Ranfredo & Frisonum Duce qui amicitiam cum Chilperico inierat ad Mosam fluentum castra promouit. Post atrocissimum conflictum Martellus in fugam se vertit. Sed receptis ex fuga copijs prælium cum sæpe redintegrasset pugnatumq; varia vtrimque fortuna diu fuisset, tandem apud Ablauum Chilpericus superatur. Verum cum ex fuga se recepisset, bellum iterum mouit. Cui auxilio fuit Vasconum Princeps Eudo. Sed benigniore fortuna vsus Mar-*

tellus, Hostem fudit in agro Cameracensi in loco qui Vinosium appellatur. At Eudo assumpto fugæ Comite Chilperico, sublatisque Regis thesauris Aureliam, inde in Vasconiam profectus est. Fugientem vero Martellus assequi non potuit. Sed Rangafredum Andegauiam petentem vna cum ciuitate in potestatem recepit. Clementia tamen vsus Martellus hostem libertate & ciuitate donauit. Anno mox insequenti missis ad Eudonem legatis, receptoque Chilperico, Vasconi pepercit. Interea Clotarius obiit mortem. Restitutusque in Regnum Chilpericus non diu superuixit, Cui successorem fecere Franci ex Martelli consilio Theodoricum Dagoberti filium: quem Calle apud moniales virgines educatum autores tradunt. Adhunc modum Martellus recepta palatij præfectura, grandem exercitum contrahit. Inde Rheno traiecto per deuictos Sueuos ad Baugarenses vsque qui vltra Danubium incolunt ducit. Quibus fusis superatisque post quam maximam Germaniæ partem in ditionem recepit, præda spoliisque impeditus in Franciam victor regreditur. Vbi cum de Eudonis Vasconis defectione nuncium accepisset, protinus in eum expeditionem parat. Sed Martelli *aduentum Eudo non sustinens in penitiores Regionis locos se abdidit: quem anxie quæsitum neque inuentum Martellus reducto in Franciam exercitu dimisit. Eodem tempore deficientibus à fide Sueuis, Martellus Leufredum Alemaniæ Ducem fudit eamque Regionem cum ipsis Sueuis subiugauit. Hic tot victorijs clarus Domum se recepit. Tali profecto Principe opus eo tempore erat, cum insurgentibus vndique bellis Francia quateretur.* Sic Gaguinus, cui cõformes sunt reliqui historici Frãci. Vide eadem in suos annos digesta apud Sigebertum, Trithemium, Miræum in Annalibus Belgicis, Gramaie in historia Brabantiç, Harçum in Annalibus Brabãticis. Tantùm aduerte Gaguinum perperam nomẽ Pusilli attribuere Pipino patri Caroli Martelli, cum id à nostratibus &

alijs

Francis tantummodo tribuatur Pipino Caroli Martelli filio cui staturæ exilitas Brevis sive Pusilli nomen fecit. Contrariè Pipinus parens Caroli Martelli à corporis mole dictus fuit Crassus sive Grossus; Vide Histo. Brabantiæ Diuæi, Haræi, Gramaie & supra differ. 39.

APPENDIX.

CONtra id quod initio diximus Theobaldum fuisse legitimũ filium Drogonis, Objicitur: Auctor appendicis ad historiã Gregorij Turonensis, quem sequitur Bernardus Furmerius lib. 3. annalium Frisiæ (nescio an alij) asserens Theobaldum fuisse illegitimum filium Grimoaldi. Verùm eorum auctoritas tanti non est, vt propter eos à reliquorum & quidem multò plurium iudicio recedamus. Ainonius lib. 4. cap. 49. Trithemius in compendio Regum Franciæ l. primo, Sigebertus in Chronico, Antonius Coccius enneadis 8. lib. 7. Leydensis lib. 2. Histo. Haræus in annalibus Brabantiæ, Scriekius, Miræus in annalibus Belgicis: hi omnes asserunt Theobaldum esse Drogonis filium, & de eo tanquam legitimo loquuntur, non sic de Martello. Similiter Nauclerus generatione 24. Pontus Hauterus, Diuæus alijque de Theobaldo tanquam legitimo tractãt, longe aliter de Carolo Martello, quem omnes illegitimum expresse tradunt vel insinuant. Theobaldus illegitimus filius Grimoaldi apud auctorem Appendicis, alius videtur mihi fuisse à Theobaldo filio Drogonis de quo nos agimus. Quid enim vetat etiam Grimoaldo natum illegitimum? & nomina eadem in eâdem progenie sæpius imponuntur. colligo vero illud, quia, teste ipso auctore

Appẽdicis paruulus erat Theobaldus Grimoaldi morien-te Pipino : aſt Theobaldus Drogonis prouectæ erat ætatis, aulæ Præfectus, ſtatimpoſt mortem Pipini fortia bella geſſit, fugit, quæ paruulo non conueniunt. Vnde duos in vnum confundit iſta appendix & qui eam ſequuntur. Auctores omnes in Pipino moriente notant tanquam culpabile vel extraordinarium quod relicto Theobaldo Martellum inſcripſerit Hęredem; aſt certè ſi Theobaldus fuiſſet æquè ſpurius, nihil culpabile aut extraordinarium in Pipino poſſet reperiri aut quęri. Fauet ratio: Quomodo Plectrudis Pipini coniux abiecto Carolo Martello tantopere ſategiſſet pro Theobaldo, ſi ſimiliter fuiſſet nothus? Rationabilius & conuenientius eſt cogitare maluiſſe Plectrudem pro mariti ſui filio quem ipſa educauerat, quique ipſam modeſtè ſemper coluerat virtutumque ſpecimina ediderat, agere, quam pro Theobaldo nepote ſpurio Grimoaldi longè abſentis.

Dissertatio CX.

Quis fuerit Agilolphus qui Pipinum moribundum viſitauit.

Scripſit ſupra Marcellinus cum S. Swiberto Pipinum vltimò ægrotantem viſitaſſe Agilolphum Archiepiſcopum Colonienſem. Quæritur, quis iſte ſit Agilolphus.

Plerumque putatur eſſe ille ipſe qui anno 748. ſedit & cuius mentio eſt in Epiſtola Zachariæ Papæ ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, exſtatque apud Baronium ad annum 748. & tomo tertiò Conciliorum par. 1. ſect 1.

Dum

Dum primò in Marcellinum commentarer, valde verritus fui nomen Agilolphi ab eo siue ab alio textui appositum & lectori impositum ob certas rationes mihi occurrentes; inter quas vna erat, quod Agilolphus ille sedens anno 748. (de alio Agilolpho tum nesciebam) non potuerit interfuisse extremis Pipini cum inter annum 714. & annum 748. egerit Episcopum Raginfredus sub Theodorico secundo Franciæ Rege prout habent authentici Catalogi Colonienses. Hanc meam imaginationem postea dissipauit & litem diremit omnem à me rogatus Reuerendus P. Garnefelt vir in Ecclesiasticis Colonienſibus multis annis diligentissimus inquisitor, examinator, duos me docens Agilolphos: vnum qui præfuit sub Childerico Rege; alterum qui prefuit anno 748. prout supra & legere est apud Surium & Baronium. Vide diss. 101. Horum acta male multi permiscent similitudine nominum (magna decipula) seducti. Prior est ille qui Pipinum morti imminentem debuit visitasse, non alius: ille idem qui laurea Martyrij est decoratus 9. Iulij & quidem iuxta iudicium eiusdem R. P. Garnefelt anno 718.

Hinc cum sale legenda quæ de S. Agilolpho profert Molanus 9. Iulij in Natalibus SS. conflatur enim in vnum Historia vtriusque. Subodoratus idipsum videtur Molanus, dum respiciens ad Agilolphum anni 748. ait: *Scribitur visitasse Pipinum cum Swiberto*, non ausus asserere verens falsitatis, sicut eodem loco corrigit quendam aliorum errorem de tempore obitus Agilolphi.

Dissertatio CXI.

An Episcopatus Colonienſis fuerit tempore Pipini Herſtalli Archiepiſcopatus.

Svperius Marcellinus Annonem, Agilolphum, intitulauit Archiepiſcopos Colonienſes. Me de Apographe illâ cogitantem non nunquam inceſſit dubitatio num eo ſæculo Colonienſes fuerint Archiepiſcopi, an ſolum ſimplices Epiſcopi. Solùm Epiſcopos, non Archiepiſcopos fuiſſe menti inſedit, primum motiuum eſt; quod à ſcriptoribus ſexti & ſeptimi æui ſolum intitulantur Epiſcopi, non Archiepiſcopi, cum tamen ſubinde locus poſtularet, verbi gratia in Epiſtola S. Bonifacij ad Stephanum Papam exarata à nobis ad diſſertatio. 76. Sic in litteris Zachariæ Pontificis ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ Bonifacij commendatijs datis anno 748. ſecundum Baronium, Agilolphus Epiſcopus, & quidem poſt vndecim enumeratos, quos conſtat Archiepiſcopos non fuiſſe, penultimus in ordine eſt. Contrà dignitatem reuerentiamque Archiepiſcopalem & contra rectum ſtylum foret inter alios ſimplices Epiſcopos vltimo pæne loco Archiepiſcopum ſcribi. Exſtat Epiſtola apud Baronium ad dictum annũ & Tomo 3. Conciliorum par. 1. ſect. 1.

Secundum motiuum, Subiectio Eccleſiæ Colonienſis ſub Moguntinâ tanquam Metropolitanâ à Pontifice (Zachariâ qui ſedit ab anno 741. vſque in annum 752.) inſtituta. Cum enim Francorum Proceres peroptarent ordinari aliquam Eccleſiam Metropolitanam fixam & ſtabilem

lem & Archiepiscopum Cardinalem qui ad successores eam dignitatem transmitteret, & deliberatio inter eos orta esset quâ in Germaniæ vrbe sedes locanda esset: tandem propenderunt Principes, propendit Bonifacius, propenderunt & alij omnes in Moguntiam. Cognita horum propensione & ratione, idipsum approbat, ordinat, & confirmat diplomate Zacharias Pontifex: *De eo, quod suggessisti, quia elegerunt vnam ciuitatem omnes Francorum Principes, pertingentem vsque ad paganorum fines, & in partes Germanicarum gentium vbi antea pradicasti, quatenus ibi sedem Metropolitanam perpetuo tempore habere debeas, & inde cateros Episcopos ad vitam instrueres rectitudinis, & postmodum tui successores perpetuo iure possideant; hoc quia decreuerunt, nos læti suscepimus, cò quòd ex* DEI NVTV FACTVM EST. Et in alia epistola eodem lib. 2. cap. 15. cum enumerasset breuiter Pontifex, quæ in Germania fuissent ad illud vsque tempus bene à S. Bonifacio facta, subiungit: *Dum in his pijs operibus occupata esset sanctitas tua, nunc vsque* (Cardinalem, vt Hincmar. intelligit) *Cathedralem sedem sibi minimè vendicauit. At vbi Deus pradicationem tuam auxit, obtinere voluisti vt tibi Episcopalem Ecclesiam, vel successoribus tuis confirmare debeamus, iuxta eorundē filiorum nostrorū petitionem. Et idcirco auctoritate* B. PETRI *Apostoli sancimus, vt supradicta Ecclesia Moguntia, perpetuis temporibus, tibi, successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens sub se has ciuitates, id est, Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam, & Trectis, & omnes Germania gentes, quas tua fraternitas, per suam pradicationem,* CHRISTI *lumen cognoscere fecit.* Lege Othlonum lib. 1. vitæ Bonif. cap. 44. & lib. 2. cap. 8. & 15. Hincmarum epist. 6. cap. 19. N. Serarium in notis ad Othlonum.

Dices, S. Bonifacius non erat simpliciter Archiepiscopus, sed primas Germaniæ ac generalis Apostolicæ Ecclesiæ

clesiæ Legatus, qua propter non mirum quod illi etiam Archiepiscopi subijcerentur.

Res. Zachariam non tam respicere ad personam Bonifacij quam ad Ecclesiam Moguntinam: nec eleuare aut confirmare Bonifacium in Archiepiscopum, qui iam dudum ea dignitate gaudebat, verum ipsammet Ecclesiam Moguntinam, ei subijciens Tungros, Coloniam &c. Nec alijs essentialibus verbis vtuntur Pontifices dum aliquam Ecclesiam in Archiantisticam stabiliunt aut erigunt quā quibus modo Zacharias. Quod autem Primatem Legatumque egerit Bonifacius, nil obstat quo minus simul egerit verum & specialem Archiepiscopum Moguntinum. Quinimò Hincmarus epist. citatâ cap. 20. declarat ita S. Bonifacium Archiep. Moguntinum stabilitum, vt tamen perpetuus legatus Romani Pontificis remaneret. Idipsum non obscurè significat Othlonus lib. vitæ cap. 12. Quare ex allegatis iudico Annonem & Agilolphum in Marcellini historia non recte inscribi Archiepiscopos Colonienses.

Quo verò tempore Archiepiscopatus honorem adierit Colonia, mihi non liquet: melius forsan dicerent hoc nobis annales Colonienses. Ego ex ratione suspicor sub Caroli Magni imperio, dum multiplicato inter propinquos Saxones fidelium numero noui ab eo sunt Episcopatus erecti, Mindensis, Osnaburgensis, Monasterienſis, qui Colonienſi vtpote viciniori, veluti suffraganei sunt attributi, sicuti hodie eidem tanquam Metropolitano subsunt. Atqui hæc in nullum præiudicium aut dehonestamentum V. & illustris Ecclesiæ Colonienſis, cui ter magnus honor est à susceptа fide eandem cum Episcopali Cathedra vltra mille annos inter varias procellas non interruptè & illibatè conseruasse.

Dissert.

De Donatione Susterensi facta S. Willibrordo à Pipino.

Pipinus recogitans illud scripturæ, Eleemosynis peccata tua redime & considerans supremum Iudicem in districto examine præsertim diuites de cura egentibus impensa interrogaturum, paulò antequam mundo cederet offert ad Eleemosynam S. Willibrordo in pago Mosariorum villam à prętersluente riuo Sueſtra nominatam per Plectrudem ab ingenuis coemptam, vt loquuntur in S. Willibrordo Heda & in Annalibus Belgicis Miræus ex monumentis Epternacensibus.

Per pagum Mosariorum hîc intellige regionem nobis Transmosanam, in qua & modo sunt Sueſtra, Sittaert, Comitatus Dalemensis, Valckenburgensis & more veterum apud quos regiones pagorum nomenclaturâ veniebant. Sic Iulius Cæsar recenset quatuor pagos Heluetiorum id est tractus seu regiunculas: sic in testamento S. Willibrordi edito à Scribanio in Antuerpia, & Miræo in Codice piarum donationum pagus Taxandriæ, pagus Rhiensis, pro ditionibus, regionibus.

Per villam accipe locum qui vulgariter nominatur pagus. Sic in eodem testamento legitur prętер alias villa Alpheim, quæ & olim & nunc non nisi pagus, tribus leucis distans ab vrbe Bredanâ donatus à S. Willibrordo Epternacensibus, ab illis anno 1178. Cœnobio Tungerloensi, quod hodieque possidet. Mosarios vocat quia accolæ & vicini Mosæ fluuij qui Traiectum inferius, Ru-

remundam, Venlonam & plura deinceps loca perlabitur vsque ad Oceanum,

Emerat Villam Sueſtra (haud dubie Pipino aſſentiente) Plectrudis ære proprio ab ingenuis id eſt liberis hominibus iuxta ſtylum priſci ęui, quo durabat vſus mancipiorum, quæ cum alterius poteſtati prorſus ſubderentur, nec emere, nec vendere, nec teſtari valebant. Quare in antiquis diplomatibus ſæpe illo epitheto (ingenuus) exprimuntur perſonę à quibus res validè vendi & emipoterant, ac etiã eſſent teſtes, vt illo earũ habilitas, capacitas notificarentur actioque rata declararetur. Dicta oblatio Pipini de Sueſtra peracta anno 4. Dagoberti ſecundi Regis Francorum & Auſtraſiorum id eſt anno 714. eodem nimirum quo Pipini animus relicto corpore terras deſeruit: & quidem ſexto Nonas Martij, nouem ſolidis menſibus ante eiuſdem deceſſum; (obijt namque duodecimo Decembris) iuxta Hedam, Miræum. Alij aliter.

S. Willibrordus obtenta villa mox ibidem Parthenonem erigit ad normam fere Clericorum in communi victitantiũ, quorum inſtitutionem Pipinus affectabat. Clericis poſtmodum communitatem relinquentibus & ipſæ virgines in laxiora antiquum ritum demutarunt, vt modo ſunt Canonicæ nobiles S. Willibrordum ſuum fundatorem agnoſcentes.

Locus vero Sueſtra (hodie Suſteren) antea pagus in oppidum excreuit mœnibus cinctum quibus Willibrordiana Parthenone includitur, ſub Ducatu Iuliacenſi, Diocœſis Leodienſis. Ex dictis 1. confirmo, quod ſupra aliquoties eſt probatum, Pipinum ante mortem cum Plectrude reconiunctum, ambos vt coniuges conuixiſſe. Quomodo enim Pipinus alienaret quod Plectrudis ab ingenuis ſuo ære coemerat? quomodo aliàs villam emiſſet

Plectrudis

Plectrudis mulier misera, 20. annis abiecta?

Secundò obseruo, Pipinum circa finem vitæ cum S. Willibrordo communicasse. Vnde iterum mihi confirmatur pax & cohabitatio inter Plectrudem & Pipinum. Non datur viris tam impijs inter Apostolicos viros communio. Non sustinuissent Willibrordus alijque probati Episcopi, quorum amans erat Pipinus, bonum Principem in fœdissimo peccato obdormire. Non est cogitare eum qui tantis liberalibus expensis summoque conatu Ecclesias Christi promouebat, SS. monita durissimo corde respuisse, pertinaciter impœnitentem remansisse, à Deo miserè desertum discessisse. Melius de benigno Heroe sentire deberent; possent, si vellent. Nec puto nigrum istiusmodi theta (in pellicatu animam exhalasse) aliunde ab ijs affigi quam ex Pseudo-Marcellino, qui nigriori theta est dignior.

DISSERTATIO CXIII.

De obitu S. Swiberti. Discutitur Marcellinus.

IVxta vulgatam sententiam admeliora transijt S. Swibertus Coepiscopus S. Willibrordi anno 717. Forsan auctor & Dux istius est Marcellinus. Audiamus eum & discutiamus:

Redeuntibus (inquit) à Ioppilia & à Pipino glorioſis Pontificibus Agilolpho Coloniensi & Swiberto Werdensi, S. Swibertus delectat us in Domino ſu er ſalutari gratia à Deo per Willeicum presbyterum ſuum Colonia patrata, ſalutata & licentia impetrata à pia

Matrona Plectrude, rediit Werdam cum suis discipulis: ibique per triennium sanctissime viuens, perfecit opera, quæ Deus posuit prodigia super terram miraculis coruscando atque vt vox tonitrui in rota, prophanis Christum Euangelisando, Idololatriam libera voce damnando, multas gentes paganas fonte baptismatis Christo regenerauit. Tandem Deus qui est suorum fidelium merces magnanimis, qui & per carnis mortem viuos Ecclesiæ lapides de terrenis sedibus ad cæleste transfert ædificium, S. Swibertum strenuum fidei pugilem, coronandum in cælis de terrenis euocare dignatus est. Igitur anno à Natiuitate Domini 717. S. Swibertus omnium virtutum charismatis plenus, ex omnibus animi medullis videndi Deum desiderio flagrans, cum in festo Principis Apostolorum S. Petri ad cathedram in suo monasterio diuina celebrasset, mox languor eum inuadens lecto decumbere coegit. Languore itaque per momenta temporum ingrauescente, conuocans Fratrum suorum collegium fere viginti, primò admonuit eos, vt vestigia Christi sequerentur & vt virtutem dilectionis & pacis ad inuicem & in omnes domesticos Dei seruarent. Instituta quoque disciplinæ regularis quæ ab eo didicissent & in ipso vidissent, indefessa fide custodirent. Deinde subiunxit diem sui obitus in proximo instare. Quod audientes fratres circumstantes, mœrore perculsi flere cœperunt. Quibus S. Pontifex dixit: Nolite dilectissimi flere, magis autem gaudete, iam enim sanctorum laborum meorum gloriosissimum recipiam fructum & præmium. Receſſui fragilitatis meæ debitum charitatis impendite & orationibus protegite. Quo dicto, ipse in Domini gaudens, informabat eos de contemptu mundi & appetitu regni cælestis, & vt exitum suum, cuius hora incerta est, vigilijs, orationibus bonisque operibus præuenire meminerint; Cumque hæc & his similia plura loqueretur, illi accepta benedictione, iussu ipsius tristes ad Ecclesiam exierunt. Retinuit secum S. Willeicum, cum quo diuina meditans Deum corde deuotissimo inuocabat. Appropinquante denique die obitus siue obdormitionis suæ, quam præsciuit Angelico

gelico Ministerio, conuocans fratrum suorum prafatorum felicem cateruam, celebrari sibi sacra fecit Missarum solemnia. Deinde perceptione corporis Dominici se muniens, ac sanctæ crucis vexillo se cunctosque circumstantes signans in mortis quiete dormiens, transijt feliciter de mundo & ab Angelicis choris anima eius sancta in consortio Sanctorum & felicitatis perpetuæ in perpetuum collocanda suscepta est. Statimque facies eius vt glorificata lucens splenduit. Cella vero eius vt apotheca redoluit, omniumque ora & pectora fragrantia suauitatis repleuit. Defunctus est autem sanctissimus Swibertus Werdensis Episcopus anno ætatis sua sexagesimo nono Kalendis Martij feria sexta hora duodecima, qua hora Saluator mundi morte sua nos viuificans ianuam regni cælestis reserauit qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen. Hactenus Marcellinus cap. 27.

Quod ad historiam discessus S. Swiberti, nihil est in quo illum censuremus: solent enim obitus SS. talibus pietatibus & circumstantijs contingere ornati.

Quod ad tempus mortis, citandus & in ius vocandus est. Annum obitualem S. Swiberti designat anno 717. & est 1. conforme ijs quæ initio capitis dixit, scilicet, S. Swibertum anno 714. à Pipino in extremis agente redeuntem in Werdam, in ea triennium sanctissimè vixisse. 2. illi quod in præcedenti cap. legitur, S. Willeicum decem annis post exitum S. Swiberti Werdensi Monasterio præfuisse & mortuum anno 727. decessit ergo S. Swibertus anno 717.

Verùm his ex Diametro repugnat quod addit S. Swibertum defunctum Kalendis Martij feria sexta: nam Kalendæ Martiæ anno 717. inciderunt in feriam secundam, non sextam. Quod sic demonstro. Anno 717. (erat is annus simplex, non Bissextilis) littera Dominicalis erat C. ergo sequenti die, scilicet feria 2. littera erat D, In D. au-

tem assignantur Kalendæ Martiæ; ergo Kalendę Martiæ erat feria 2. non sexta; per consequens S. Swibertus non potuit obijsse anno 717. Kalendis Martij feria 6. Vlterius si statuamus illum obijsse feria 6. Kalendis Martij, dandum est obijsse aut anno 709. aut 715. aut 720. cum in istis annis solùm coincidant Kalendę Martię cum feria 6. Prior annus (709) non est admittendus, cum clarum sit eum superuixisse; nec posterior, cum satis etiam testatum sit eousque viuendi metam non porrexisse. Quare eligo, qui eligendus est, annum medium (715) eumque eius obitualem figo. Fuit eo anno littera Dominicalis F. Feriæ 2. G. Feriæ 3. A. Feriæ 4. B. Feriæ 5. C. Feriæ 6. D. in quam reponuntur Kalendæ Martiæ. Confirmatur is annus 715. ex epistola S. Ludgeri qui capite 1. annum Christi 648. coniungit cum anno 33. post transitum S. Swiberti. Addamus igitur ad 715. annos 33. & apparebit annus Christi 748. Similiter detrahamus ab annis 748. annos 33. & exurget 715. quo obijt S. Swibertus. Probatur præterea ex eo quod parum cohærenter narrat Marcellinus. Natus est enim S. Swibertus anno Christi 647. iuxta caput 1. & obijt anno ætatis 69. iuxta præsens caput 27. ergo obijt anno Christi 715. aut propè 716. non 717. vt patebit computanti. Iam vero S. Swibertum mortuum Kalendis Martij, ex vsu & traditione corroboratur; tali equidem die ipsius fælix natalis colitur ab Ecclesia, in locis, asscribitur in Martyrologijs. Fęlix natalis, & lõge verius tum potuit cantare quod Ethnicus Martialis de infelici suo natali in hac miseriarum valle; Natales mihi Martię Kalendæ, Lux formosior omnibus Kalendis. De Feria 6. probatur, tum ex recepta sententia cui nemo contradicit & quæ certò redargui nequit: tum ex consequenti narratione Marcellini, qui capite 28. refert Sabbatho id

est

est altero die exequias celebratas & 3. die id est Dominicâ S. Corpus inhumatum à S. Willibrordo.

Verba illa textus Marcelliniani, *Hora Duodecima qua hora Saluator mundi morte sua &c.* Si propriè significent, scilicet Saluatorem nostum hora Duodecimâ animam expirasse, falsus est Marcellinus contrascripturam tradentem animam posuisse hora 9. id est 3. nostrâ pomeridianâ. Possunt vero benigne accipi vt intelligamus hora duodecima (nostrâ) Christum in Cruce fixum mortem inchoasse, nobis aditum cœlorum promeruisse : nam circa eam horam, quæ erat 6. more Hæbrçorum, in crucem actus mori incœpit & redemptionem nostram consummare.

Quod suprà ait, S. Swibertum à Pipino moriente anno 714. redeuntem in Werda triennium vixisse, non admitto; & loco, triennium, fubstituo trimestre; tantundem enim solùm Swibertus anno 715. Kalendis Martij obiens superuixit Pipino defuncto anno 714. in Decembri.

DISSERTATIO CXIV.

De honorificis exequijs S. Swiberto celebratis. Miracula ibidem. De Verona.

TAndem sanctissimum corpus gementibus cunctis fratribus, deuote per Willeicum Theodoricum, Gerardum aliosque Principales suos discipulos portatum fuit, positumque in medio Ecclesiæ in honorato feretro vt exequiæ ipsius sabbato celebrarentur. Confluebant autem multi homines ex diuersis pagis & villis, flentes & dolentes & precipue paupetes frustrati de catero largis eleemosynis, quas ab ipso pie pro amore Christi receperant. Inter quos adductus fuit quidam

dam vir damoniacus grauiter obsessus: qui postquam tetigisset feretrum, super quod sanctum corpus iacuerat, cunctis cernentibus statim à damone liberatus fuit, laudabatq; Dominum & dilectum famulum eius S. Swibertum. Reliquus vero populus vocem elevans, clamore magno benedicebat Dominum, qui tam magna fecit ad declarandum merita famuli sui dilecti Swiberti Præsulis sancti. Anima vero eius in hora exitus sui apparuit cum magna luce & gaudio S. Willibrordo Episcopo Traiectensi, dilecto consocio suo tunc redeunti de Epternaco Veronam, petens & admonens vt suis exequijs in Verda cum suis interesset, & eum sepultura commendaret. Quod cum nobis, scilicet suis discipulis & ministris, dolens intimasset, statim celeri nauigio Werdam vsque perrexit. Affuit & illustris spiritualis filia sua felix Plectrudis cum aliquot Prælatis Ecclesiarum, benedicens Deum in meritis sui sancti confessoris & Pontificis Swiberti. Cumque S. Willibrordus & felix Principissa cum fratribus Sabbatho vigilias defunctorum (vt moris est) decantarent, ecce adducunt quendam adolescentem, cæcum ex tonitruo & fulgorecoruscationũ effectum, vt multis illic præsentibus constabat. Qui interrumpens immodeste canticum mœroris vigiliarum clamando, obnixe & deuote prosui illuminatione Sanctum invocando, cum tetigisset feretrum, statim omnibus videntibus & stupentibus visum recepit. præterea furiosus quidam similiter adductus, cum deuotè oscularetur tegmen feretri, protinus sanatus fuit. Mox clamor omnium attollitur in laudem Dei, vigiliæ dimittuntur & omnes glorificabant Deum qui tanta mirabilia meritis sui sanctissimi sui Confessoris & Episcopi dignatus est operari. Igitur Dominica die expletis deuote & solenniter exequijs in eodem Monasterio Werdensi, in quo degens Christo feruenter & feliciter seruierat, honore condigno cum hymnis & laudibus deuote & reuerenter sepeliebatur per S. Willibrordum Archiepiscopum Traiectensem, & S. Willeicum presbyterum, & gloriosam Plectrudem Austrasiorum Principissam, cæteroscque Fratres & discipulos suos. Idem cap. 28.

Quæ

Quæ hîc de honorificis exequijs & sepultura S. Swiberti edisserit Marcellinus, arguere neutiquam valemus. Solent SS. Sepulturæ esse glorioſæ.

Vna hoc loco occurrit quæstio. Quęnam, scilicet, sit illa Verona ad quam tendebat Willibrordus dumappareret anima S. Swiberti prout supra in textu. Pro cuius declaratione, nota triplicem reperiri Veronam. Prima est Italica sub imperio (quantum reor) Venetorum, Episcopali honore decorata, Ciuitas opulenta & bella.

Secunda est Verona Frisica inter minores Frisios emporium quondam opulentum ad fluenta Rheni; de quo fuse Hadrianus Iunius Batauię capite 17. quod est de Hollandiæ primarijs vrbibus &c. Describam ipsiusmet verbis quamquam possem meis: vt ipsi fides integra maneat, & ne in re casca aliquid de meo fingere videar. *Non procul* (inquit) *Alcmariâ paullum vltra mille passus dißitam stetisse olim Veronam loquuntur cognomines inde campi, vrbem opulentam, frequentem & populosam, vnicum tunc inter Minores Frisios emporium; sed magnarum opum tenue admodum vestigium, vrbisq; bustum; tumuli vulgo ostenduntur, è ruinis (vt suspicari libet) editiores, qui nominis memoriam in hunc vsque diem tuentes quà plagam Septemtrionalem respicit, inter Koedicum & immenso spatio porrectum Langedicum, Veronenses campi, vt dixi, dicuntur, frumenti feraciſsimi, quos pagus Pancratio sacer attingit. Hanc primariam fuisse Frisijs Minoribus, gentis caput, bellorum facem & furoris administram, credibile est, quod opportuniſsimus eius fuerit situs ad inuadendam Hollandiam; ac proinde ob violatam sæpius fidem, ob rebellionemq; toties repetitam, à Ioanne Hannonio Comite excisam funditusq; subuersam, & inducto aratro readificari vetitam memorant Annales. Qui Comes etiam nominis memoriam obliuione sempiterna delere voluisse creditur tam inexpiabili ad-*

uersus eam concepto odio, vt etiam Britannorum copias in florentis vrbis excidium dicatur exciuisse, eamq; gentis furori obiecisse, postquam proditione Consulis Phobi ingressus in eam patuit, cuius extat hodie turris in arcium, quæ vrbi vicinæ fuerunt, ruinis, Phobi nomine famosa; sub quâ proditorem, qui sceleris mercedem ocream pecunijs refertam pactus fuerat, humo obrutum infossumq; fama quasi per manus tradita refert. Euersæ historiam, quam sacrificus complexus fuit, asseruari in Cœnobio Heiloano intelligo. De hac cur Annales tacuerint, vnum modo atque alterum verbum facientes, dum velut in transcursu & obiter eam nominasse satis habent, equidem nescio, nisi forte ignorantia veri factum id sit, aut hostilis odio vrbis, cuius memoriam aboleri voluerint. Excidij vero vt testem annum adferunt hemistichium notum:

eCCe CadIt Mater FrIsIæ.

ITa publicum testimonium loquitur spatium cæmiterij titulo insigne, vbi crux lignea posteris subinde reparata, memoriæ redintegrandæ tuendæque religioni priscæ posita spectatur. Vrbis memoriam vltimam tuetur sartam tectam campanula ænea peruetusta in templo pagi, qui Valkenooge, ceu Falconis oculus, incerta mihi de causa nominatur, quæ Veronæ fusam se testatur, & altera eiusdem metalli quæ Londinum translata fuit. Indicauit mihi per epistolam inter alia multa Nicolaus Vorstius, vir non postremæ eruditionis, Lugdunianæ scholæ moderator, se à grauis auctoritatis viro Iureconsulto Colonienſi accepisse, in historiâ quâ vndenûm virginum millium profectio è Britannia insula pertexitur, narrari illas nauibus impositas & fœda tempestate iactatas Veronam appulisse; id quod de hac nostrate Verona probabiliter dicitur, quod istud emporium vicinum fuerit alueo fluenti illius quod Caninefatium terga

claude-

claudebat è Rheno productum, præterlabens Crabbedämum in mare decurrebat; ostenditq; etiamnum apud Veronenses campos alueus decliuiore solo vbi ostium & aditus portus fuerit è mari appellentibus nauibus. Huiusce emporij potentiam & nimias opes ostendunt piscationis iurailli propria, tam in lacubus, quam in amnibus Rheno Mosaque, quæ post excisam vrbem in fiscum Principis fuere conuersa, vnde in hodiernam vsque lucem Veronæ nomine significatur portorium, quod in memoratis locis pro piscandi iure penditur. Quin & ipsum territorium deletæ vrbis peculiarem seruat Rationalem, ab antiquo Veronensem appellatum.

De eadem Verona Suffridus Petrus libro 1. de Frisiorum origine cap. 9. *Hæc autem ciuitas Frongeist temporis successu in celeberrimum emporium excreuit. Eam Romani posteaquam Batauiam & Frisiam istam inuasissent, ob vicinitatem nominis, quam cum Italiæ ciuitate Verona habebat, etiam Veronam appellarunt. Qua nominis similitudo eos decepit, qui historiam vndecim millium virginum conscripserunt, qui cum audissent eas ex Britannia soluentes, vi tempestatum Veronam appulsas, & Veronam non aliam nossent, quam istam Italicam, absurdum rati quod referebatur, pro Verona Bonnam supposuerunt, hoc est, historiam veram inscitia sua suspectam reddiderunt. Ad hanc enim Frisiæ Veronam eas appulisse, nec absurdum, nec incredibile erat, cum ex Britannia in hunc portum facilis Traiectus esset.*

Fusius ex vtrisque Veronam descripsi, tum quod iuuet ad illustrandam nostram Frisiam, tum quod ad curam laboremque S. Willibrordi, (modo extiterit eo æuo) pertinuerit.

Quod ijdē arbitrentur S. Vrsulā cum exercitu Virgineo eò appulsam Martyrij palmam obtinuisse, acriter refutatur à Colonienſibus, nominatim per Dominum Herman. Fleien S. Theologiæ doctorem, S. Cuniberti Decanum Sanctarumque Virginum Coloniæ Canonicum in peculiari

tractatu edito anno 1603. ad vitas SS. Zachariæ Lippeloo.

Tertia Verona est Bonna, quæ nomine Veronæ subinde intelligitur, vt in historia S. Vrsulæ, SS. Cassij & Florentij, sita ad Rhenum ditionis & Diocœsis Colonienſis, vbi habitationem Episcopalem dudum fixerunt Archiepiscopi Colonienses; Quæritur nunc, quænam Verona accipienda sit prædicto capite Marcellini.

Non desunt priuati quidam amici qui Veronam Frisicam mallent, eo quod potius imaginandum sit Willibrordum ad suæ Diocœsis Ciuitatem veniſſe, quam aliò: maxime quod etiam nauigio Veronæ exitus & introitus paterent.

Existimo ego Marcellinum intelligere tertiam Veronam, scilicet Bonnam, quod non difficulter probatur Chorographiæ peritis ex itinere S. Willibrordi. Epternaco enim (quod est in circulo Treuirensi) discedenti per Mosellam & Rheni regiones primò occurrebat Bonna, non Verona Frisica, quæ longissime distabat, nec video quo alio fluuio ex Epternaco immediate in Veronã Frisiæ contendisset.

Secundò, Willibrordus intellecta morte Swiberti statim celeri nauigio Werdam vsque perrexit: ast ex Verona Frisica non potuit celeri nauigio eo tendere, cum ex ea versus Werdam opus sit contra fluuium niti tardeque progredi: ex Bonna autem potuit, cum ex ea versus Werdam secundo rapaci flumine naues celerrimè velifi cent.

Tertiò, ex Verona Willibrordus sequenti die id est sabbatho tempestiue aderat vigilijs celebrandis in Werda, quod non præstitisset ex Verona Frisica, tum ex data causa, tum quod longius abesset.

Quartò, adfuit sabbato etiam Plectrudis cu malijs Prę-

latis

latis: verosimile verò est Willibrordum ex Bonna Coloniam transeuntem, Plectrudem inuisisse, salutasse ac simul celeriter in Werdam per Rheni defluxum adduxisse.

Quintò. S. Willibrordo ab Epternaco domum repetenti, non occurrit breuior, commodior, facilior via, quam per Bonnam: ex Epternaco per Veronam Frisiæ tendere multos circuitus & difficultates patitur.

Confirmor quod sciam multos Colonienſium doctisimos admodum stomachari in eos qui siue capite prædicto Marcellini, siue in historia Cassij & Florentij, imaginantur Veronam Frisicam & tanquam situs locorum ignaros sugillare.

Addo denique mihi non videri Veronam Frisicam prędicante S. Willibrordo exstitisse. Cedo enim, cur authenticæ vitæ eius, Adalberti sociorumque nil de illa? cur minus quam de Doreſtadio, Viltaburgo, alijsque? non præterijsset industriam, culturam Frisiæ Apostolorum, famosa vrbs.

Secundò, apud historiologos veteres dum enumerantur vastationes in Frisia Austrasiaque per Nortmannos factæ non longe post defunctum Willibrordum, omne plane silentium de Verona Frisica, cum tamen commemorent Doreſtadium, Neomagum, Witlam ad Mosam aliaque. Non euasisset rapaces auaras Barbarorum manus, si in rerũ natura fuisset, nec hostem latuisset. Post Nortmanorum furores ex aliorum reliquijs & ruinis surrexisse & deinceps excreuisse mihi est credibilius. Non semel tale contigit in mundo mutationi perquàm obnoxio.

Aduerte non verè S. Swibertum à Marcellino supra scribi primum Episcopum Werdensem, quemadmodum & à recentioribus scribitur. Werda nunquam fuit Episcopatus

patus aut Episcopalis sedes, nec vnquam ibi resedit Episcopus, nec ante aduentum S. Swiberti, nec post. Werda semper fuit & est parochia Diœcesis Colonien sis subiecta Episcopo Colonien si. Donata fuit S. Swiberto in habitaculum dumtaxat; non in sedem Episcopalem. Vnde error ille potuerit fluxisse, lege infra diss. 144.

De parentela S. Swiberti habet B. Furmerius S. Willib. & Swibertum originem trahere ex stirpe Hengisti Frisij Anglo-saxonum Ducis. Hengistus enim, iuxta ipsum, primus Cantiæ in Britannia Rex hæredem reliquit Orichium: ex quo nati sunt Ebissa, Octa & Edelredus. Edelredus filiam reliquit Ostridam quæ nupta cuidam Dynastæ Anglo ex eo peperit Oroniam & Bertam filias. Ex Oronia nupta Villegiso viro nobili ac pio natus est Willebrordus. Berta ex sigeberto Comite de Nortigam peperit Suidbertum: itaque ex duabus sororibus hi viri nati cùm essent, eandem quoque fortunam semper inter se concordes sortiti sunt. Hæc verò non parum differunt ab ijs quæ diximus de parentela s. Willebrordi diss. 1.

Dissertatio CXV.

De Sancto Villeico.

IN Sacratissimo Traiectensi Collegio sub S. Willibrordo claruit Villeicus sacerdos & prędicator egregius, qui salutaribus prædicationibus in Diocœsi Traiectensi cum S. Swiberto inter gentes præclaros fructus peperit. Postmodum cum Annum circiter 702. S. Swibertus relicta Frisia à S. Willibrordo

do discederet in Westphaliam, vt fidus Achates eum secutus est cooperator tàm in prædicando, quam congregando & ædificando Monasterio Werdensi quod liberalitate & auspicijs Pipini S. Swibertus construebat & cui defuncto Swiberto Præpositus præficiebatur. Gratus admodum fuit Pipino Herstallo eiusque coniugi Plectrudi. de eo hæc Molanus prima Martij:

Hic Euangelicus sacerdos & confessor, primùm fuit Canonicus conuentus nouellæ Traiectensis Ecclesiæ, vas virtutum, Latina lingua & Germana eruditus; eloquentissimus & mansuetissimus; iræ & auaritiæ victor; superbiæ & vanæ gloriæ contemptor; pauperum & infirmorum consolator. Multos gentiles in diuersis prouincijs saluberrima prædicatione à veneno idololatriæ, ad dulcorem fidei Christi perduxit. Postea Præpositus fuit in Werdensi monasterio, sub sancto Swiberto coëpiscopo sancti Willibrordi, cui congregationi annis decem, post mortem sanctissimi præsulis, præfuit. Mortuus est anno septingentesimo vigesimo septimo.

Addit Marcell. Miraculum à Velleico patratum Coloniæ in quodam Colonensi primario acerrimâ egritudine perpresso ad sanitatem reducto. Post mortem etiam miraculis claruisse.

Vbi aduerte primò, Vitam S. Swiberti apud Surium legere non primùm Canonicus, sed primus Canonicus. Verùm lectio Molani est verior, nam cur primus Canonicus? An alij ante ipsum non fuerunt Canonici? An hactenus solus in Ecclesia fuerit Canonicus? Cur non priores Canonici, Werenfridus, Swibertus, Adelbertus quos primos Traiectum adueniisse refert cap. 6. & inter eos primos non connumerat Willeicum quasi pòst aduenerit? Vide etiam quæ de Canonicis sunt dissertatione 84.

Ad.

Adu. 2. apud eundem Marcellinum Willeicum obijsse anno 727. & defuncto S. SWiberto per decennium Werdam gubernasse. Et quidem dicitur hoc consequenter ad ea quæ idem habet S. Swibertum obijsse anno 717. nos autem mox suprà probauimus S. Swibert. obijsse anno 715. vnde consequitur, si decem annis defuncto S. Swib. Werdam rexerit, eum obijsse anno 715. Sacras eius exuuias potissimum seruari Duseldorpij & Werdæ, aliquas etiam Colonię monet Gelenus in sacris Colonienſium. Vnde aut quo tempore Traiectum aduenerit, quot annis in ea Diocœsi prædicauerit, est planè tenebris sepultum.

Dissertatio CXVI.

Quomodo, quando & vbi interierit Radbodus.

VT è viuis excessit glorioſus Pipinus cuius armorum timore Frigidi Frisij continebantur, Radbodus quasi laxatis habenis, contemptui habens adolescentiam Martelli (erat is viginti tantùm annorum) & in occasionem sumens eiusdem captiuitatem, simul dissidia Principum Francorum ob successionem in Maioratum, impietatis castra in Frisiam Orientalem Austrasiamque mouet. Confœderatus deinde Martelli aduersarijs Chilperico, quem debellato Theobaldo Plectrudis nepote Regem Franci constituerant & Raginfredo quem magistrum equitum siue Maiorem Domus crearant, Coloniam vsque populabundus excurrit. In quem è carcere elapsus dum insurgit Martellus magno

magno exercitus sui damno victus est anno 715. teste Sigeberto. animo tamen inuictus mansit. Nam resumptis viribus Chilpericum persecutus ad Amblauum circumuentum spoliauit 3. Kalend. Aprilis; postea in pago Cameracensi, apud Vinciacum, Dominico ante pascha, quod erat 13. Kalend. Aprilis Chilperico & Raginfredo iterum congreditur. Raginfredus victus in fugam vertitur: Karolus eos vsque Parisios persequitur anno 718. eodem Sigeberto testante. Victorijs adauctus Karolus Coloniam ingreditur, Thesaurorum patris è manu nouercæ potitur Maioratum Domus plenè auspicaturus.

Radbodus eius prosperis successibus consternatus in Frisia versans tandem fato suo cessit anno 719. iuxta communẽ Chronologorum calculum.

Quo mortis genere, non vnum est omnium testimonium. Recitabo primò quædam compendiosè & illustrabo à proposito nostro non aliena ex actis S. Wulfranni Frisiæ prædicatoris sedente Willibrordo quæ conscripsit Ionas Monachus Fontanellensis contemporaneus.

Barbarus Ethnicorum in Frisia erat mos sorte deligere quosdã Dijs sacrificandos. Sorte cadente in duos pueros aquarum suffocatione immolandos, B. Wulfrannus eorum & Matris vbertim flentis misertus, super aquas instar D. Petri gradiens eos fluctibus iam iam deuoraturis eripiens, in aridam eos traductos Matri restituit. Viso illo prodigio præsens Radbodus multum de sua pertinacia remisit, sed vtinam extinxisset. perstitisset vtinam. Nam vt ad fontẽ baptismatis duceretur, fortè ex Wulfranno Prę̃sule, vbinam esset maior numerus Principum & nobilium gentis Frisonæ, quæsiuit; cælestinè in regione, ad quam baptismatis gratia peruenturum se promittebat, an verò in ea quam tartaream Wulfrannus nominabat. Cui vir

ſanctus, quid, inquit, errore deciperis? omnes, quorum perfidia Chriſti gratia ſanata non fuit, & quorum ſordes ſacro fonte purgatæ non ſunt, certum indubitatumque eſt, in tartaream ſempiternæ miſeriæ regionem (quorum ingens eſt numerus) præcipitatos eſſe. Qui verò ad hunc fontem Chriſti gratia vocantur, in cæleſti regno incredibili gaudio ſine fine exultabunt. Hæc audiens perfidus, pedem à fonte retraxit, & ait; at ego Principum meorum Friſonum conſortio carere non poſſum, & in cæleſti regione cum exiguo pauperum numero reſidere nolo: tum beatus Præſul, ô te infęlicem! Siccine iuuat, dæmonis fraude deceptum, ad ſempiternos properare cruciatus? multaque alia de pœnitentiæ & ſacri baptiſmi neceſſitate S. Pontifice dicente & docente, multi Friſonum credebant & baptizabantur. Interea Radbodus animo in diuerſas valde repugnanteſque ſententias diſtracto, Willebrordum eiuſdem gentis Epiſcopum aduocari iuſſit; ſed iam antequam ille adeſſet, ijſdem inuolutus tenebris, perfidię ſuæ pœnas celeri morte pependit. Diu perfidus animum in varias partes verſabat, & quidnam factu optimum foret, ſtultè admodum deliberabat; cum Ouo, (qui de mortis periculo beati Pręſulis virtute ereptus, Chriſto nomen dederat, & tunc ſacris initiatus ſacerdotij munus ſub habitu monaſtico in Fontanellenſi cœnobio, cum non mediocri ſanctitatis opinione, adminiſtrabat) clariſsimè cognouit, quid Radbodum à lauacro regenerationis retardaret. Nam vt Princeps in infirmitate conſtitutus eſſet, vidit nocte quadam hominem illuſtrem ad ſe venientem veſtium gemmarumque ſplendore incredibili micantem, qui ita ad eum ſermonem inſtituit: Dic, quęſo, virorum fortiſsime, quę te dementia vexat vt cultu deorum neglecto, & auita religione,

ne, pro qua ad extremum vitę ſpiritum Principes innumerabiles cum inſigni nominis ſempiterni gloria decertarunt, contemptâ, ſtatuas ad obſcura quędam numina, & hactenus incognita tranſire. Vide nè te Vulfrannus in fraudem inducat. Cęleſtes is tibi ſedes promittit? fucus tantum verborum eſt. Re enim vera ego ſum, qui diuitias & honores tribuo, & manſiones inuictis Principibus pulcherrimas aſsigno. Si difficile videtur verbis meis fidem adhibere, periculum facito, nihil moror; legatos mitte, ego eis oſtendam manſionem eximię pulchritudinis & fulgoris, quam tibi poſt puſillum ſum daturus. Hæc cum accepiſſet, mane facto, Vulfranno cuncta expoſuit. Qui ingemiſcens has perniciosas Dæmonis inſidias eſſe dixit, quibus homines in ſempiternam miſeriam præcipitat, contemplans, à lachrymis temperare non potuit. Et nè alia pro alijs à gentilibus fingerentur, miſit cum quodam Friſone Diaconum ſuum, vt illam, quam dæmon fingebat, regionem luſtraret. Vix pedem oppido extulerant, cum quidam ſe itineris comitem offerens, inquit; venite, me ſequimini, ego vobis domum eximiæ pulchritudinis, Radbodo Principi à dijs paratam, oſtendam. Illi veſtigijs eius alacriter inſiſtentes, poſt varia loca multo labore ſuperata, in viam quandam marmoreo opere decoram peruenerunt, in cuius exitum domus auro, vt putabatur, puriſſimo contecta, ſtabat.

Ingreſsi domum, thronum gemmis incredibili fulgore micantibus ornatum conſpiciunt. Tum ductor itineris; hæc ſunt præmia quæ Principem noſtrum, ſi in Deorum cultu perſeuerauerit, manent. At Diaconus ſtupore ex gemmarum fulgore & admirabili domus totius ornatu oppreſſus, Heu, inquit, ſi Deus immortalis ho-

rum conditor est, maneant, sin diabolus, dispereant. Hæc dicens, & crucis se signo muniens, dux itineris euanuit: & illi in vasta & horrida solitudine relictos se vident. Tum demum fraudes cognoscere, & miseram mortalium seruitutem, qui inimico aures præbent, lamentari, & trium itinere dierum multis laboribus emenso, domum tandem peruenerunt, principemque miserabili morte sine baptismatis sacramento extinctum inueniunt, idque anno 719. qui erat septimus Caroli Principis.

Hæc sunt Ionæ, quamquam alijs & breuioribus expressa verbis. Inde colliges secundum eius scriptionem interijsse Radbodum versante in Frisia Wulfranno post miseram ludificationem extra prælium & vulnus, siue naturali morte, siue Deo extraordinario medio vitam eius abrumpente. Alius tamen in prælio victum occubuisse: alius naturali fato cessisse: alius amisso prælio post, siue ex vulnere, siue alio ex dolore symptomate obijsse. Ex quibus omnibus eligo Aimoinum (quem etiam eligere video Ianum Dousam libro Annal. Hollan.) Franciæ vetustum scriptorem, iuxta quem Carolus Martellus Ratbodi insolentiam castigaturus & de iniurijs illatis vindictam sumpturus expedito exercitu in Amstrachiam & Austrachiam Frisiæ insulas ruens, super Burdone fluuio cum Frisijs confligens triumphat, Radbodo inferiore victo in prælio occumbente. Eligo, inquam, magis hunc, præcipue præ Iona, quamquam non desint ei sequaces, vt Beka, Heda, Sigebertus. Quia in primis Historia de ludificatione Radbodi interemptiua fabulosum quid sapere videtur, sicuti confictam esse probat Bernardus Furmerius in Annal. Frisiæ nostræ sententiæ insistens. 2. Ionas quædam habet falsa, imò sibi repugnantia quæ narrationem merito suspectã reddunt: ait Wulfrannum in Frisiam adueniisse anno 700.

no 700. ac quinquennio prædicationem absoluisse; vnde sequitur Frisia exijsse in Gallias ann. 705. aut 706. quod & nos verum reputamus, cum probatis auctoribus, Miræo, Furmerio.

Sed tunc quomodo præsens in Frisia anno 719. fuit Wulfrannus pereunte Radbodo quemadmodum idem Ionas perhibet? Asyntheta sunt hæc. Item narrat Wulfrannum post reditum ex Frisia Episcopatum aliquot annis administrasse, eoque tandem resignato in Fontanellensi Cœnobio aliquo tempore pietati vacasse obijsseque anno 720. quomodo ergo Frisijs interfuit pereunte Radbodo? inter 719. & 720. non est inuenire annos quibus administrasset Episcopatum apud Senones, & quibus Monasticem exercuisset in Fontanella. Aliud falsum adiungit Ionas, dum inquit annum 719. esse 7. Principatus Caroli Martelli: nam post obitum Pipini, qui contigit anno 714. primò auspicatus est Principatum Martellus: imo propter difficultates occurrentes, de quibus supra, probabiliter non nisi post annum 715. Ab anno autem 714. aut 715. non sunt plures quam quatuor aut quinque anni.

Hos parachronismos & antilogias in Iona improbarunt priuatim docti viri à me in hisce tricis rogati. Et circumstantiæ hæ non parum eleuant de Radbodi morte factum discursum. Moneo tamen lectorem hæc antiquo scriptori Ionæ me non imputare, sed posterioribus, qui vel opus Ionę ex inscitia deprauarunt, aut de suo aliqua insuerunt, quemadmodum ab aliena manu intertexta esse contextus facies prodit. Accidit hoc cuiusuis generis scriptoribus præsertim historicis, siue sęcularibus, siue Ecclesiasticis, cum typis nondum repertis calamo scripta omnia exararentur. Nam cum nunc illustrandi, nunc explendi gratiâ non raro suos Codices, qui curiosiores erant, glosse-

matis vel appendicibus pro arbitrio suo adornarent, frequenter euenit vt inertes & imperiti Librarii, qui inter genuina & supposititia dijudicare non poterant, in contextum simul omnia referrent: aut ipsimet studiosi quem amabant authorem locupletare suis studebant, Zelo non secundum scientiam.

Crediderim ego Ionam de ludificatione Radbodi narrationem symbolicã aut hieroglyphicam proposuisse, qua demonstraret vanas imaginationes ethnicorum de felicitate futuræ vitæ quibus à dęmone interius illuduntur ac tandem miseri in ęternum barathrum præcipitantur. Quã alij non aduertentes, tanquam realiter facta omnia acceperunt, simul confusionem temporum adiicientes.

Radbodum temeritatis & irrisionis in baptismum pœnas dedisse non est dubium: hinc veteris & Christiani Poetæ Christiana exclamatio:

O locus! ô Dirum, & tibi formidabile semper
Elogium, Radbode, tuum post tristia fata!
Sic eat ò Christi quisquis detrectat habenas.

MVltò fælicior fuit eius filia Theudesinda quæ sacro baptismate susceptο religionem nostrã professa legittimis nuptijs copulata est Grimoaldo Principis Pipini filio. Multò fęlicior eius filiolus, qui baptismo lustratus, baptismate in beatissimas Cælitum sedes est delatus: multo & ex ipsius posteris eiąue cognominis fęlicior Radbodus Vltraiectensis Episcopus post S. Willibrordum decimus tertius, de quo apud Hedanum hæc: Radbodus siue Radbodo vir illustер, & Regio sanguine ortus (siquidem Maternus Atauus erat Radbodus Rex Frisiorum & Guntherus Coloniæ

Coloniæ Agrippinæ Episcopus eius aunculus) vrgente Arnulpho Imp. Episcopus 14. constituitur animo satis renitente. Hic educatus in aula Caroli Regis Francorum, Nannonis Philosophi profitentis septem artes (quas vocant liberales) fuit auditor, &, vti conijcitur, ipsius Zuentibolchi Regis Archicancellarius, humanis ac diuinis apprimè eruditus, valuit carmine & pedestri oratione: Cuius scripta in vitam & laudem SS. adhuc extant; potens etiam spiritu prophetico & viuens clarus miraculis. Ordinatus autem Episcopus, iam exteriorem hominem suppeditans, & relinquens aulam Regiam, feruore religionis accenditur, orationibus, eleemosynis & corporis macerationi intentus vsque adeo, vt dum conuiuæ vterentur vino, ipse solus & clam illis aquam sumere consueuit.

De eodem sic apud Surium: Beatus Radbodus e nobili Francorum stirpe prognatus, parentes Christianissimos habuit, & ipse suis meritis magno ornamento mundo fuit. Nam ab ipsius propè incunabulis iam animo tendebat ad Cælos. Nomen eius mysterio non vacat, quod consilij nuncium latinè possis reddere. A Christo enim mittendus erat optimi consilij legatus ad Frisios, à quibus maternum duxerat genus, quibus certè optimè consuluit. Dux Frisonum Radbodus, quem alij Regem vocant, matris eius atauus fuit, cuius nomen ei mater imposuit. Scriekius cum Suriano legit Radbodus & interpretatur celer consilij, nuncius consilij, consiliarius &c. & sane veteres plures sic legunt, apud quos interdum reperitur Ratbodus. Attamen A. Miræus in Marginalibus ad Chronicum Sigeberti in anno 718. asserit in manu-scriptis diserte legi Rabbodus, indeque Teutonibus venire suum Rabbaut 1. nequam, scelestus.

APPE-

APPENDIX.

De Medemelaka. Amstrachia & Austrachia insulis. de Burdone fluuio.

NOn desunt qui nequitiam Radbodi & irrisionem baptismi à Iona narratas existiment contigisse Medemelacæ, nunc Medemblicæ, sitæ in Northollandia aut Westfrisia. Crederet istud Dousa lib. 6. Ann. si probari posset Medemelacam tempore Radbodi in rerum natura fuisse; sed probandum non putat; primò, quod in diplomate Othonis, quo Hollandiæ possessionem eiusque oppida exacte enumerata donat Theodorico primo Hollandiæ Comiti, nulla eius sit mentio, aliàs futura si ea tempestate vel datori vel acceptori vnquam vel fando cognita fuisset. Secundò, quod in Pontificijs Vltraiectinæ Diocęsis archiuis inter tot vetusimarum Ecclesiarum nomina, quas Diuus Willibrordus inaugurauit, nulla eius vel tralatitia sit memoria, quam non neglexissent, vtpote in Ciuitate Regia. Admittit tamen ex Heda in Odilbaldo, probabile esse antiquitus vicum fuisse; sic enim ibi legitur inter possessiones Ecclesiæ Traiectensis sedente Odilbaldo: *In Medemelake Regalis decima*: decimę enim consueuerũt colligi in pagis aut vicis, non in vrbibus. Sed propter hoc non debuit Dousa negare illam Baptismi illusionem actam Medemelakæ nam Reges & Principes etiam in vicis sæpe habent sua diuergia, palatia, & sic potuit Radbodus Medemelakæ, ibidemque cum Wulfranno supradicta tractare.

Imo

Imo apparet Medemelaka dignus locus fuisse vbi versaretur Rex aut Princeps, quandoquidem ibi penderetur Regalis decima quę non nisi ex honoratioribus locis solet tribui.

Medemelacam siue Medeblicam à Poetarum; Medça nonnulli ortam fabulantur. Verius est à fluuio allabente nomen esse deriuatum; sicut Flardinge à riuo cognomine. Nunc Medemelaca fluuius penitus desijt.

De Amstrachia & Austrachia insulis, in quas apud Aimonium irruit Martellus, eidem Dousæ lib. 2. Annal. videtur Amstrachia esse Amelandia Frisiæ insula ad mare, ternis modo habitata vicis, quondam Comitatus titulo decorata. ab antiqui vocabuli etymologia & nunc non nimium deflexa, nimirum duabus initialibus litteris concordans: & pæne idem significans. Austrachiæ autem hodie nec volam apparere. Mihi verò de Austrachia hodie multum apparet, nimirum Oostergow/ Osterreich olim dictum; apud Willibaldum Ostarr: in vita S. Ludgeri cap. 9. Ostrache pagus, in quo S. Bonifacius Martyrio est coronatus. Veteres enim O. & Ost per Au & Aust grossiori sæpe sono enuntiasse notum est. Sic Austria nobis Oostenrijch/ ex eo dictam historici produnt, quod imperium Germanorum eam versus Orientem prospectet; cui etymologię tametsi latina vox in speciem minus conueniat, Germanica tamen ex qua oritur, nihil aliud significat; dicitur enim Oostenrijck hoc est regnum orientale, id quod latinis est Austria deducto vocabulo ex Vernaculo Germanico mutatoque O in Au.

Itaque Austrachia mihi idem est, quod Ostrache, cui voce & significatione omnino consonat; moderne dictum Oostergow/ in quo continetur Doccomium.

Quinimo totus ille Frisiæ complexus, qui Occidentalis Frisia appellatur, olim Orientalis appellatione venit, licet mutatione temporis omnium inuersoris Embdani eo nomine solùm gaudeant.

Amstrachiam mallem esse tractum circa Amasium fluuium Aems aut Eems tracth id est tractus & Amstrachia Amasij tractus. sane non minus conuenit in litteris & etymologia quam cum Dousæ Amelandia. Magisque mihi imprimo, quod credibile admodum sit Martellum cum exercitu Coloniâ ex Francia venientem, primò in Westphaliæ partes & Regiones circa Amasium irruisse; inde prorupisse in interiorem Frisiam vbi Radbodus agebat, quem deinde super Burdone fluuio cecîdit; Eo ordine seruato refert Aimonius Martellum irruisse in Amstrachiam (primò scilicet) & tum in Austrachiam, ac post super Burdone in conflictu interfectum Radbodum.

Burdonem vero fluuium inter Amelandiam & Scellingam in sulas in Oceanum olim influxisse, sentit idem Dousa ibidem, indicariqúe hoc modernis vetusti nominis reliquijs Boerdiep quanquam corrupte pronunciatum, cum efferri deberet Boxndiep quasi Burudensoiep id est Burdonis profundum. Itaque fluuius Burdo nomine suo in partem & alueo in vniuersum excidit. Et quid mirum? quandequidem etiam Rex ille fluuiorum Rhenus, & medij ostij sui ad Caduicum, & tertij vbi in Fleui nomen transibat, iacturam fecisse comperiatur. Seculorum enim aquarumque decursibus factum, vt brachiorum aliquot, quibus antea (ex Pliniana descriptione) in Oceanum aut Lacus deuoluebatur, vsum penitus amiserit.

Ego vero contendo Burdonem esse fluuium Bordne aut Borthne ad Doccomium, iuxta quem interfectus est Bonifacius, de quo S. Willibaldus cap. 2. vitæ Bonifacij & Othlo-

Othlonus lib. 2. cap. 26. agens de Martyrio S. Bonifacij dum ait, cum veniſſent ad flumen quoddam Borthne vocatum, quod eſt in finibus eorum, qui dicuntur ruſtica lingua Oſter, Oostergow / Auſtrachia, & Weſterriche, Westergow. Non minus ſane conuenit Bordne cum Burdone, quam Boerdiep Douſæ. Neque diſconuenit ordo Aimonij ſcribentis Martellum in Auſtrachiam Oostergow irruiſſe & mox ſuper Burdone fluuio Radbodum deuiciſſe. An Alueo totus hodie exciderit, eſt incertum. Aduerto in topographia Friſiæ ad & circa Doccomium riuos aliquot fluere, & ad Oceanum vergere; aliquem iſtorum portari ab antiquo Burdonis alueo, mihi eſt probabile. Alluebat & Burdo ſiue Bordne Doccomienſem vicum, vltra quem per varios ſinus ad Oceanum patrem inter Amelandiam & Scellingam properaſſe, poſſet concedi.

DISSERTATIO CXVII.

De receſſu S. Bonifacij à S. Willibrordo in Angliam & profectione verſus Romam.

WInfridus, alias S. Bonifacius, poſtquam duodecim annis S. Willibrordi diſcipulus & cooperator in Friſia adhæſiſſet, exortis grauibus bellorum tempeſtatibus, quarum ſupra eſt facta mentio, inter Carolum Pipini defuncti gnatum & Radbodum Friſiorum Regem; quæ Eccleſijs Chriſti grauiſſimo erant detrimento, in Angliam ad ſuum Cœnobium redijt anno 716. In quo per annum & vltra ſum-

ma pietate moratus repudiata proprij Monasterij præfectura à fratribus oblata, charitate iuuandi exteros erraticos inflammatus, abitum petit & obtinet. Et vt (Othloni qui ante 500. annos vixit lib. 1. vitæ Bonif. c. 10. verbis vtar) eisdem votis maior auctoritas eueniret, adijt etiam ipsius loci Episcopum venerandum nomine Danielem petens, quatenus eius benedictione, & litteris commendatitijs ad Romam profecturus vti meretur. Quam petitionem Episcopus idem nutu diuino instinctus, benigne suscepit, efficaciter compleuit. Nam pastoris prouidi intentionem gerens, & bonæ indolis virum, nomine Stephanum, orbatæ congregationi præesse fecit & hunc Dei famulum per longas peregrinationis vias ire cupientem ad loca desiderata cum litteris dimisit. Tali igitur benedictione suscepta protinus valedicens Fratribus, proficiscitur per longa terrarum spatia, perque ignotas maris vias, donec collecta vndique non modica multitudo seruorum Dei, eodem Spiritu feruentium, ad eum conueniret. Hi ergo omnes vnanimiter per singulos dies multas SS. Ecclesias adierunt, obsecrantes, vt opitulante Deo tutius Alpium iuga transcenderent, Longobardorumque ferocitatem erga se leniorem sentire mererentur.

Nota hic primò. S. Bonifacius imitatus S. Willibrord. despectis cunctis patriæ facultatibus atque honoribus, pro Christi amore pròque aliorum salute peregrinari voluit, cum omnium charitate & licentia fratrum vota sua obtinuit. Charitate suggerente, gratia Dei intus trahente eo motus, non ductu libidinis, iræ, auaritiç, ambitionis, quemadmodum nostri sæculi hæresiarchæ, &c.

Nota secundò, quantumuis interius se vocari perciperet, attamen inconsultis, inuitis superioribus, nihil attentat

tat eorum bonâ veniam efflagitat, cum eorum benedictione discedit. Romani Pontificis Dei locum tenentis licentiam ad Apostolatus officium necessariam meditatur. Cum enim primo suo in Germaniam accessu fructus quos vellet, minus collegisset Sanctus, neque tamen idcirco diuinus eius aut extingueretur aut intepesceret zelus, aliâ rem aggredi viâ constituit, vt scilicet ab Apostolica sede, tanquam ab Apostolicæ prædicationis fonte, benedictionem hausturus, Romam pergeret, plurimosque ad maximum, quod animo agitabat, opus socios & adiutores compararet. Simile obseruat Baronius in Beato Egberto S. Willibrord. directore, in Wigberto, qui frustra Germanis euangelium anuntiare tentarant quod Romani Pontificis benedictione non essent muniti: videre, inquit, est ex ipso rerum exitu rem mirandam, sanctos viros à tanto opere sæpius reuocatos, quousque eorum legittimus efficeretur apostolatus. Etenim quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? inquit Apostolus. Quousque enim à Romano Pontifice prædicandi Euangelium apostolatum non accepêre, ipsorum labor minimè optatum finem consecutus est, vt scilicet ad fidem Christi barbaros aliquando conuerterent. Quare ex malis cautior Willibrordus, vbi in Frisiam appulit, confestim se Romam confert auctoritatis Pontificiæ tam pro se quam pro socijs obtinendæ causa: ne, inquit idem Baronius, in vacuum currerent; vbi ad verbi prędicationem iam patefactam viam viderunt, decernunt mox ad eum, quem vice Petri scirent vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ prę esse, Romanum Pontificem, legationem, qua apostolatum acciperent ad gentes, licentiam, scilicet, atque auctoritatem Euangelij prædicandi. Mente condant hæc Nouatores qui præsumptiosè seipsos introducentes currunt &

neque à Deo, nec ab eius vicario mittuntur.

Nota 3. socios à Bonifacio in itinere acquisitos Cuentauicij conuenisse refert Serarius lib. 3. Moguntiacarum notatione octaua. Vbinam vero locus ille sit, mihi peregrino est ignotum.

Nota quartò, socios S. Bonifacij omnes vnanimiter per singulos dies multas SS. Ecclesias adijsse obsecrantes &c. Longe siquidem hi primi Germaniæ Apostoli à nouitijs nostrorum pseudoapostolorum erroribus, de sanctis non inuocandis, abfuerunt. Quis fructus illam deuotionem consecutus sit, mox videbitur.

Nota quintò, Daniel, à quo commendatitias fert Bonifacius, Episcopus fuit Occidentalium Saxonum, siue vt nunc loquimur, Epis. Wintoniensis: de quo plura Beda lib. 4. historiæ cap. 16. & lib. 5. cap. 19. & vltimo & Malmesb. lib. 2. de gestis Pontif. Angl. Hic Daniel, teste Beda, vir in rebus Ecclesiasticis & in scientia Scripturarum sufficienter instructus, in epistola quadam hoc testimonium dat Bonifacio: Mi frater, ait, consacerdosque carissime, te primam virtutum promereri gaudeo palmam, qui saxea, steriliaque hactenus Gentilium corda, fidei magnitudine fretus, fiducialiter aggrediendo, vomere Euangelicæ prædicationis infatigabiliter subigens, in glebas fertiles quotidiano labore conuertere niteris, vt verè tibi aptari Propheticum, Euangelicumque dictum possit, Vox clamantis in deserto.

Nota sextò, profectio hæc Bonifacij versus Romam prima est; insignis litteris Danielis, sociorum multitudine ac pietate, Romani antistitis, quam sequenti cap. narrat Othlonus, humanitate. de duabus alijs profectionibus suo loco.

Nota septimò, eam contigisse anno Christi 718. deducit Serarius

Serarius lib. 3. Moguntiarum notatione 54. An autem eodem anno Romam appulerit, non reperitur expressum. Imaginaor sequenti demum anno peruenisse, eo quod per longa terrarum spatia perq; maris vias proficisci oportuit: quotidie multas SS. Ecclesias adierint: quod in via socios collegerint, quæ omnia longam moram in itinere præsertim hyemali consumpserunt. Denique quod vsque in Martium sequentis anni Romæ fuerint. Quæ enim causa eousque tempus protrahendi, si hoc anno Romam intrarint?

DISSERTATIO CXVIII.

Appulsus ad vrbem Romam cum suis Bonifacius à Pontifice humaniter & liberaliter accipitur.

QVia iuuat veterum verba etsi minus polita audire, habent namque sæpe singularem energiam & significantiam inestque semper ad fidem auctoritatis & grauitatis plus, pergam proferre verba Othloni, eaque explanare: *Cumque*, inquit, *vniuersa ferocissimæ gentis discrimina illæsi pertransirent, atque limina B. Petri Apostoli prospere adirent, statim debitas Christo grates persoluunt, ibique abolitionem peccaminum atque itineris sui felicem exitum deprecantes, sperata suffragia inuenerunt. Nam postquam sanctus vir venerabilem sedis Apostolicæ Præsulem, nomine Gregorium, qui eiusdem nominis secundus tunc habebatur, allocutus, ei aduentus sui causam manifestauit, & quali desiderio diutius desudasset, aperuit. Mox idem Præsul hilari vultu intuitat*

tat in eum inquisiuit, an litteras ab Episcopo suo commendatitias detulisset. At ille concitus chartam ex more inuolutam proferens dedit Apostolico. Apostolicus verò acceptis lectisq; litteris, & comperto sancti viri desiderio, sedulum deinceps cum eo colloquium habuit, reuerenterque eum ibi commorantem retinens, pro qualibusq; SS. reliquijs postulabat, illi tradidit.

Nota primò, efficaciam fructumque deuotionis & inuocationis SS. in itinere, vniuersa ferociſſimæ gentis discrimina illesè pertransijsse atque limina B. Petri Apostoli prosperè adijsse.

Nota secundò, *statim ibi abolitionem peccaminum deprecatos, speratasuffragia inueniſſe*: Soleniſſimum erat antiquitus ijs qui criminibus grauati erant Romam ad limina Apostolorum accedere, delictorumque deletionem sibi ibidem procurare. Idipsum imitabantur pij, inter quos nemo sine crimine se esse præsumit. Pigeret hoc Lutheranum & Caluinianum, qui domi etiam in lecto adeo molle habet excutiendis vitijs verriculum solam fidem.

Nota tertio, Gregorium Romæ sedentem vocari Apostolicæ sedis Præsulem, & per antonomasiam Apostolicum, id est S. Petri Apostoli successorem, authoritatis, potestatis, Cathedræ S. Petri hæredem. Ignotæ erant maioribus nostris Wittenbergensis, Genetensis, Apostatrices scholæ, pestilentiæ Cathedræ.

Nota quartò, rogasse Pontificem Werenfridum, an litteras ab Episcopo suo commendatitias detulisset. In more enim positum erat, vt qui Euangelij propagandi voto flagrarent, Romamque eius ergò venirent, epistolas antè actæ probitatis, prioris studij & doctrinæ indices ac testes Apostolico exhiberent. Nec dubito quin similes S. Willibrord. siue ex Hibernia siue à S. Lamberto Tungrensium Antistite, siue à fratrum suorum collegio secum Romam

mam ad Sergium adduxerit. Quomodò enim aliter de eo cognouisset? quomodo ei peregrino fidem dedisset, Euangelium commisisset Pontifex?

Obseruat vero hoc loco Serarius notatione 8. Duplices litteras ex Patria detulisse Winfridum: vnas quidem veluti patentes & communes ad omnes, quæ, vt in epistolarum libro leguntur, extant: alias ad Pontificem proprias, quas cum prioribus illis easdem non esse, prout insinuat non nemo, videtur ex eo clarè colligi, quod in illis de hospitalitate tantum, non autem de Bonifacij voto, doctrina, & virtute quidquam agatur: quòd in illis Reges primo loco, & generatim Episcopi, non autem Apostolicus salutetur: quod illæ apertæ ac euolutæ: quæ, vero ad Pontificem erat epistola, inuoluta de more tradatur a Wilibaldo cap. 5. & Othlono supra.

Nota quintò, epistolam inuolutam à Bonifacio Papæ oblatam fuisse instar voluminis, quod scilicet Hebræi megillah, Zacharias Pontifex apud Othlonum lib. 2. vitæ cap. 14. rotulum appellat.

Nota sextò, humanitatem comitatemque Pontificis, quibus sanctorum virorum vota amplexus, eos prosecutus est. Sicut D. Augustinus Mediolanum veniens narrat se ab Ambrosio satis Episcopaliter acceptum, ita Bonifacius socijque meritò extollant se à Gregorio P. satis Pontificaliter acceptos.

Nota septimò, Gregorius hic est Pontifex istius nominis secundus, creatus iuxta Baronium anno 714. 22. Maij indictione 12. sedit annis 16. Menses 8. dies 29. defunctus anno 731. 3. Idus Februarij, indict. 14. De quo apud eundem ad annum 714. Anastasius: *Gregorius secundus natione Romanus, ex Patre Marcello, fuit temporibus Anastasij, Theodosij, & Leonis, atque Constantini Augustorum. Hic à parua ætate in*

Patriarchio nutritus, sub sanctæ memoriæ Domino Sergio Papa Subdiaconus atque sacellarius factus, Bibliothecæ est illi cura commissa; deinde ad Diaconatus ordinem provectus est à S. viro, vir castus, diuina scripturæ eruditus, facundus loquela, & constans animo, Ecclesiasticarum rerum defensor, contrariorum fortissimus impugnator. Et ad annum 731.

Hic quadragesimali tempore, vt in quinta feria Ieiunium atq; Missarum celebritas fieret, in Ecclesÿs in quibus non agebantur, instituit.

Dissertatio CXIX.

Reditus Bonifacij in Germaniam cum amplo Pontificio Diplomate. Aliqua de Leone Imperatore.

S Bonifacius postquam non pauco tempore Romæ esset moratus, multaque Romanæ Ecclesiæ scita Germanorum Ecclesijs inferenda addidicisset, tandem à Gregorio mense Maio anni 719. in Germaniam remittitur, data amplissima facultate verbum Dei disseminãdi patenti diplomate expressa 15. Maij, quod tale est apud Othlonum supra cap. 12.

Exigit manifesta nobis religiosi propositi tui pie in Christo flagrantis intentio, & approbata synceriſsima fidei tua prolata relatio, vt ad dispensationem verbi diuini, cu-

cuius per gratiam Dei curam gerimus, te comministro vtamur. Experientes proinde, te ab infantia sacras litteras didicisse, profectusque indolem ad augmentū crediti cælitus talenti prospectu diuini timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cælestis oraculi in laborem salutifica prædicationis, ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei instāti conatu expendere, collætamur fidei tuæ & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmissi conatus pium affectum vsque ad Apostolicæ sedis, modesta prouisione, perduxisti consultum, vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens, & eius directioni iusto tramite properans soliditati compaginis plenitudo existas. Ideo in nomine indiuisibilis Trinitatis, per inconcussam auctoritatem B. Petri A-

postolorum Principis, cuius doctrinæ Magisterio fungimur, & locum sacræ sedis administramus, modestiam Religionis instituimus, atque præcipimus, ut in verbo Dei (quo igne salutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitêre videris) ad quascunque gentes infidelitatis errore detentas properare, Deo annuente, potueris, mysterium regni Dei per insinuationem nominis Christi Domini Dei nostri veritatis suasione designes & per spiritum virtutis & dilectionis ac sobrietatis prædicationem utriusque testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam denique Sacramenti, quam ad initiandos Deo pravio credituros tenere studeas ex formula officiorum sanctæ nostræ sedis Apostolicæ, institutionis tuæ gratia prælibatæ, volumus ut intendas. Quod actioni susceptæ tibi deesse perspexeris, nobis ut volueris intimare

timare curabis. Bene vale. Data Id. May imperante Domino pijssimo Leone à Deo coronato, Anno tertio Imperij eius, indictione 2.

Nota primò, ex dicta bulla & ex præcedentibus cerni priscos mores & antiquos ritus quomodo quis munere Apostolatus initiari soleret. Ad quod accuratius obseruandum, iuuabit ad singula verba attendere : videbitur quomodo prædicatio, fides, Sacramentorum dispensatio Apostolicorum virorum Romanæ Ecclesiæ consenserint, eius directioni subiacuerint, minimè ab ea diuulsæ, minimè alienæ, quemadmodum est eorum qui se ipsos muneri sacro ingerentes, à seipsis tantummodò loquuntur.

Nota secundò, Leonem Imperatorem fuisse impium, Iconomachum, Ecclesiæ magnum perturbatorem, attamen à Pontifice intitulari Pijssimum, titulo honoris & assueto Imperatoribus Christianis attribui; quemadmodum Iustinianum alioqui malum Pijssimum vocari apud Marcellinum differ. 27. explicuimus.

Nota tertiò, Leonem hunc vocari apud Surium Leonem secundum. In Othlono autem & manuscriptis S. Bonifacij epistolis neque secundum, neque tertium. Onuphrio est tertius : alijs est quartus. Diuersitas hæc oritur ex alio atque alio modo personas computandi. Sunt qui Leonẽ cum filio Leone imperantem circa Annum Christi 460. pro vno Leone : alij qui pro duobus Leonibus Augustis accipiunt. Sunt qui Leontium anno 696. imperantem Leonem scribunt, alij exscribunt; nam Leontium & Leonem diuersa nomina esse. Qui tamen omnes in serie

Imperatorum enumeranda quoad rem conueniunt.

Nota quartò, Quæri posse num annus Imperij Leonis tertius & indictio secunda in bulla Pontificia legittime sint posita. Si Baronium sequamur auspicantem Imperium Leonis anno 716. 8. Kalend. Aprilis, vel asserendum est, ponendum esse Leonis Imp. quartum inchoatum à vigesimo quinto Martij anni 719. vel diploma esse concessum Indictione prima anno 718. quod tamen Baronius non admittit. Quare rectius sequemur Paulum Diaconum, Onuphrium alioſque inchoantes regnum Leonis anno 717. 25. Martij Indict. 15. currente à Septembri anni 716. ex prisco vsu. Et hoc modo recte saluantur in bulla annus tertius Leonis inchoatus scilicet à 25. Martij 719. & Indict. secunda currens nimirum à Septembri anni 718.

De annis Imperij Leonis sic Onuphrius: *Leo tertius Imperator cognomento Conon & Iconomachus, natione Isaurus, ex Germanica ortus, adeo obscuri generis vt sedentariam exercuerit, qui ex Duce Orientalis exercitus pulso Theodosio Constantinopoli Augustus appellatus est 8. Kal. Aprilis anno Domini 717. Theodosio ipso Adrymatteno solo Consule. Coronatus à Germano Patriarcha. Imperauit annos 24. menses 2. dies 25.*

Solus autem tres, dies 16.

Cum Constantino 6. Filio suo Augusto annos 21. Menses 2.

Obijt Constantinopoli 14. Kal. Iulij anno Domini 741. post Consulatum suum anno 24. ibique sepultus.

DISSERT-

De excessu S. Wulfranni. De eius corporis incorruptione. Aliquot eius exempla.

S. Wulfrannus, siue Vulfr. vas virtutum, postquam reuersus à Frisiæ cultura Episcopatum suum Senonensem omni diligentia & pietate aliquot annis administrasset, ad Rachelis amplexus (vitæ contemplatiuæ exercitium) suspirans substituto in Ecclesia Senonensi V. Gerico in Fontanellensi Asceterio sese abdidit, vbi regularibus subditus disciplinis summa humilitate, summo deuotionis ardore, eximia in egenos liberalitate, verbis & factis fratres præeundo, miraculis etiam floruit quæ fusius enarrat coætaneus vitæ scriptor Ionas apud Surium vigesimo Martij. Quo anno Episcopatum dimiserit, quot annos postea in Monastica expleuerit, nos fugit.

Tandem vehementi febrium æstu occupatus, terminum mortalis peregrinationis sibi imminere persentiscens, accitos suos collegas ad perfectarum studia virtutum, præcipue autem exemplo S. Ioannis Euangelistæ ad charitatem mutuam exhibendam, tanquam religiosi status animam, fundamentum, notam, magna contentione cohortatus est, vt ei applicare liceat quod de S. Ioane Euangelista M. Gregorius hom. 15. in Ezech. Succendi cor nostrum igne charitatis quærimus, S. Ioannis (Wulfranni) verba pensemus, cuius omne quod loquitur, charitatis igne vaporatur. Hanc exercuerat conuersans in corpore, hanc discedens studuit relinquere in suorum mente. Completa exhortatione S. illa anima corporeo carcere liberata ad vberrimum charitatis fontem, quem sitiebat Christum euolauit

cuolauit anno gratiæ 720. quemadmodum signat idem Ionas & sequuntur cæteri : anno reuersionis ab Apostolatu Frisiæ 15. tot enim ab ea reuersione tam in Episcopatu, quam in Monastica exegit, quinquennio prædicationem suam absoluens, Frisiam deserens anno 705. aut 706. prout ex Iona alijsque historicis est videre. Sacrum corpus illatum tumulo S. Wandregisili Fontanellæ conditoris, postquam nouem annis iacuisset, Wandregisili autem 40. & S. Ansberti annis vndecim, Bainus Morinorum Antistes deuotione erga eos tactus, honorificè in Ecclesiam S. Petri nouiter erectam omnes transuexit anno 729. Quorum corpora cum vestibus ita ab omni putredine & incineratione illæsa reperta sunt, ac si eodem die animam exuissent. Gloria hæc est SS. Dei, hæc incorruptionem mentis, quam in vita seruauerunt, designat, hęc dotem immortalitatis in ęterno regno obtinendam prænotat ; hæc lux est templi Spiritus Sancti. Optimè Thiofridus Abbas Efternacensis Epitaph SS. lib. 1. cap. 3. Ex natura (caro SS.) est putribilis ; ex meritis & gratia longissimo tempore, etiam contra naturam durat imputribilis, ac ab ea esuriens repellitur vermis. Cumque vermes sint Ciues hominis, illum Ciuem suum non facile, non subito cognoscunt, qui Dei & Angelorum ciuis est; & qui vermes, infestas videlicet cogitationes, à se repulit, dulcedo vermis non est, non auide discerpitur, non quasi famelicam ingluiem satians, auidius absumitur. Caro sanctificata, per naturam induta putredine, & sordibus pulueris, dormit in puluere ; per gratiam & meritum, vigilat in mirifico opere, & eum, cuius dulcedo est vermis, resuscitat de puluere & reddit gratię. Hoc priuilegio exornata fulserunt plurium corpora & antiquioribus & recentioribus sæculis. Diuus Augustinus oculatus testis ad inuenta corpora

pora SS. Geruasij & Protasij præ admiratione Deum compellans, lib. 9. conf. ca. 7. Tunc, ait, memorato Antistiti tuo, Ambrosio, per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora Geruasij & Protasij, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras vnde opportunè depromeres. Diuus quoque Hieronymus in vita Hilarionis tradit corpus eius post menses decem adhuc omnino integrum repertum & tantis fragrans odoribus, vt perfusum vnguentis putaretur. Similia de SS. Iuuentio, Maximo, perorat Chrysostomus Sermone de eisdem. Sulpitius in epistola ad Bassulam Socrum, de obitu S. Martini dicit, post mortem eius in ipsius corpore glorificati hominis apparuisse figuram; fuisse enim carnem eius vitro puriorem, lacte candidiorem, vt septennis pueri decorem ostenderet. Quod idem de corpore S. Francisci refert S. Bonauentura. De S. Eduardo Rege Anglorum, qui ante annos 400. floruit, scribit auctor eius vitæ apud Surium mense Ianuario, anno 36. ab eius obitu inuentum esse corpus ipsius integrum, plenum succo, flexibile, ac si etiam tunc viueret, & non solum ossa & carnes in nullo læsas, sed nec pilos capitis aut barbæ, nec ipsas vestes aut calceos. Ægidius Aureæ vallis Monachus, Additione ad Anselmum in Walcando cap. 34. agens de translocatione S. Huberti, ait, à Sacerdotibus eleuatũ, ita incorruptum quasi eo die sepultũ fuisset, quod cum sarcophago suo marmoreo in naui per Mosam fluuium, cum hymnis, & laudibus prosecuti sunt vsque in Ardennam, in Monasterium Andainum. Contigit autem illa Translatio annis 98. post obitum eiusdem S. Huberti. Omitto plura ad recentiora properans. S. illius planè admirabilis virginis Theresæ (obijt 1582.) corpus post nouem transactos menses, ex quo terræ mandatum ac calce à cæmentarijs opertum fuerat,

ad indicium suauissimi odoris integrum ac flexibile per omnia, capsa vestibusque licet putrefactis, è terra rursus eodem quo humatum fuerat modo eruitur. Beati Francisci Xauerij post 25. mẽsesà morte integerrimũ (obijt 1552.) suauiter olens conspectum & incisum etiam recentem sanguinem stillare visum est, cum tamen per multos mẽses calce obrutum iacuisset. nec dubium est Bellarmino quin vsque in hodiernum diem totum & illęsum conseruetur. Simile idem scribit (tomo 2. Reliq. SS. cap. 2.) *Vidi Bononiæ corpus B. Catharinæ integrum, atq; incorruptum, cum ante annos supra centum Sancta illa virgo de hac vita migrauerit. Vidi quoq; apud Montem falcum in Vmbria corpus B. Clarę aquè integrũ, atq; incorruptum, cum ante annos trecentos Virgo illa felicissima obierit. &, quod maius adhuc miraculum videri potest, in eius corde conspiciuntur instrumenta Dominicæ passionis ex ipsa carne tam admirabili arte formata, vt omnes qui ea cernunt, cogantur dicere, Vere digitus Dei est hic.* Ac, vt alia, ait, multa prætereã, quid postremò de ciue ac patrona mea Beatissima Agnete Politiana dicam? floruit illa ante annos trecentos & viuens & mortua multis magnisque miraculis, quorum vnum me puero contigit, cuius non ego solum, sed tota Ciuitas testis fuit. Eius corpus incorruptum atque pulcherrimum non semel vidi. Non ex fama solum audiuit, non solum legit Bellarminus, insuper vidit & non semel. Quid ad fidem faciendam plus desideratur? finiam exempla nuperrimo prodigio recentissimâ memoriâ ex Dei dignatione Flandriæ, imò toti mundo, exhibito in reuelatione B. Idesbaldi 3. Abbatis Monasterij B. Mariæ de Dunis in Flandria iuxta mare ordinis Cistercienſis, defuncti anno 1167. de cuius exuuijs anno 1623. ex aquis & sabulone extractis Reuc. Dominus Antonius de Hennin Episcopus Iprẽsis præsentibus multis primæ dignitatis tam Ecclesiasticæ quam

quam sæcularis viris inspector & visitator diplomate sigillato anno 1624. proloquitur testaturque hęc: Ex qua inspectione (verba sunt diplomatis) deprehensum est caput integrum (Idesbaldi) adhuc munitùm capillis, inter quos eminebat corona Religionis. frons integra, oculi suis tecti palpebris & ornati supercilijs. Nasus aliquantulum fractus violento quodam ictu, quo, vt dicebant, & Prælatus testabatur, in eundem impegerant eius integritatem exploratam non habentes, dum funem cum linteo, quo inuolutus erat, frustra vi in partes detrahere tentarent. Genæ integræ, labia integra coloris aliquantulum liuidi. Os parum patens, ita vt duo aut tres dentes in ipso aliqua sui parte videri possent. Barba valde copiosa quam quis ab octo diebus rasam iudicasset, ita tamen firma, vt præsentibus nobis fortiter pili eius à Chirurgo tracti euelli non possent. Tota vultus constitutio tanquam dormientis in sinistrum latus versa; collum adhuc ductile & prorsus integrum. Humeri & brachia omnino integra, sicut & manus in quarum dextra adhuc parui vulneris vestigium apparebat. pectus adhuc valde crinitum & integrum; venter præterea cum coxis, genibus & tibijs prorsus integris & pilosis, ipsis etiam Musculis prominentibus. Pes sinister integer & iustæ magnitudinis; dexter vero, sicut & dextra manus, paulo contractior, ita vt videretur adhuc in viuis existens paralysi, spasmo aut apoplexiæ malo laborasse. Tibialià omnino integra, ita vt etiam futurę omnes dignoscerentur. Iam intueamur SS. Virorum, qui fidem & communionem Ecclesiæ Catholicę tenuerunt, honorem, dum eum audimus non vno exemplo probatum. Hinc videmus quam Deo acceptus fuerit Wulfrannus Frisiæ Apostolus tali priuilegio adauctus: quam vera ortodoxaque fides fuerit ab ipsis prędicata, quam

Deus insigni miraculo (sine miraculo enim incorruptio illa non stat) ab obitu est testatus. Discant ad primam originem, ad primos Doctores à Deo missos animum conuertere. Mementote (ad Hębreos 13. clamat Apostolus) prępositorum vestrorum qui loquuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidē. Cedo cui hæresiarchę aut hęretico talis aphtharsia aut exitus contigit? Omnes ignominoso exitu, sicut corruptibilibus & putredini in vita seruierunt, ita statim in putredines, fœtores, corruptiones, abierunt. Doceat vnus Lutherus (transire debeo reliquos ne debito longior sim) omnium Hæresium nostri sæculi fons & antesignanus, cuius cadauer cum media hyeme deportaretur, quo tempore mortuorum corpora diu conseruari possunt & inclusum deferretur in arca stannea optimè clausa, vt Wittenbergæ sepeliretur, tam tetrum odorem spirare cœpit, vt à nemine deferri potuerit, ac proinde coacti fuerint in medio itinere illud derelinquere. Dignum profectò miraculum seu verius portentum, quo primus sæculi nostri hæresiarcha fœdam fidem suam mundo contestatam relinqueret.

Cæterum glorioſum S. Wulfranni depositum cum exuuijs SS. Wandregisili & Ausberti sęuiente Nortmannorum persecutione, transportatum est Boloniam. Postmodum sedato eorundem furore cum ijsdem transuehitur in montem Blandinium Gandaui territorij vbi & hodie eorum aduentus memoratur tertia Septembris; eleuatio & translatio 31. Martij iuxta Molanum in notis ad Vsuardum.

Dissert;

De reditu Sancti Bonifacij ad S. Willibrordum In Frisiam. Nonnulla obscuriora explicantur.

SAnctum Bonifaciũ Roma discedentẽ diss. 119. vidimus. Post quam relictam contulit se ad Regem Longobardorum Luitprandum qui eum honorifice accepit. Ab illo ardua & prærupta Alpium iuga transcendens in Baiorios (Bauaros) inde in Turingiam descendit 720. vbi per aliquot dies hærens omnes illius Prouinciæ Principes verbis spiritualibus alloquens, ad sacrę fidei agnitionem, totiusque religionis tramitem reuocauit. Sed & sacerdotes, quos sceleribus varijs deditos comperit, sermonibus Euangelicis admonens, ad institutionis Canonicæ normam correxit. Interim ad aures peruenit obitus impij Radbodi Frisiorum Regis qui nuper funestas tragedias Frisiæ & Austrasiæ Ecclesijs mouit, causaque Bonifacio extiterat ex Frisia in Angliam redeundi anno 716. vide dissertat. 103. Audito Tyranni interitu, non quieuit spiritus eius donec amato & Reuerendo suo Patri ac magistro Willibrordo denuò coniungeretur, confectisque itinerum molestijs Frisiam intrans anno 720. desiderij compos redditur.

Verùm antequam de secunda hac mansione apud Willibrord. plura, interponendum vnum verbum de prima commoratione 13. annorum, quam per tria loca & per tria tempora distinguit citatus à Serario lib. 3. Mogunt. notatione 12. manuscriptus Fuldẽsis Codex, in quo præceptoris & magistri sui S. Gregorij Vltraiectini post S. Willib. & S. Bonifacium Præsulis vitam litteris consignauit S. Ludgerus, enarrans: *Cum ipse electus Dei Bonifacius Martyr*

post 13. annos peracta in Fresonia prædicationis, quibus in australi parte laci Almari pauper euangelicus, & propemodum solitarius S. sessionem suam tribus in locis peregisset; quorum vocabula sunt hæc: primus vocatur Wyrda, in Ripa fluuij Rheni, vbi septem annis habitauit. Secundus appellatur Attingohem, iuxta amnem Febra, vbi habitauit annis 3. quo in loco primum cæpit vnum habere discipulum nomine Gembertum: Tertius locus appellatur Felisa, qui propior erat gentilibus & Paganis, vbi 3. similiter annis mansit. Sic ille Codex. nostrum est nonnihil illustrare. Ac primùm obserua tria loca enumerata fuisse sedes fixas & ordinarias residentias S. Bonifacij; quare non vetat quo minus in alijs Frisiç locis subindè egerit & verum sit illud lib. 1. vitç Bonif. cap. 8. Othloni, Bonifacium ex Anglia transijsse Dorstet (Durostadium) ibique aliquamdiu commoratum debitas Deo persoluisse die noctuque laudes. Item antequam in Angliam rediret, peruenisse ad Treht, ibique etiã aliquantis diebus hæsisse.

Quod ait *Laci Almari*, nomine ipso proditur Ciuitas & terra Alcmaria, quæ, sicuti & vicinia, etiamnum abundat lacubus, inter quos sunt de Stermer/ De Bemster/ Purmer / De waert / Woymer/ De Zype/ & quos olim per modũ vnius lacus se habuisse videtur citatus Auctor indicare & ipsum nomen Almari, Almeer, quasi totum mare, totum Lacus, palus; incolarum enim gnara & laboriosa industria multos in arua sequentibus sæculis potuit cõuertisse. certe ante multos annos magna pars nominatorum ferendis frugibus reddita est idonea.

A parte Australi, Vergit ea versus Frisiam Occidentalem, Geldriam, Brabantiam, &c.

Wirda omnino est Woerden oppidulum versus Australem partem Alcmariæ ad littus antiqui Rheni dum Cadtwicanum ostium ingrediens, per Leijdam, per castra Alphena

phena Woerdenum adlambens Vltraiectinam vrbem copiosus nobilitaret, qui nunc degener stagnantes eis vix ostendit aquas.

Felisam imaginor esse Elst nobile municipium in Batua ad Lingam amnem medio fermè itinere inter Arnhemum & Neomagum, quod Carolus Martellus postmodum donauit S. Willibrordo In hoc S. Werenfridus Willibrordi sodalis plurimum desudauit. glebamque sui glorioſi corporis deposuit. Scribitur ab olim Elisa, Ilstum, Elissa, Helista, Helisa, ac facile per F Felisa. Non nouum ingraueſcentibus æuis nomina vel prorsus aboleri, vel varijs inflectionibus, detractionibus, additionibus, immutari.

Quid Attingohem, quid amnis Febra, diu meditando ne quidem per coniecturam assequi potui. Tandem in pinacibus occurrit Tienhouen quod cum Attingohem nomine & significatione bellè conspirat: Tin / Tien / hem / id est domus, curia, vernacule Hoff / Houen: att syllaba adiuncta videtur præpositio ad, siue aen Tingohem siue Tienhouen denotans, quæ ex vsu siue abusu non raro cum nomine coalescit, adeoque Attingohem sit idem quod ad, siue aen Tienhouen. Nec rei disconuenit, quia paulatim Bonifacius ex Septentrionali parte versus Australia lacus Almari promouit, in quibus est Tienhouen. Consequenter amnis Febra sit ille qui modo Lecca, ad cuius ripã spectatur Tienhouen, vel aliquis riuulus è Lecca dimanans.

Nota hic primò, quam sedulò in paupertate Christiana in Euangelica schola profecerit sub Willibrordo Bonifacius, adeo feliciter vt discipulos inciperet congregare idque in Hollandia & vicinia. Gloriatur Batauia Erasmo in lucem producto; potius glorietur hoc alumno, hoc incola in tantam personam, in victoriosissimum Apostolum

ium educato, euecto. Celebrant nonnulli male feriati Woerdam vt natale solum Ioannis Pistorij, qui Hæresios damnatus exustus est Hagæ Comitis anno 1525. celebrent potius Woerdam nutritium solum inhabitatoris Bonifacij, qui fide Orthodoxa insignitus, pro eadem glorioſam mortem oppetijt.

Nota secundò, prædictos tredecim annos primæ cõmorationis non esse accipiendos integros. Duodecim solum integri sunt, decimus tertius est imperfectus: nam anno 704. S. Bonif. primo ad Willibrod. accessit & 716. in Angliam recessit, quod spatium conficit annos integros 12. & partem 13.

Circa secundum aduentum quæri potest, Cur Frisiam petierit S. Bonif. Cur non in Germania manserit quò plurimùm eius legatio spectabat? An quia Frisia etiã est Germania? An quia Pontifex in diplomate committit vt ad quascunque gentes infidelitatis errore detentas properaret?

Resp. Licet Frisia contineatur modò sub Germania inferiori & Germaniæ pars quondam fuerit, tamen apud Willibrordum & Othlonum libro primo vitæ Bonif. cap. 15. & alibi Frisia condistinguitur à Germaniâ, & Bonif. intellexit sibi datam facultatem ab Apostolico laborandi in Germania, non in Frisia. Sic enim se excusat dum Willibrord. ei Frisiæ gubernacula deferre tentaret: *Onus regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, sancte Præsul, suscipere non audeo, quia à Beato Gregorio Papa in Germaniam ob euangelizandi causam directus sum, ipsiusq; legationis gratia in has barbaras nationes aduenien s, sponte me tuæ gubernationi imperio subieci.* Vbi certè aliud est Bonifacio Germania, aliud Frisia. Quare dum eum Pontifex mittit ad quascunque gentes infideles, intelligendum ad gentes Germaniæ quę variç & plurimæ

plurimæ in diuersas Regiones vastissimè dissecabantur. Cur ergo in Frisiam concessit Bonifacius? Cur post reditum à Roma non mansit in Germania delegata?

Resp. causa est quod cum negotium conuersionis Germaniæ arduum sublimeque esset, expetierit à Willibrordo Magistro suo iam triginta annos exercitato consilia, exempla cęteraque Apostoli munia perfectius haurire, plenius edisscere, vt omni peritia munitus legationem suam dignè valeret implere, quemadmodum ipsemet Bonifacius apud Othlonum supra videtur fateri. Præterea apud & per Willibrord. obtinuit notitiam, fauorem Caroli Principis reliquorumque Austrasiæ Princ. quorum auxilio intentum eius plurimum fuisse adiutum ex eius actis apud Othlonum est legere.

DISSERTATIO CXXII.

De S. Willibrordo conante Onus Episcopale imponere S. Bonifacio.

POstquam aliquo tempore Winfridus in Frisia sub Diœcesi & contubernio S. Willibrordi egisset, in Frisijs erudiendis, idolorum fanis destruendis, Christi Ecclesijs erigendis non parum collaborasset, probe exploratis eius ingenio, Zelo, industria, pietate, medita.ur conaturq; S. Willib.ei Episcopales fasces imponere anno 722. Verum refugus ille ad Germanicorum agrorum spiritualem culturam sese confestim confert.

Non grauabit lectorē ex Othlono fusius hæc edisserente audire : qui ample enarrat (libro 1. cap. 14.) Willibrordi studio sanctum Dei famulum Bonifacium omnimodo congaudentē & adhęretē per tres continuos annos laborasse cum illo tam in destruendis fanis quam in construendis Ecclesijs omnibusque negotijs diuinis. Et immediatè cap. 15. Inde factum esse, vt quia prædictus Pontifex ætate iam decrepita grauatus, suggerentibus discipulis, solatium suæ senectuti prouidere cuperet, hunc Dei famulum ad Episcopalis regiminis suscipiendum gradum, regendumque sibi commissum populum vnicè obsecrasse. Sed ille talia humiliter respuens, minime se dignum esse Episcopali gradu regerebat; & ne sibi in annis adolescentiæ adhuc constituto tantę dignitatis fastigium imponeret, precibus omnibus instabat; attestans etiam, quod, iuxta canonicæ institutionis præcepta, nec dum quinquagesimi anni etatem, qui huius gradus culmini conueniret, pleniter reciperet. Prædicto vero Pontifice blandis illum verbis increpante, & ad suscipiendum Episcopatus ordinem instigante, diuersisque pro hac spirituali contentione verbis inuicem prolatis, hîc sanctus vir in tanto agone positus, placidus tandem excusationis sermonem protulit, dicens: Onus regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, sancte Præsul, suscipere non audeo, quia à beato Gregorio Papa in Germaniam, ob Euangelizandi causam directus sum ipsiusque legationis gratia in has barbaras nationes aduenies, sponte me tuæ gubernationis imperio subieci. Tantum ergo mandatum præterire, & aliud quodlibet negotium subire nullatenus præsumo. Vnde, Pater Venerande, obsecro vt in illas regiones ad quas à Præsule Apostolico missus sum cum tua gratia simul & licentia transire merear.

Et

Et statim cap. 16. sequenti: his auditis S. Willibrord. data benedictione, permisisse illum abire. Sic habet relatio Othloni, qui exigit & meretur à nobis aliquam lucem. Quod dicit, *per trescentinuos annos*, ne intelligas tres impletos aut perfectos, sed duos perfectos & tertium inchoatum eosdemque inuicem copulatos & minimè interpolatos. Consule Serarium notat. 54. in vitam S. Bonifacij.

Ætate iam decrepita grauatus. Erat iam Willibrord. 64. aut 65. circiter annorum. Quomodo ergo hic affirmatur grauatus decrepita ætate, quandoquidem illa ætas nondum censeatur decrepita? id enim attribuitur septuagenarijs & vltra. Resp: quod S. Willibrord. solum esset 65. ad summum annorum, tamen præter tot dierum onus, religiosis exercitijs, vigilijs, ieiunijs &c. ante Apostolatum: in Apostolatu super illa per triginta & amplius annos peregrinationibus, profectionibus, concionibus, persecutionibus & molestijs, quibus eius Apostolatus & Episcopatus scatebant, fractus, meritò decrepitus & decrepitę ætatis nominari potuit.

Nec dum quinquagesimi anni ætatem &c. pleniter reciperet. Nodus hîc difficilis & in quo non consequenter procedit Serarius. Nam illud: *nondum pleniter quinquagesimi anni ætatem, seu, vt loquitur Willibaldus, necdum plene recepi*, lib. 3. Mogun. Not. 54. intelligit Bonifacium quidē amplius quā annorum quadraginta fuisse, quinquagesimum tamen haud dum inijsse: & tamen in summa annorum vitæ Bonifacij, quam eâdem notatione contexuit, tenet S. Bonifacium natum anno 670. Vnde sequitur hac recusatione Episcopatus, quæ etiam iuxta illum contigit anno 722. inijsse Bonifacium annum vitæ 52. ab anno enim 670. vsque ad annum 722. currit annus 52. quæ sanè minimè

cohærent.

Ego per, *nondum quinquagesimi anni ætatem pleniter recepi*, intelligo Bonifacium velle se nondum ingressum quinquagesimi anni ætatem pleniter id est multum; profundè; se nondum esse 55. aut 56. annorum; nondum attigisse annum sexagesimum, nondum in eo vitæ statu esse qui sufficientem dignitati Episcopali maturitatem, prudentiam & sapientiam adferret: olim namque grauis ætas ad primarias Ecclesiæ dignitates requirebatur, quæ successu temporis minor suffecit. Ac quamuis nec olim vsque rigorosè requireretur grandęua illa ætas (nam S. Willibrordus nondum quadragesimum annum attigerat dum crearetur Archiepiscopus Frisonum) attamen ex humilitate, ex pensato pondere oneris Episcopalis, ac vt quoquo modo illud effugeret, sic loquitur Bonifacius.

His ita expositis supersunt duo aut tria dubiola circa prætactum S. Willibrord. conatum expedienda, quorum primum sequitur.

Disset-

An S. Willibrordus intenderit suum Episcopatum resignare.

PRimum itaque dubiolum est, Num S. Willibrordum intenderit & conatus fuerit S. Bonifacio Episcopatum suum resignare, Onus, honoremque Episcopalem deponere; an Duntaxat Bonifacium in Coepiscopum, Suffraganeum & adiutorem assumere.

Non desunt qui priorem partem videantur asserere, quos sequutus ego in tabula Chronologica Apostolatus & Episcopatus S. Willibrordi edita anno 1626. posuj hæc verba ad annum 722. *S. Willibrord. eidem* (Bonifacio) *vult resignare Episcopatum suum, sed ille recusat.* Serarius etiam lib. 3. rerum mogunti: notatione 11. ait, in S. Bonifacium Traiectensis Episcopatus dignitatem transferre voluisse S. Willibrord. quod resignationem & depositionē Oneris Episcopalis sapit.

Verum re postmodum maturius considerata censeo Willibrordum neutiquam intendisse suo Episcopatui renuntiare & in Bonifacium transferre, sed tantum eum, vel in consortem suę sedis, quemadmodum Valerius Hipponensis Episcopus olim D. Augustinum, vel vt Coepiscopum, suffraganeum & auxiliarem sibi adsciscere. Suadent plane primò hîc verba Othloni initio cap. 15. *Vnde factum est, vt quia praedictus Pontifex aetate iam decrepita grauatus, suggerentibus discipulis, solatium suae senectuti prouidere cupiebat, suum Dei famulum ad Episcopalis regiminis suscipiendum gradum, regendumq; sibi commissum populum vnicè obsecraret.* Quæ verba minimè resignationem aut renuntiationem

inferunt. Quinimo illa, *solatium suæ senectuti providere cupiebat*, clare significant S. Willibrord. in senium iam vergentem studuisse Bonifacium assumere in solatium id est subsidium, auxilium, quemadmodum postea ipsum opera Coëpiscopi vsum esse scimus. Quod non est mirum, tum propter senectutem imminentem, tum propter vastissimam Diœcesim, in qua adhuc plurima restabant emendanda, plurima conseruanda, plurimum laboris subeundum.

Secundò, Egit id S. Willibrordus suggerentibus discipulis &c. non est autem verosimile discipulos Willibrordi ei, quem vt amantissimum colebant quique post Deum eorum salutis & totius Frisię auctor extiterat & erat, qui fidei fundamentum ibidem iecerat, suggessisse vt gradu Episcopali discederet, Episcopatum resignatum in alterum transferret. Non fuisset ea bonorum discipulorum tessera; aliud de ijs sanctissimus Præsul meruerat.

Tertiò, iuxta antiquissimos Canones Renuntiatio dignitatis aut Prælaturæ in manu superioris fieri debet. Propria auctoritate & absque sedis Apostolicæ scientia renuntiare aut Ecclesiam suam, cui spirituali indissolubili vinculo astrictus est, deserere non potest Episcopus. Nec est sufficiens causa Episcopatum resignandi vt quis saluti propriæ melius vacare possit religione suscepta. Nam Episcopo, qui se Episcopatus suscepti one obligauit ad suam & subditorum salutem procurandam, melius est vt in eo statu perseueret, quādiu ecclesiæ vtilis esse potest. Ast tale nihil hîc obijcit Bonifacius, nec vlla horum hîc mentio.

Quartò, non bono animo tulisset, nec ratam habuisset renuntiationem talem Carolus Martellus Austrasiæ Princeps, qui S. Willibrord. vt Dominum & charissimum Patrem

erem vnicè diligebat, qui iam pridem eundem plurimis beneficijs in Ecclesia Vltraiectina deuinxerat quemadmodum & eius genitor Pipinus.

Dices, Othlonus refert S. Willibrordum hunc Dei famulum (Bonifacium) ad Episcopalis regiminis suscipiendum gradum regendumque sibi commissum populum vnicè oblectasse; ergo regimen populi voluit abdicare, deponere & in Bonifacium transferre.

Resp. voluisse assumere Bonifacium ad regendum, id est ad conregendum, regendum pro sua parte, pro sua portione, sub sua directione seruatâ superintendentiâ & superioritate.

Cur potius ille hoc Bonifacio detulerit quam alteri, rationem reddit in fine cap. 14. Othlonus: *Cuius* (S. Willibrordi) *studio sanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens, per tres continuos annos laborauit cum illo, tam in destruendis fanis, quam in construendis Ecclesijs, omnibusq; negotijs diuinis.* Nimirum per 13. annos quos primò sub eo transegerat, & hos tres alios continuos post reditum ex Roma, de quibus iam Othlonus, præclara Bonifacij indoles & gnaua industria intimè sunt perspecta. Contigit vero illud studium S. Willibrordi in Bonifacium anno 722. pro vt docte deducit & declarat Serarius lib. 3. rerum Mognatinarum notatione 54. Non contigisse illud ante conditum à S. Willibrordo Cœnobium Epternacense plane etiam conuincit Othlonus, dum tradit id accidisse postquam Bonifacius Româ à Gregorio 2. redierat & potestatem Germanis prædicandi obtinuerat: Gregorius vero 2. cœpit sedere anno 715.; Epternacum autem conditum est anno 708. vel 709.

Dissertatio CXXIV.

Num S. Willibrordus aliquando suo Episcopatui renuntiarit.

Alterum dubium est, Num S. Willibrordus aliquando defacto Episcopatui renuntiarit, Episcopale officium & Onus deposuerit. Non moueremem hanc quæstionem (Motu indignam) nisi me cogeret Adrianus Iunius Batauię descriptor & quidam eius sequax. Iunius in sua Batauia asserit S. Willibrordum munus Præsulis exuisse idque ante conditum Monasterium Epternacense (conditum autem id est circiter annum 708. aut 709. prout supra diximus) in quo deinceps otio Monastico voluerit consenescere. Verba eius sunt: *Willibrordus Fr. sos Christiana pietatis rudimento imbuit. Postea relicto Præsulis munere veluti oneri impar ad Treuirorum Augustam concessit, quintoque ab ea vrbe miliario horrido & salebroso loco inter montium iuga construxit Monasterium, Absternacum nomine, quod hodie Ehternacum vocitatur.* Ita ille, scilicet Willibrordum dum Monasterium erigeretur, ab Apostolicis & Episcopalibus functionibus receptui cecinisse, ad otium monasticum confugisse. Iunium sequitur Petrus Montanus in descriptione ditionis Vltraiectinæ ad tabulas Chorographicas Petri Kærij. Verum hæc omnia falsa sunt & S. Willibrordo strenuo heroe indignissima. Patet primo ex proxime dictis, vbi vidimus Willibrordum dum Bonifacio munus Antistitis imponere tentat (quod contigit anno 722. non ante, sed diu

post fundatum Epternacum) fuisse in Episcopatu & in eodem recusante Bonifacio permansisse.

Probatur 2. Carolus Martellus adhuc anno 728. dum Fethnam Ecclesiæ Vltraiectine daret, vocat S. Willibrord. Apostolicum virum, Dominum, Patrem in Christo & Archiepiscopum Ecclesiæ Traiectensis ibidemque sub sanctæ conuersationis Cœnobitali ordine custodem præesse. Vide infra differt. 128.

Tertiò, idem anno 728. aut 729. eidem Ecclesiæ donans alia, similiter Willibrordum vocat Episcopum (Traiectensem) & vult vt Dominus Willibrordus Episcopus præfatas res in ius & Dominum suum recipiat suorumque successorum Dominus Dei nomine ad possidendum, ita vt ibidem omni tempore proficiat in augmentum pro remedio animæ suæ &. Eodem anno Rohingus Antuerpiensium Princeps in diplomate quo S. Willibrordo donat Ecclesiam Castri Antuerpiensis & tertiam partem Telonei, similiter eundem vocat Apostolicum Dominum Episcopum, Patrem suum &c. Ambo diplomata infra recitabuntur. Eodē anno & secundum Trithemium (cui annus 6. Theodorici Regis est annus 732. etiam,) Willibrordus in testamento suo non semel Episcopum se vocat vtique Traiectensem. Extat testamentum apud Scribanium in Antuerpia : Miræum in codice donationum piarum impresso anno 1624. & infra suo loco proferemus.

Quartò, Beda de statu anni 731. agens ait : *Ipse autem Willibrordus cognomento Clemens adhuc superest* (anno 731) *longaiam venerabilis ætate vtpote trigesimum & sextum in Episcopatu habens annum & post multiplices cælestis militiæ agones ad præmia remunerationis superna tota mente suspirans.* Vides hic Willibrordum tricesimum sextum annum in Episcopatu ha-

bentem in eodem adhuc perseuerare. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus S. Willibrordi discipulus ac post eius obitum Ecclesiæ Vltraiectinæ curator in epistola ad Stephanum Papam data circa annum 754. ait : *In illa sede* (Traiectensi) *& Ecclesia S. Saluatoris quam construxit prædicans* (Willibrordus) *vsq; ad debilem senectutem permansit & sibi Coëpiscopum ad ministerium implendum substituit & finitis longæua vitæ diebus in pace migrauit ad Dominum.* Vbi primo nota verba : *In illa sede Traiectensi & Ecclesia S. Saluatoris quam construxit prædicans*, verbo Dei ibidem seminando. Secundo, &c. *sibi Coëpiscopum administerium implendum substituit, & finitis longæua vitæ diebus*, &c. quibus ostenditur S. Willibrordum Coadiutorem Cõepiscopum in extremis propter senium habuisse, attamen vsque ad obitum cathedræ Traiectensi insedisse, officium Episcopale impleuisse. Quod idem designatur illis verbis : *vsque debilem senectutem, longæuis vitæ diebus*, quæ proprie intelliguntur octoagesimo ætatis anno & sequentibus, sicuti S. Willibrordus anno octoagesimo primo, secundum alios octoagesimo secundo vitæ ad Dõ. migrauit. Clarissimè idipsũ insinuatur præcedentibus eiusdem Epistolæ verbis, quibus dicitur, per quinquaginta annos Frisijs prædicasse, quos ipse extra Britanniam non excesit, vt residui nulli fuerint ad deliteſcendum in Epternaco. Nullus præterea Auctorum tradidit ante demigrationem S. Willibrordi Episcopium Traiectense vacasse, vel aliquem ei succenturiatum, potius omnes contrarium vel expresse astruunt, vel apertissimè insinuant. Epternacenses sæpe inuisit S. Willibrordus, apud eos tamen non hæsit : Direxit monasterium & tanquam Pater præfuit, Episcopatum tamen non dimisit, quemadmodum in testamento suo, quo pluribus donarijs Epternacenses affecit anno sexto Theodorici Regis se simul

mul Episcopum & monasterij custodem, gubernatorem profitetur; Similiter Gaspar Bruschius in Chronolog. Monast. Germaniæ Willibrordum in Epternacensi Monasterio Abbatis officium & simul Antistitis impleuisse,

Examinemus nunc paulisper rationem quare velit aduersarius S. Willibrordum deposito Antistitis officio monasticam quietem amplexatum: relictoque præsulis munere veluti oneri imparem ad Treuirorum Augustam concessisse &c. Potius te imparem oneri scribendæ historiæ ostendis Iunj. Aliquid forsan excusationis prætendes quod dicas, veluti oneri impar, non absolutè oneri impar. Sed reuerà sensus tuus est eum fuisse oneri Episcopali imparem ideoque secessus petijsse. Vnde hoc hausisti? vnde deprompsisti? non licet historico probo ex suo cerebro aliquid fingere. Omnes te anteriores auctores à strenuitate & dexteritate in munijs Episcopalibus & Apostolicis plurimum extollunt S. Willibrord. Thiofridus Abbas Epternacensis qui ante quingentos annos scripsit, S. Willibrordum primum sanctæ Traiectensis Ecclesiæ Archipræsulem vocat lucidissimum totius mundi solem, glorioſissimum Antistitem. Ioannes Becanus in Willibrordo Episcopo primo indigitat electum Deo sacerdotẽ: Pipinum attendentem in B. Willibrordo magnam Euangelizandi constantiam exorando tandem obtinuisse per supplicationem assiduam, quatenus ipse vir Dei ad Romanam vrbem accederet & à summo Pontifice benedictionem Episcopalem susciperet &c. vocat ibidem almifluũ Patrem, Præsulem egregium, confessorem inclytum. Idem in Bonifacio Episcopo secundo ait: *Tempore quo S. Clemens Episcopus Traiectensis dignè texit Ecclesiam &c.* Appellat Willibrordum Reuerendum Pontificem. Vide etiam epistolam Bonifacij ad Zachariam Pontificem & verba ex

ca supra citata. Heda in Willibrordo Episco po primoait, Adueniſſe ex Britannia viros litteris, moribus & religionis ſanctitate conſpicuos &c. Horum Ducem & rectorem præcipuum Willibrordum (poſtea Clementem) vndecim fortiſsimorum Chriſti militum ad numerum Apoſtolorum ſtipatum cateruâ.

Petrus Nannius & Leijdenſis ſupra lib. 13. aſſerunt Willibrordum ſemper fuiſſe feſtiuum, iucundum &c. quod firmitatis potius quã infirmitatis eſt indicium. Molanus in indiculo SS. Belgij eum hoc ornat elogio:

Vir virtute potens, diuino plenus amore,
Ore ſagax, & mente vigil, & feruidus actu.

SImilia paſsim de ipſo habent hiſtorici & antiquſsima diplomata Caroli Martelli, quæ omnia minime imparitatem, verùm maximam paritatem, idoneitatem & ſtrenuitatem in Apoſtolatu & Epiſcopatu Willibrordi oſtendunt. Vnde Leijdenſis ſupra cap. 34. de VVillibrordo moriente agens: *fuit enim*, inquit, *beatiſsimus iſte Archiepiſcopus omni dignitate præclarus, ſtatura decens, vultu honorabilis, facie venuſtus, corde lætus, conſilio ſapiens, ore iucundus, moribus compoſitus & in omni opere Dei ſtrenuus. Tandem anno prædicto &c.*

Quibus verbis oſtendit eum non in aliquo tempore aut in parte fuiſſe ſtrenuum, ſed toto tempore & omni parte officij.

Præter teſtimonia citata, S. VVillibrordus in Antiſtitem à Deo ſingulariter eſt electus, ſignis & prodigijs præoſtenſus. vide diſſer. 1. quare iuſtius credendum eum extitiſſe ſummè parem, ſummè aptum ſuis munijs, adeoque excellentem; quandoquidem Deus non niſi præclaros

ad

ad tale munus destinet, imo quos elegit, aptissimos reddat.

Secundò, quod Egbertus vir sagax ac prudens reliquis socijs emissis viris sanctis & industrijs Willibrordum eximium presbiterij gradu & meritis inter eos præfulgentem, vt loquitur Beda, præesse voluerit.

Quem non recte præfeciſſet, si alijs industria & fortitudine inferiorem agnouiſſet, aut imparem suo officio fore timuiſſet.

Vltimò, paritatem, idoneitatem S. Willibrordi abundè declarant fauores, beneficia, studia Pontificum tam Primariorum quã Secundariorum in ipsum, insuper quę ab ipso sunt scripta, facta, acta, & relicta.

Videtur lectum Iunio S. Willibrordum fuiſſe corporis tenerioris, non robusti &c. similia enim memini me apud aliquot authores legiſſe. Verum nõ asserunt fuiſſe infirmę, afflictæ valetudinis. Tenerius imbecilliusque corpusculum habuerit, adde, si velis, fluctuantis valetudinis, non propterea arguitur inidoneitas, imparitas ad officium.

Ingenio pollet cui vim natura negauit.

ET vt bene D. Bernardus epistola 254. in robusto ac vegeto corpore animus mollior atque tepidior iacet, ac rursum in corpore debili & infirmo fortior viget prõptiorque spiritus. Spiritus autem prȩcipuam aptitudinem efficit. Apostolus ille Trismegistus continuè de suis infirmitatibus conqueritur, addit tamen, Libenter gloriabor in infirmitatibus meis vt inhabitet in me virtus Christi: virtus in infirmitate perficitur: cum enim infirmor tunc fortior sum & potens. Ita placet diuinæ sapientiæ agere cum suis ministris, primò, vt in infirmis tan-

tam fortitudinem, patientiam, aliaque mira operando, virtutem potentiamque suam nota mille lustremque reddat. 2. vt is per quem operatur infirmitatis suæ conscius nihil inde vendicet, sed vniuersam laudem vni tribuat Deo. 3. ad exercitium humilitatis patientiæque eorum & ad cumulum meritorum. Gregorius primus Pontifex suam inualetudinem admodum deplorat. Attamen Pontificatum non deseruit; quinimo præclaris & Heroicis dictis, scriptis & actis cognomen Magni tam apud Latinos, quã Græcos est indeptus: adeo defectus solidarum virium corporis officium non impedit. Est namque, dicente D. Augustino, fortitudo nostra infirmitatis in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Et Hieron: ad Ctesiphontem: Hæc vna præsentis vitæ perfectio est vt te imperfectum agnoscas, vt scilicet tibi diffidens, & de tuis viribus desperans, te totum per spem firmam in Dei potentiam conijcias; Deus enim humiles, & in se sperantes roborat, & omnipotentes facit, ait S. Bernard. serm. 85. in Cantica, vt nullis tentationibus, difficultatibus, laboribus, periculis, frangantur. Talia in Willibrordo considerasse oportuisset. Atque hæc satis ad tale paradoxum. In semitam repedamus.

Disset.

De eleuatione Sanctæ Cuneræ Virginis petentibus Rhenensibus.

WIllibrord. Dei & SS. cum eo regnantium gloriæ promouendæ intentissimus, lipsana D. Cuneræ Virginis in Rhenensi territorij Vltraiectini oppido Martyrio affectæ & humatæ Ciuium rogatu eleuata in decentiorem locum transfert cultuique exponit anno Christi 723. iuxta calculum Rosweidæ.

De Cunera item Molanus in natalibus SS. Belgij ad 12. Iunij. In oppido Rhenensi S. Cuneræ Virginis & Martyris. Ipsa de numero vndecim millium Virginum legitur superstes fuisse: Sed postmodum per Reginam Rheni eiusque pedissequam, strangulata manutergio, quod in Rhenensi Ecclesia est conseruatum. Eam multis miraculis glorioſam Rhenenses memorantur per B. Willibrord. transferri petiuisse, idque præmissis fide dignorum testimonijs cum gaudio eum feciſſe die 12. Iunij.

Natalis eius notatur in Martyrologio Vltraiectensi in die Simonis & Iudæ, sed propter Festum Apostolorum & moleſtias hyemis, solennius recolitur in Iunio, cum maximo hominum concursu. Inuocatur autem peculiariter, quia strangulata fuit, contra inflationem & dolorem guttu ris.

De eadem idem ad 12. Iunij: in oppido Rhenensi eleuatio S. Cuneræ Virginis & Martyris.

Obserua hic antiquum morem Ecclesiæ etiam Batauicæ in tractandis SS. Corporibus, ea de terra eleuare, transferre

ferre, decentiori loco collocare, honorare. vide quantum ſtudium Ciuium Rhenenſium in ſuo incola vt illa fierent flagitantium & Præſulem exequentem.

Dissertatio CXXVI.

De ordinatione Bonifacij in Epiſcopum. Eius tranſnominatione: remiſſione in Germaniam cum commendatitijs ad C. Martellum.

GRegorius eius nominis Pontifex ſecundus vbi inaudiuit Winfridum in Germanica vinea ſtrenuè, fructuoſè & Religiosè laborantē, vt in idem opus eundem maiori auctoritate fulciret, per litteras Romam euocatum Epiſcopum ſine certo titulo certaque ſine ſede eum ordinat, pręuia tamen exploratione doctrinæ eius iuxta morem veteris Eccleſię qui etiamnum durat erga eos qui ad Epiſcopalem apicem ſunt prouehendi. Æquiſſimum enim eſt, vt qui eſſe debent fidei Chriſtianæ Magiſtri, Cuſtodes & amplificatores, ij eam habent quam optimam & ſynceriſſimam. Neque enim lupinam feritatem habere debet Paſtor: neque diſcipulorum imperitiam ac ruditatem Doctor.

In ordinatione Pontifex ei & nomen mutauit, vt deinceps Bonifacius appellaretur qui antea Winfrid aut Winfridus. De qua nominum immutatione ſupra diſſertatione 67.

Conſecratus autem eſt pridie Kalendarum Decembrium

brium in natali S. Andreæ Apostoli eodem mense (Nouembri) quo S. Willibrordus, licet non eodem die: Willibrord. 22. in festo S. Cęciliç Virginis & Martyris: Winfridus 30. in festo S. Andreæ Apostoli. Willibrordus feria 4. Hebdomadę, vide Differ. 63. Winfridus Feria 3. quod probatur; consecratus est anno 723. eo autem anno littera Dominicalis erat C, quem characterē semper tenet vigesimus octauus Nouembris; consequenter trigesimus Nouembris erat Feria 3. & simul pridie Kalendarum Decembrium, cum Nouember triginta solum contineat dies.

Consecratus Bonifacius Apostolicæ Diui Petri Cathedræ, in qua Ecclesiarum omnium principatus est & auctoritas, obedientiam solenni iureiurando iuxta receptum vsum spondet. Recitat illud Othlonus lib. 1. vitæ S. Bonifacij cap. 19. hac forma:

In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, imperante Domino Leone Magno Imperatore, anno VII. *post Consulatum eius, sed & Constantini Magni Imperatoris eius filij anno* IV. *indictione* VI. *promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi B. Petre Apostolorum Princeps, vicarioque tuo B. Gregorio Papa & successoribus eius, per patrem & filium & Spi-*

ritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum Corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiusdem fidei, Deo operante, persistere, in quo omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur. Nullo modo me contra vnitatem communionis & vniuersalis Ecclesiæ, suadente quopiam, consentire, sed, vt dixi, fidem & puritatem meam atque concursum, tibi & vtilitatibus tuæ Ecclesiæ, cui à Domino Deo potestas ligandi soluendiq; data est, & prædicto vicario tuo atque successoribus eius per omnia exhibere.

Sed & si cognouero Antistites contra instituta antiqua Sanctorum Patrum conuersari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem; sed magis, si valuero prohibere, prohibeam; sin minus hoc fideliter

fideliter statim Domino meo Apostolico renuntiabo quod, si quod absit, contra huius professionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, vel occasione, tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ, & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus proprijs fraudem facere præsumpsit. Hoc autem indiculum Sacramentiego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratissimum Corpus S. Petri, ita vt præscriptum, Deo teste & iudice, feci Sacramentum, quod & conseruare promitto.

Meritò hoc iuramentum exigit ordinatque Ecclesia. Si enim olim militaturi teste Vegetio lib. 2. de re militari cap. 5. iurabant omnia se strenuè facturos quæ præceperit Imperator: nunquā deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romanâ Rep. Ac postmodum ij qui Principum militari ordini (erat is ordo honoratus, quēadmodum nunc ordo aurei velleris, ordo Sancti spiritus &c.) inseri appetebant, iutare debebant, se Inprimis cum

deuota recordatione officium Dominicæ passionis diurnatim audituros; pro fide Catholica audacter corpus expositurus ; Sanctam Ecclesiam , eiusque ministros, à quibuscumque grassatoribus liberaturos ; viduas , pupillos & orphanos in eorum necessitate protecturos &c. bono iure à spiritualis ordinis Principibus & militibus hoc postulat statuitque Ecclesia.

Notandum verò verba: hæc tibi B. Petre Apostolorum Princeps &c. & per hoc sacratissimum Corpus tuum &c.

Indicant ea S. Bonifacium in Vaticano templo ad S. Petri reliquias insigne hoc promissum religiosumque ac Episcopale iusiurandum iurasse. Quod confirmat Onuphrius lib. de 7. vrbis Ecclesijs: Episcopi (inquiens) & Metropolitani obedientiam S. Romanæ Ecclesiç super altare S. Petri iurabant.

Ecclesiæ Catholicæ Romanç deuinctus varijsque prçsidijs ad negotia sua exequenda instructus in Germaniam reuertitur Bonifacius, Carolo Martello Principi Germanorum & Francorum Dominatori per litteras à Pontifice commendatus; quarum tenor est:

Domino

Domino glorioso filio Karolo Duci Gregorius Papa.

COmperientes te, in Christo dilectissime, religiosa mentis affectum gerere, in multis oportunitatibus, debito salutis præmisso, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præsentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum à nobis Episcopum consecratum, atque institutionibus sanctæ sedis Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiæ generali sollicitudine informatũ, prædicãdũ ad plebibus Germaniæ gentis, ac diuersis in orientali Rheni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obscuritatibus prapeditis, necessario destinare. Pro quibus eum glorioſa beneuolentiæ tuæ om-

omnimodo commendamus, vt in omnibus necessitatibus adiuuetis,& contra quoslibet aduersarios,quibus in Domino præualetis,instantissime defendatis;certissimè retinentes,vos exhibere Deo,quæcumque huic promptissimo impenderitis fauore: qui SS. Apostolis suis,ad lucem gentiũ destinatis,suscipientibus eos se suscipiendum prædixit, quorum institutionibus per nos informatus præmissus Antistes in sorte prædicationis procedit.

Nota hîc quanta qualisque communicatio fuerit inter Pontificem & Principes nostros Germaniarum tam superiorum, quam inferiorum dominatores qui Episcopos & Apostolicos viros à sede Romana emissos summo fauore recipere, promouere, prosequi, vt patet in Pipino circa Willibrord. Wironem cum socijs, Hubertum; in Carolo Martello circa Bonifacium cuius studium qua m impense curauerit & prouexerit, liquebit ex effectibus suo loco recensendis; longe alio spiritu quam multi nostræ Germaniæ Principes & Dominatores qui ab Apostolica sede datos Episcopos, Religiosos, adherentes, eijciunt, bonis omnibus spoliant.

Nota secundò, insignem laudem attribui à Pontifice Carolo illis verbis: Comperientes te religiosæ mentis affectum

fectum gerere in multis oportunitatibus &c. & contra quoslibet aduersarios quibus in Domino prœualetis &c. Pluribus alijs comendatitijs ad Germaniæ Episcopos, reliquum Clerum; ad Duces, Comites, Populum, munitus recessit Bonifacius, quas legere est apud Othlonum lib. primo cap. 22. 23. 24. 5. 6.

Nemo putet dissertationem iam positam esse meo proposito extraneam, quia differui partim quod Bonifacius sit S. Willibrordi partus vtpote discipulus: partim vt cernendo quod in Bonifacio, simul cernas quid in Willib. sit Romæ factum: nam non dubito simile iuramentum à Willibrordo esse præstitum & quin similibus litteris sit Pipino commendatus daturque aliquatenus colligi ex V. Beda & Alcuino. Multæ Chartæ, multa particularia S. Willibrordi interierunt per hostiles grassationes Danorum & Nortmannorum S. VVillibrordi mortem mox subsequentes.

DISSERTATIO CXXVII

Diploma quo Carolus Martellus plurima S. Willibrordo donat. Idem explicatur.

CArolus Martellus heroicus Princeps animaduertens deuotionem flagrantemque charitatem Willibrordi in proximos, simul quantum virtutibus obstet res angusta domi, gnarus istius scripturæ, Date & dabitur vobis, eum nouis muneribus cumulat, tum ad eius institutum promouendum,

uendum, tum ad suam & suæ gentis salutem procurandam. Ac primò anno 727. aut 728. regnante annum secundum Francorum Rege Theodorico Herstalli ad Mosam more maiorum conuersans, donat Monasterio siue Ecclesiæ cathedrali Traiectensi quidquid possidebat fiscus in ipso Traiecto castro, tam infra muros, quam à foris, cum omnibus adiacentijs. Similiter villam siue castrum Fethna situm in Instarlaco. Diploma donationis est tale:

Ego in Dei nomine illuster vir Carolus, Maior domus, filius Pippini, quondam cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata possum abluere & donante Deo ad æterna gaudia peruenire; idcirco donamus à die præsenti, per hanc paginam testamenti & donatum in perpetuum esse volumus, hoc est, ad monasterium quod est intra muros in Traiecto castro constructum, vbi & Apostolicus vir, Dominus & in Christo Pater noster Willibrordus Archiepiscopus, sub sanctæ conuersationis Cœnobitali ordine, custos præesse videtur, omnem rem in fisci ditionibus, quidquid

in

in ipso Traiecto Castro, tam infra muros quam à foris, cum omnibus adiacentijs vel appenditijs, cum illo pascuo Praueningo, vel quidquid ibi fisci ad præsens esse videtur ..... & similiter villam vel castrum nuncupatum Fethna, situm in Insterlaco, cum omni iure & soliditate sua .....totum & ad integrum, vt diximus, à die præsenti, ad ipsum monasterium, vel ad ipsam casam Dei tradimus atque delegamus, perpetualiter in Dei nomine ad posidendum..... Actum Hereſtallio villa publica, in ipso die Kalendarum Ianuarij, anno secundo regnante glorioso Domino Theodorico Rege.

Signum illustris viri Karoli
Maioris domus, qui hanc donationem fieri & affirmari rogauit.
S. Karolomanni, filij eius.
S. Gariaonis. S. Odonis. S. Baldrici.
S. Abbonis. S. Engilbaldi. S. Adalhardi.
S. Theodoldi nepotis eius. S. Bosonis.
S. Widonis. S. Gintfridi.
Ego Rothbertus subscripsi. Haririardus supscripsi.
Audoinus presbyter subscripsi.
Chelmoinus subscripsi.
Chaldo Cancellarius, rogatus à
Karolo suprà dicto scripsi & subscripsi.

Diploma hoc legitur sic apud Miræum. Idem recitat Leijdensis, & Heda quibusdam interiectis quæ Miræus omisit interpuncta figens, forsan quod parerga sint & ad donationis substantiam non pertineant. In prima interpunctione..... interijciunt, omnia & ex omnibus totum & ad integrum cum omni re quæsita & inquisita. In secunda interpunctione..... omnes adiacentias vel appenditias tam ad ipsam villam Fethnam Castrũ vel etiam ad iam dictum Traiectum Castrum, vt diximus, aspicere vel pertinere videtur quantumcunque ad partem Fisci, vel ad nostrum præsens esse videtur, cum omni integritate eorum, quicquid dici vel nominari potest, hoc est vnà cum mansis, terris, casis, domibus, ædificijs, accolabus, lucis, mancipijs, campis, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarumque decursibus: greges cum pastoribus vtriusque generis, sexus, mobilibus & immobilibus.

In

In 3. interpunctione ..... addunt hęc; Ita vt ibidem ab omni tempore pro nostra mercede proficiat in augmẽtis. Et quicquid exinde Patres ante iam antè dicti Monosterij, vel rectores pro eorum opportunitate facere decreuerunt, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, siue nos ipsi, vel aliquis de hæredibus & prohæredibus, seu quęlibet opposita vel extranea persona, qui contra hanc donationem, quam nos pro diuino intuitu & animæ nostrę remedio ad instar testamenti fieri & affirmari decreuimus, venire aut agere, vel eam infringere conauerit, in primis iram Dei cælestis incurrat, à liminibus SS. vel consortio Christianorum efficiatur extraneus: insuper inferat, vna cum socio fisco auri libras quinque, argenti pondera decem coactus exoluat, & quod repetit, euindicare non valeat, sed præsens donatio ad instar testamenti à me facta, omni tempore firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa.

Notent hîc qui omnia in nuda fide constituunt, Carolum Principem iuxta orthodoxam veritatem eo æuo viuentem in Belgio, sensisse eleemosynis & donationibus pijs religioso cætui Ecclesijsque factis deleri (non regi) posse peccata ijsdemque posse nos mereri gaudia æterna.

Nota secundò, qua Reuerentia Princeps Episcopum Episcopalemque gradum prosequatur, Willibrordum Archiepiscopum, Apostolicum virum, Dominum & in Christo Patrem suum nominet.

Nota tertiò, Collegium Canonicorum Vltraiectinum primitus sub Cœnobitali ordine id est modo communiter viuendi fuisse institutum; & Monasterium vocari. vide supra dissert. 80.

Praueningo quid sit & vbi mihi obscurissimum. Exemplar Leijdensis habet *Grueninge* quod suauius, significantius & accommoditius est, forsitan alicui videtur esse adiectiuum & denotari pascua viridia ad distinctionem pascuorum in Ericetis & alibi. Alij legunt Graueningo existimantque significari pascua Comitis quasi pascua Grauionatui id est Comitatui siue Comiti obnoxia. Alij credunt paludes illas fuisse ab Vltraiecto Amerfortium versus nomenque à fodiendo deductum. Alij à vernaculo *Grauwe Veen*, quasi grisea palus griseos ferens cespites.

Fethna, hodie est Fochten aut Vechten, vt habent tabulæ Kærianæ, supra Wiltaburgum non longè à veteri Rheno.

Insterlaco. Alij addunt in pago: vnica voce habent passim diplomata, quod quid denotet Oedipo mihi opus. Quantum auguror duo sunt vocabula male à scriptore coniuncta. Insterlaco, prout supra diuisimus, acidem sint quod Insterlacus id est lacus dictus Insterlacus: paludosam namque esse fuisseque terram Frisicam notum est, hodieque multi lacus sua particularia nomina sortiti visuntur; quorum aliquos supra nominauimus. Situm vero fuerit castrum Fethna in Insterlaco quomodo dicimus ciuitatem talem aut talem sitam in lacu Lemano, Comano. Inuenitur tamen apud Hedam in Baldrico Episcopo 15. Othonem 2. Ecclesiæ Traiectensi contulisse in proprium in pago Insterlakem Villam Amudam &c. Quare rectius Insterlacum esse pagum id est regiunculam plura loca in se continentem dixeris.

Hereſtallij, corruptissimè apud Leydensem legitur Arestallij: vsitatò verò est Herstallum, pagus non procul à Leodio quem Pipinus arce ad Mosam excitata in delitijs habuit

habuit, ornauit, habitauit, similiter multi eius successores.

Villa publica; existimo dici villam publicam, quod fora, nundinæ, iudicia publica ibi exercerentur, ad distinctionem aliarum villarum vbi hæc non peraguntur. Solent enim loca quibus Principes residēt, similibus prærogatiuis ornari, magno aduenientium numero frequentari, domicilijs fixis præsertim à potentioribus & ijs qui Principi sunt à consilijs, à comitatu, ab officijs, famosa reddi, quemadmodum scimus actum Bruxellis vbi aula est Principis. Similiter vicus quondam Turnhoutanus ex quo à Maria Geldriæ Ducissa Ioannis tertij Brabantiæ nostræ Ducis filia domicilio ibidem posito in amoribus haberi cœpit, in celebre oppidum euasit allectis ob syluarum frequentiam venationi aptarum patriæ nobilibus, ita vt temporibus Anthonij Ducis (præfuitis ab anno 1406. vsque ad annum 1415.) minor Bruxella appellaretur. Eundem locum ante ciuilia nostra bella tenere coluit Maria Karoli quinti Imperatoris soror Belgij gubernatrix, quem in Ciuitatem erigere fertur meditata. Et etiamnum nobile est municipiū, ædium numero, opificio multas vrbes superans, non obstantibus bellorum turbinibus vndique perstrepentibus.

Anno secundo regnante glorioso Theoderico Scriptor quidam Anonymus Chronicorum Franciæ à Pharamundo vsque ad Henricum secundum impressus anno 1548. Fasti Regum & Episcoporum Angliæ additi ad multos & præcipuos scriptores rerum Anglicanarum post Bedam excusi Francofurti anno 1601. & qui eos fortè sequuntur inchoantes annum 7. Theodorici Regis 727. consequenter annum 2. Theodorici huiusceque donationis figerent anno Christi 728. aut 729. Alij in partes Baronij, Bucherij,

Miræi

Miræi aliorumque qui annalibus studio Pythœi editis innituntur, concedentes, annum 2. regni Theodorici reponunt ad annum Christi 721. aut 722. & eodem annum donationis Carolinę. Quos olim secuti sumus, nunc priores lubentius sequimur.

Hîc monearis Lector differt. 124. esse verba: tertio. idem anno 728. aut 729. &c. quæ posueram olim iuxta posteriores authores. Negotio postmodum pensiculatius examinato, in exemplari meo iam imprimendo correxeram, sed negligentia & imperitia Typothetę quod primò posueram & deleueram reliquit & correctum omisit. quare pro 721. aut 729. substituat 732. aut 733.

Theodoricus hic cognominatur Cala quod in Calensi Virginum Monasterio fuerat educatus, quem Martellus mortuo Chilperico Regem ordinauit. Iam eò excreuerat potestas Maiorum domus vt Reges constituerent, Francorum res pro arbitrio moderarentur. Aduersarium tamen hocce in negotio magnopere sensit Eudonem Aquitanię Ducem cum quo illi iuge bellum fuit; quemadmodum antea cum Raginfredo Maiore domus Chilperici Regis.

Carolomanni filij eius. Carolomannus hic censetur maior natu prolium Martelli, de quo notat Sigebertus ad annum 741. Pacato & dilatato Francorum regno, Carolum bellicosum Principē obijsse, & filios suos Carolomannum & Pipinum Principatus sui successores reliquisse. Mox autē Pipino in Aquitania occupato, Carolomannus primùm in Alemania, deinde in Saxonia victorijs potitus est. Cæterum anno quadragesimo sexto, cum annis ferè quinque cum fratre paternas ditiones administrasset, amore Dei Principatum terrenum deserens, vt in futura vita centuplicatam reciperet possessionem, primùm in Soracte monte,

monte, vbi S. Siluester delituisse dicitur, fundato monasterio se totondit, & deinde in Castro Cassino laudabili vita enituit.

Qua de re multa apud Reginonem, & alios Historicos, & in natalibus SS. Belgij ad 17. diem Augusti leguntur. Cassini enim inter beatos numeratur, & in arca est eleuatus.

DISSERTATIO CXXVIII.

Donatio Pagi Elstani. Caroli Diploma, quod explicatur.

ANno 733. Carolus Martellus Christiana Catholicaque motus ratione offert intuitu S. Willibrordi Ecclesiæ S. Saluatoris pagum Elst integro iure possidendum. Oblationis diploma recitant Heda in S. Willibrord. & Miræus in Codice piarum donationum impresso Anno 1629:

Ego in Dei nomine inluster vir Karolus, Maior domus, filius Pipini, quondam cogitans casum humanæ fragilitatis qualiter peccata abluere possum, & donante Deo ad æterna gaudia peruenire. Idcirco trado .....

donatumque

donatumque in perpetuum esse volo, in loco nuncupato Marithaime, ubi castrum fuit, ad Basilicam quæ est constructa in honore Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, & B. Mariæ genitricis Dei, sed & beatorum Apostolorum Sanctique Ioannis Baptistæ, vel cæterorum SS. noscitur esse ædificata, quæ est sita in Pago Batua, in villa iuris nostri nũcupata Elisle in loco Maritàime, quantũcumque ibi habuit vel possedit Euerardus, dum ipse infidelis Regi apparuit, & in Regis Francorum infidelitate, foris patriæ ad infideles se sociauit, & propter hoc omnes res suæ in fisco Regali fuerunt redactæ, quas gloriosus Rex Hildebertus genitori nostro Pipino de suo fisco, & Rex largitatis suæ munere concessit, mihiq; genitor meus Pipinus iure hæreditario in proprietatem concessit, supra nominatam villam Heliste, quæ alio nomine Marithaime

Marithaime vocata: quidquid supradictus Euerardus ibi possedit vnacum mãsis, terris, domibus, siluis, mancipijs vtriusq; sexus, pratis, pascuis..... Hæc omnia concedimus ad præfatam Ecclesiam, & quidquid Euerhardus habuit in Batua vel possedit: ea ratione vt Dominus VVillibrordus Episcopus præfatas res in ius & Dominium suum recipiat, suorumque successorum, in Dei nomine ad possidendum, ita vt ibidem omni tẽpore proficiat in augmentum pro remedio animæ nostræ.....

Sequntur apud alios solitę imprecationes prout ad superius diploma Caroli.

Actum Tulpiaco Castro publico, mense Iulio, nono die, anno sexto regnante glorioso Rege Francorum Theoderico.

Signum Karoli inlustris viri, qui hanc traditionem fecit & affirmari rogauit.

S. Saleconis Comitis. S. Folearij Comitis.

S. Bergetosionis Comitis. S. Maqucharij Comitis.

S. Lindolphi. S Odonis. S. Agilonis.

S. Herigeri Comitis. S. Erkenfridi Comitis qui Aduocatus fuit Episcopi, & hanc traditionem manu sua cum Domino suo recepit.

Aldo Clericus, iussus à Domino meo Karolo, scripsi & subscripsi hanc testamenti chartam, in Dei nomine feliciter, Amen.

Non nemo doctus censet donationem dictam factam Ecclesiæ S. Saluatoris Vltraiectensi quamdiu in viuis agebat S. Willibrordus Cathedra Episcopali honoratæ. Verum hoc non præsefert recitatum diploma; quin contrarium inde est colligere: donatum, inquit, in perpetuum esse volo, in loco nuncupato Marithaine, vbi castrum fuit, ad basilicam quæ constructa est in honore Saluatoris Domini nostri Iesv Christi, & B. Mariæ genitricis Dei, sed & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Apostolorum, Sanctique Ioannis Baptistæ vel cæterorum Sanctorum noscitur esse ædificata, quæ est sita in Pago Batua in villa iuris nostri nuncupata Elisте, in loco Marithaine; quibus verbis clarè affirmat se dare bona Basilicę Saluatoris &c. quæ ædificata est & sita est in pago Batua in villa iuris sui nuncupata Elisте &c. non autem Ecclesiæ quæ constructa & sita est Vltraiecti quod est extra Batuam. Nec obstat quod Carolus effatur ea ratione vt Dominus Willebrordus Episcopus præfatas res in ius & Dominium suum recipiat suorumque successorum in

Dei

Dei nomine ad possidendum: quia maximè illa tempestate, qua exemptiones nondum erant notæ, Ecclesiæ Diœcesanæ Episcopis plane suberant qui de Ecclesijs suæ Diœcesis, de earum personis, & bonis iuxta arbitrium disponebant, regebant, ad vtilitatem tamen Ecclesiæ cui bona erant oblata & ad spirituale profectum donantium. & hoc volunt verba: ita vt ibidem omni tempore proficiat in augmentum pro remedio animę nostræ.

Adde specialiter hîc Carolum voluisse vt S. Willibrordus eiusque successores tanquam Curatores, tutores, Ecclesiæ Elstanæ bonorum datorum custodiam, curam gererent iuxtaque id quod in Domino expedire iudicauerint, absolute disponerent. Confirmor in opinione quod Heda in Odilbaldo Episcopo Duodecimo producens. Catalogum bonorum & immunitatum Ecclesiæ Vltraiectensis & prœcipuè Episcopalis, ne minimam memoriam formet Elstanæ donationis, nec vnquam Elista, Elissam, Marthaine aut Elstum nominet, tanquam quod ad Ecclesiam Vltraiectinam non pertineret.

Est vero Elista, Elissa, nunc Elste, vicus Geldriæ ante moderna bella nobilitatus à seruatis reliquijs B. Werenfridi vnius ex S. Willebrordi sodalibus, vide dissertatione 84.

Puto ego viuente Willibrordo stetisse in eo congregationem Clericorum, siue, vt nunc loquimur, canonicorum, quorum vsibus bona à Martello oblata inseruierint, quæ postea siue per Danos & Normannos, siue per alia infortunia interierit. Anno 1455. ibidem vel renouatum vel nouiter institutum est Collegium Canonicorum,

Tulpiacum, alias Tolpiacum vel Tolbiacum est oppidum Zulh, Diœcesis Colonienſis inter Coloniam & Marcodurum, vbi Clodoueus Francorum Rex, edito voto de Catholica religione ſuſcipienda, Allemannorum euaſit victor. Ille enim è Regia Burgundiorum ſtirpe vxore ducta Chriſtianâ nomine Clotilde, in bello quod ad Tolbiacū in Vbijs gerebat aduerſus Alemānos, periculi magnitudine, idolorumque diffidentia permotus, repentè vouet ſe Chriſtianum fore. Quo pacto, cęſo eorum Rege, confeſtim victor euadit, omnemque Alemaniam ſibi tributariam reddidit. Cui ex prælio redeunti obuiam vadit Clotildis, voti magis quam victorię cauſâ. Aderat ei Remigius & ætate & vitæ ſanctitate, eruditione quoque & Pontificatu veneraudus. Occurrit etiam Vedaſtus, ſanctiſſimus vir, nihil antiquius habens quam vt voto ſe Clodoueus liberaret. Dignitate enim & probitate atque doctrina hoc ägendum erat, ne, poſthabito voto, Rex ab Arrianę ſectæ diſcipulis, qui iam eius ſororē Lantieldem impietate infecerant, fraude capretur. Baptizatus itaque à S. Remigio Rhemorum Epiſcopo Rex ſuo exemplo & edicto Francorum gentem ad fidem Chriſti perduxit; Lantielde etiam ſorore ab Arriana Hæreſi conuerſa. vide Gaguinum in compendio de geſtis Francorum lib. 1. in Clodoueo, Molanum lib. mil. ſacræ cap. 1. In annum Chriſti 499. illam victoriam & conuerſionem Regis Clodouei incidiſſe, computat Sigebertus. Ab eo tempore Brabanti continuò Chriſtianis Principibus ſubfuerunt religioque orthodoxa in Brabantia & Flandria oriri cæpit lætis ſucceſſibus deinceps progrediens, Friſijs

pæne

pæne per duo sequentia sæcula in Idolomania perseuerantibus, nec vicinorum exemplo permotis.

Euerardus, quis Euerardus iste fuerit, non lego. Probabile fuisse nobilem inter Frisios Francis rebellem.

Hildebertus, aliter Childebertus secundus, decimus septimus Rex Franciæ per annos 18.

Charta donationis, est diploma, seu instrumentum publicum; sic dicitur Charta magna Regni. Sic apud Brabantos Charta Cortebergensis qua continenter multa in vsum communem decreta Cortenbergæ à Duce Ioanne cũ Ordinibus Patriæ anno 1312.

Erkenfridi Comitis qui aduocatus fuit Episcopi & hanc traditionem manu sua &c. Hinc eruo primò, solere tum, vt & postea, Ecclesias, monasteria, Episcopos, habere suos aduocatos & quidem viros primarios. Hîc Erkenfridus Comes scribit se aduocatum Episcopi. Secundò, hoc anno S. Willibrordum egisse Tolbiaci apud Carolum Martellum & supradictam traditionem manu sua cum aduocato suo recepisse iuxta ritum gui. Frequenter apud Principem versabatur ad promouenda negotio Ecclesiæ Vltraiectẽsis & Diœcesis.

Batua, **de Betuwe / Betouwe** veteris Batauiæ olim latissimę & nobilissimæ Prouinciæ pars, eiusque nomen vtcunque seruans. lege P. Heuterũ de nouo & vet. Belgio lib. 1. cap. 12.

Dissertatio CXXIX

De Donatione Ecclesiæ Antuerpiensis à Rohingo. Qualis illa Ecclesia. Qualis Rohingus. De Marca Antuerpiensi.

Sancto Willibrordo non solum per Frisiam sed & Brabantiam reliquamque Austrasiam suauissimos floridarum virtutum spargente Odores, omnium tam Primatum quam popularium animi in eius amorem sunt conuersi: inde vbiuis eum honorificè amplecti, reuereri eius præsentiam, operam optare, orationes expetere, proprijs bonis sese exuere illique offerre, inter quos post hactenus enumeratos non postremò numerandi sunt Rohingus nobilis & potens Antuerpiæ heros thorique consors Bebelina, qui ei hoc anno 733. donant Ecclesiam Castri Antuerpiensis & tertiam partem Thelonei in Schaldi fluuio commercijs famoso, diplomate formato in hunc tenorem:

Credimus mercedis lucra conquirere, si aliquid de rebus nostris, pro peccatis nostris redimendis, Sacerdotibus Dei conferimus.

Igitur

Igitur ego in Dei nomine Rohingus, & coniux mea Bebelina donamus Apostolico Domino & Patri nostro VVillibrordo Episcopo, donatumq; in perpetuum esse volumus, hoc est Ecclesiam quæ constructa est infra Castrum Antuerpis super fluuium Scalde quam Dominus Amandus Pontifex in honore SS. Petri & Pauli Apostolorum Principum, vel cæterorum SS. construxit, & nos pro ipsa Ecclesia, vel quidquid ibidem aspicere videtur, venerabili viro Firmino, abbati de Monasterio Quorcolodora, locellum nostrum nuncupatum Tumme in concambio dedimus, & nos postea à die præsenti dictam Ecclesiam, vnà cum cæteris domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, mansis, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, adiacentijs, appendicijs

pendicijs ibidem aspicientibus, farinarijs, gregibus cum Pastoribus, mobilibus, & immobilibus, re acquisita, & inacquisita, totum & ad integrum quidquid dici vel nominari potest, tam de dote, quam de comparato, vel de qualibet re ad nos noscitur peruenisse, nos à die præsenti suprascripto Domino VVillibrordo donamus atque tradimus: & illud telonium, quod ad partem nostram ibidem venerat, hoc est, illam tertiam partem ad integrum ei concessimus atque donauimus: in ea ratione, vt ibi thus vel luminaria debeant esse procurata, & presbyteri, qui ibi seruiunt, pro peccatis nostris Domini misericordiam debent exorare: & vt ipse suprascriptus Dominus VVillibrordus ipsam Ecclesiam vel quidquid ibidem aspicere videtur, seu ipsum telonium habeat, teneat atque

que possideat, dandi vel commutandi, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem.

Si quis verò, (quod futurum esse non credo) heredum vel proheredum meorum, vel qualibet opposita persona contra hanc donationis Cartulam venire tentauerit, & eam infringere conatus fuerit, primitus iram Dei omnipotentis incurrat, & SS. Angelorum, & à liminibus Ecclesiæ alienetur, partemque habeat cum Iuda, & vltione Ananiæ, & Saphiræ, vel lepra Giezi percutiatur: insuper inferat fisci iuribus auri libras duas, argenti pondo quinque. Necsi quid repetit, euindicare valeat, sed firma & immobilis hæc donatio perennibus temporibus permaneat stipulatione subnixa. Actum publicè est hoc VVeimodo, regia villa,

cum fecit Octob. dies viginti, regnante Theodorico Rege anno sexto.

Diploma hoc recitat Miræus in Codice Donationum piarum impresso anno 1624. cap. 6. acceptum ex Willibrordiana apud Epternacenses Abbatia.

Quæritur, quis qualisue is Rohingus? scribitur alibi Marcam Antuerpiensem tenuisse adeoque videri fuisse Marchionem Antuerpiensem. Verum Marchionem Antuerpiensem eum fuisse, non credo. Primò, quia Marchia siue Marchionatus Antuerpiensis semper in summo pretio æstimationeque est habitus, & non solitus conferri nisi Primarijs Patriæ Principibus V.G. Maioribus domus aut Lotharingiæ Ducibus, quemadmodum legitur eum obtinuisse B. Arnulfus ex Maiore domus Episcopus Metensis, cui successit in Maioratu ac in eadem Marchia Ansegisus qui & tertius Brabantiæ Dux numeratur; sicque ordinarie videmus eum Principes Patriæ, imo Imperatores possedisse. Talis autem non apparet fuisse Rohingus.

Secundò, si Marchio fuisset Rohingus, cur non expressisset suum titulum in diplomate? nam non parum roboris & authoritatis donationi addidisset. Tertiò, minoris potentiæ minorisque fortunæ Rohingum deuincit diploma quam Marchionem decet, dum ait, pro ipsa Ecclesia Firmino Abbati locellum nostrum nuncupatum Tumme in concambio dedimus &c. Quare potius admisero Rohingum extitisse nobilem ac diuitem heroem qui Antuerpiæ & alibi plures possessiones habuerit, ac forte simul vice-Marchionem Antuerpiæ egisse, vt hodie qui dicuntur

Marcgrauij

Marcgrauij, aut Gubernatorem.

Rogabis, quis ergo ea tempestate Marchionatus dignitatem gessit, siue quis Marchio Antuerpiensis? Resp. expresse scriptum non lego; attamen meo iudicio Carolus Martellus Maior domus Franciæ & Austrasiæ qui Principatus quos progenitores semel obtinuerant è manibus non dimittebat, quinimo augere & addere studebat; obtinuerant verò consequenter proauus Arnulfus, Auus Ansegisus & Pipinus parens cui ex asse successit in Principatu Austrasiæ hæres.

De Marcæ Antuerpianæ origine audi Petrum Louvium ad caput 7. militiæ sacrę Molani: *est autem* (inquit) *de Marchionatu Antuerpiensis institutione non exigua inter historicos controuersia: alijs à Iustiniano Imp. contra Danos Ansberto datus esse placet; alij eum ab Vtilone Theodonis filio, Bauariæ Principe, institutum dicunt: Aemilius ab Ottone 2. Imp. eius originem ducit, inq; dotem datum fuisse Gerbirgæ scribit. Alijs aliud placet. Fusè de eo negotio Molanus libro rerum Louaniensium cap. 17.*

Poteris de eadē materia Marchionatus consulere Wdalricum Zazium tractatu de feudis, Wolfangum Lazium commentario Reipublicæ Romanæ lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 9. qui dicit apud Romanos Marchiones appellatos esse Duces limitaneos: Rembertum Dodoneum in præfatione sui libri de stirpibus ad Antuerpienses.

Quæritur iterum, Quęnam sit Ecclesia S. Willibrordo à Robingo donata? Resp. communem sententiam hactenus obtinuisse esse Ecclesiam vulgo nuncupata de Borcht kercke iuxta Scaldim, prope locum dictum de Werff/ modoque consecratam S. Walburgi nepti D. Bonifacij Archiepiscopi Moguntini. Laurentius Beyerlink in vita S.

Willibrordi sectione quinta, Miræus in annotationibus ad hoc diploma, Scribanius in Antuerpia, Heda in Willibrordo, Gramayus in Antuerp. lib. 2. cap. 2. & nos in tabula nostra Chronologica accessimus. Nihilominus recentiores quidam à paucis annis contendunt esse Ecclesiam S. Michaeli dedicatam sitam pariter ad Scaldim S. Norberto à quingentis & amplius annis traditam & etiamnum à Norbertinis inhabitatam. Quæ eorum sint mortua, non exacte calleo. Quod si fortè posterioribus sæculis Antuerpia Castrum aut Ecclesia S. Michaelis esse in Castro nominetur, non conuincit; quia posterioribus sæculis muri arcis seu antiqui Castri plurimum fuerunt extensi præsertim iuxta Scaldim, ac sic potuit Ecclesia S. Michaelis censita esse in Castro. Præterea veteres nomine Castri non solum intelligebant Castrum stricte dictum siue Arcem De Borcht / sed simul omnia quæ arci extra muros instar suburbiorum erant annexa & quæ Domino seu iurisdictioni arcis suberant. Patet hoc ex diplomate Martelli supra prolato. Thiofridus Abbas Efternacensis qui vixit post annum 1100. cum Antuerpia esset celebris ciuitas & famosum emporium, tamen Castellum vocat & Marcam, teste Heda, scilicet, mutatis rebus nomina antiqua sæpe remanent. Quinimò S. Scriptura nomine Castelli ciuitatem nominat, vt Iohanis 7. Bethleem vocat Castellum, cum tamen esset ciuitas & ciuitas Regis Dauid, & Castellum aliquid minus significet, quam Castrum. Quare ego antiquæ communi sententiæ adhæresco quam diu certioribus argumentis contrarium non manifestetur.

Quæritur tertiò, an eadem Catholicismo, an Ethnicismo seruierit dum Willibrordo traderetur. Laurentius Beijerlinck

linck sectione quinta supra insinuat Ethnicam fuisse dum ait, post traditam S. Willibrordo Ecclesiam Castrensem paulatim sublatam esse memoriam idolorum, ibidem scilicet coli solitorum. Idem ex alijs eius verbis est colligere. Eiusdem opinionis apparet esse Goropius in originibus Aduaticis, Gramayus in Antuerpia lib. 1. cap. 2. Mihi hoc non sapit, 1. quia Ecclesia illa possidebatur à V. Firmino Abbate, qui per concambium seu per mutationem eam transmiserat Rohingo. Abbas vero & Rohingus non possidebant Ecclesias Ethnicas, nec in ijs Dominium habebant, nec id pati voluissent idololatræ, multo minus eandem tradi Willibrordo idolorum inimicissimo.

Secundò, licet Antuerpię plurimi degerent idololatræ, vigebant tamen vnà plurimi Christiani qui non permisissent Ecclesiam suam per S. Amandum cultui veri Dei dicatam ab Ethnicis temerari aut inuadi, præsertim cum fauentes haberent Patrię Principes potentissimos, Christianitatis amantissimos, qui sine dubio Ethnicos sibi subditos potuerunt compescere. Tertiò, erat (si Laurentio credimus) supra idolophylis suum templum Marti consecratum, vbi nunc visitur Ecclesia S. Michaelis, vt non necesse habuerint ad sua sacra Catholicis Ecclesias eripere. Iustiùs ergo sentias Ecclesiam Castrensem dum Willibrordo resignaretur, Christianam & Christianis ritibus deseruisse.

Tradidit vero Rohingus eo fine vt Willibrordus tum per se, tum per suos discipulos Christianismum Antuerpię propagaret & vagantem in vrbe paganismum pro viribus oppugnando extirparet.

Quid, vbi sit, Quorcolodora, Weimodo, me omnino fugit.

Quod ad Tumme, sic circa hoc diploma coniectat Mirœus, Tumme, inquiens, forte Turne vel Deurne olim Turninum latinè, vicus prope Antuerpiam ad Scheinam riuulum vbi olim Cœnobium fuit in quo S. Fredegandus aliquando Monachum egit. Eius sacra ossa Audomaropoli anno 1590. Antuerpiam illata, in Cathedrali templo ibidem adseruantur. Nortmannis porrò in Belgicam irruentibus, Monachi, Turnino relicto, Einhamum prope Aldenardam migrasse putantur: vbi etiamnum Benedictina est Abbatia. Tanta per omnia sœcula nominum & locorum accidit variatio indeque obscuritas, vt siquis probabile aliquid adferat, ei applaudatur.

Dissertatio CXXX.

De alia donatione Rohingi, cuius diploma illustratur.

NOn contentus Rohingus Ecclesiam cum suis donasse, liberalissimo Deo munificam manum voluit insuper porrigere, de qua sequentes litterœ aut potius fragmentum litterarum:

In nomine Dei, ego illuster vir Rohingus & coniux mea Bebelina donamus ad sacrosanctam Ecclesiam Petri & Pauli Apostolorum, quam Dominus Amandus Ponti-

fex

fex in Antwerpo construxit, vbi VVillibrordus Episcopus praesse videtur, donatum in perpetuum esse volumus, hoc est villam nostram, quae est constructa in Pago Renensium super fluuium Nutta, quae mihi de paterno iure legibus obuenit, in loco nuncupato Preprusdare, cum omni integritate, & in alio loco de materno iure ad me pertinente vocato VVinlindechim, medietatem de casis, domibus, Ecclesijs, mancipijs & omnibus pertinentijs tradimus atque transfundimus. .....

Desunt aliqua, vt conspicuum est, in hoc diplomate, simulque latet tempus quo confectum sit.

Villam, Quid per villam intelligat, obscuriusculum est: videtur accipere pro mansione censuali vulgo eenhoeue eo quod dicat in loco dicto Prepusdare; attamen auctores istius æui frequentissime capiunt villam pro eo quod iam vocamus vicum seu Pagum een Dorp. Patet ex testamento S. Remigij, ex testamento S. Willibrordi infra & explurimis alijs bullis apud Miræum in codicibus piarum donationum.

Renensium

Renenſium. Sæpiuſcule ita legitur perperam, credo, vitio ſcriptorum & lectorum loco Rijenſium, Riienſium, vitiato ij aut ii. in n. quam mutationem facillimum eſt accidere.

Pago Rhe. Pagus antiquis ſcriptoribus idem eſt quod ditio, Regio, diſtrictus. An ex Gallico Paijs? An Gallicum Paijs ex eo? Sic Iulius Cęſar libro primo de bello Gallico aſſerit eſſe quatuor Pagos Heluetiorum id eſt diſtrictus, ditiunculas, territoria, hodie Cantones. Brabantia noſtra integra aut pæne olim in tres Pagos id eſt tres Regiones diſtinctas diſtribuebatur. In Pagum Hasbanienſem complectentem Thenas, Landinium & multa Brabantiæ Gallicæ & Leodienſis prouincię, forſitan & Louanium cui aliquando dominati ſunt Haſbanici ſanguinis Principes. In Pagum Ryenſem complectentem Antuerpiam, Lyram, Herentalium cum plurimis circum circa vicinis. In Pagum Teſſandriæ latiſsime ſe extendentẽ & comprehendentem totam Campiniam, Maeſlandiam, Pelandiam. In Pago Rienſi Priſcam Ambiuaritorum ſedem ſtatuo cum Goropio, Ponto, Seribanio, non Aduaticorum, quos cum illis libentius reijcio in montoſa loca Namurci, Hannonię.

Vnde nomen Ryen, non conuenit. Alij ab arundinibus (noſtratibus Riet) quarum in Paluſtri ſolo copia: alij ab equis quorum olim ad limitis cuſtodiam hîc ſtatio: Lazius à Rylando primo Marchione: ſolidior Goropius ab çſtuarijs, retationibus ſeu Canalibus quibus plurimum ditio Ryenſis eſt interſecta ac ex illis nomen Ambiuaritorum ex parte conflari: Deducit enim idem Goropius Ambiuaritos ab Ambt-bp--vaert-rien, id eſt officium Curandarum

Curandorum nauigabilium Canalium. Nupt enim est officium : bp prope, iuxta ; vaeren / nauigare; Rpen & Reien Canales ac fossę nauigabiles manu factę. Ita ille. Sed quid si dicamus ab Ambiuaritis ditioni denominationem fluxisse & retinuisse het lant van Rpen quasi Ambiuaritorum ager, sedes ? solet frequenter facilitatis causa nomen saluari in vltimis syllabis reiectis prioribus pręsertim cum nomen est longiusculum, nec nouum Regionem ab inhabitatoribus, inuasoribus, nomen ferre.

Ditio olim fuit sui iuris à Brabantia separata vsque in annum 1403. quo eidem per Philippum Audacem Burgundiæ Ducem Marchionem Antuerpiensem &c. in perpetuum agglutinatur. De quo glutino recreabit lectorem adire Pontum Hauterum lib. 2. rerum Burgundicarum.

Nuttam / Nethan fluuium intellige, qui duplex est maior & minor, duo Brabantiæ fluuij. Maior ortus in vico Campinię Boxbergen decurrit per Pagos Mollensem, Gelensem, Westerloensem, Hulshoutanum, Idegem, Ballaer vsque in oppidum Lyranum. Minor ortus in ericetis vel iuxta ericeta Postulana defluit per Pagos Rhetensem, Kastele, oppidum Herendallēse, per Pagos Grobbendoncanum, Ouwens, vsque in Lyeram, vbi ambo adunati fluuium efficiunt insignem nauigabilem decurrentem per Anderstat / & intersecantem Baronatum Duffelensem, vbi arcem Baronis & ædes Monasterij nostri Tungerloensis allambit : exindeque transito Rumpsteno in Rupelam ac Schaldim delapsus, cum illis fluxum & refluxum Oceani patris admittit sollicitèque obseruat.

Quid *Præpusdare* obscurissimum est, nec video à Miræo alijsue explicatum. Non parum tamen lucis mea sententia adfert testamentum S. Willibrordi infra, in quo hanc

donationem Rohingi recensens ait : *Rohingus mihi condonauit, vel tradidit Ecclesiam aliquam, quæ est constructa in Antuerpo Castello, super fluuio Scalde, in Pago Renensium, cum appendicijs suis, villas denominatas his nominibus, Bacunalde, Winnelinchcime, Furgalare &c.*

Hinc colligo quandoquidem **Winlindechim** sit **Winegem:** furgalare sit **Voghelaer** ager prope Antuerpiam versus Turninum vici à Netha satis dissiti ; Præpusdare esse Bacwalde nunc Bochout inter Lyram & Antuerpiam, qui vicus admodum Nethæ appropinquat & olim eo vsque terminos suos facile extenderit. Potuit autem Bacwalde sub Præpusdare contineri scribi intelligique, vel quia locus Binomius, vel tanquam appendix & pars.

Winlindechim hodie **Wynegheem** Pagus altero lapide ab Antuerpia paulò supra Turninum primitus appendix Ecclesiæ Broechemensis ab Antistite Cameracensi Monasterio Tungerloensi attributus anno 1161.

Quia Nethæ incidit memoria qui Duffelensem Baronatum permeans dum ędes nostras Tungerloēses Elstanas præterfluit, ad quas ego aliquando missus ad Pastoris absentis munia supplenda, in eius littore animi causa deambulans poema lusi, quod licet ad spartam quam colimus nihil sit facturum, tamen non absurdum putaui hîc inserere ne depereat & dum occasio datur.

Lusum

Lusum poëtice an. 1619. in Netham iuxta ædes Tungerloenses decurrentem & maris æstum patientem. Ponitur Netha in feminino genere, vt Albula pota Deo.

Fama nouis fontis quem prætetis vngula fudit
Dura Medusæi dum volitat crebrius;
Parnassa petit properans Tritonia Pallas
Cernere pegaseo qua freta facta pede.
Miratur sacros latices, miratur & artem
Et circumstantes arboreas acies.
Felicesq; stupet iunctim studioq; locoq;
Nunquam non latas degere Maonidas.
Sic mihi Dufflæos dum contigit ire per agros
Quos sulcas media carula Netha via.
Demiror gratum gratè decurrere fontem
Cinctum frondosis vndiq; & agminibus.
Parnassi loca pulchra reor, siue Thessala Tempe.
Vndiq; flas animo gaudia Netha meo.
Otia franato peragis si mollia fluxu
Rugaq; nec tacitam complicuit faciem;
Mitior aut graderis placidiq; tepentibus auris
Te mulcent Zephyri, gratia multa micat.
Seu modo cognatus madidis Notus euolat alis,
Accumulas gremio rorida dona suo.
Seu citus Æolio Boreas furibundus ab antro
Euectum tumido te docet ire gradu,
Grande supercilium coniungit rara decori.
Cristas attollit sic generosus equus.
Siceleres per aquas pandis renitentia vela,
Ambiuaritarum vela visura solum.

Seu per agros spatiare atq; implorata Colonis
Vota iuuas, resonant dulcia vota tibi.
Ac Pater æquoreus qui cuspide temperat vndas
Dum cogit glaucus ad sua templa Deus.
Non mora, Rumpstenum properas soror est vbi prima
Dilia ei nomen fida via socia.
Dein Rupela & Scaldis vestigia pressa legentes,
Vos pariter recipit Caruleus genitor.
Ast vbi tempus adest, ad mægni iussa Tridentis,
Cum socijs proprios gestis adire lares.
Rumpstenum repetis dulci comitata sorore
Quæ Malinatum mox cito tecta petit.
Elstinam inde domum repedas Dufflaq; reuisis
Conciues solito plena beare modo.
Merödi cultam tum præterlaberis arcem
Heroi grates docta referre pio.
Postremò reducem Charis amplectitur vbnis
Iamdudum curus Lyra superba tuis.
Expectata redis, (nec eam spes fallit inanis)
Munera Neptuni, dona ferens Cereris.
Tum ciuis, Musæ, cum mercatore colonus
Decerpunt reditu gaudia parta tuo.
Nullus in orbe locus Baijs prælucet amœnis;
Cantasti prompto Flacce poëta animo.
Ille ego pergrato Dufflarum fartus omore,
Æquali regeram verba canamq; metro.
Nullus in orbe locus Dufflis præluce t amænis
Qua faciem spectant Netha Cereq; tuam.
Si lustrare lubet; iurabit Nÿ Dia Pallas,
Parnassi fontes transtulit huc Helicon.

Dissert-

De dotatione Epternacensi facta à S. Willibrordo sub nomine Testamenti, quod illustratur.

SAnctus Willibrordus animo voluens vniuersalem humani generis conditionem, scilicet statuta lege omnibus esse moriendum, hora mortis nihil incertius & post mortem iudicium, animæ suæ tam in hac vita ac maximè in futuram prospiciens, eleëmosynarum aliorumque operum merito sese instruere satagit, quibus seueram venturi iudicis sententiam auertat amicamque vocem audiat, Venite benedicti Patris mei percipite regnum &c. In hunc finem anno 732. aut 733. facultates tam à Principibus quam inferioribus donatas ad pauperum Christi sustentationem, laudis Dei promotionem continuationemque, liberali manu erogat, sequutus spiritus sancti dogmata in sacris litteris reuelata: *Eleëmosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleëmosyna, omnibus facientibus. bona est oratio cum ieiunio & eleëmosynæ magis quam thesauros auri recondere, quoniam eleëmosyna à Morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.* Est vero donatio huius formulæ:

In Christi nomine. Oportet Christianos viam veritatis agnoscere, per quam Creatori suo dignè meritis suis seruire possint,

sint, vt oblatio eleemosynarum eorum, & deuotio perueniat ad salutem: ipso summo dicente: date & dabitur vobis, & facite eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

Idcirco ego in Dei nomine Clemens VVillibrordus, Episcopus, cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata mea possum abluere, & donante Domino ad æterna gaudia peruenire, dono à die præsenti, donatumque esse perennibus temporibus volo, hoc est, ad Monasterium Epternacum, quod est constructum super fluuio Sura in Pago Bedensi, in nomine patris & filij & Spiritus sancti, & SS. Petri & Pauli Apostolorum, & S. Ioannis Baptistæ, vel cæterorum Sanctorum, vbi ego ipse Clemens VVillibrordus Custos vel gubernator præesse videor, & si Christo placet, corpus meum ibidem requiescere debet. Hoc est

quod

quod dono vel trado ad ipsum sanctum locum Epternacum omnem rem vel villas, seu mancipia, quæ mihi ingenui Franci, pro amore eorum & salute tradiderunt vel condonauerunt.

Similiter illas res, quas Dominus Pipinus mihi condonauit, vel delegauit, seu Matrona sua Plectrudis, siue filius suus Dominus noster Carolus, Maior Domus: quas res ipsas Dominus Carolus, & genitor Pipinus, tam me viuente, quam de ista vita migrante, pro eorum mercede condonauerunt.

Et illas alias res ex parte denomino, vel homines qui mihi eas tradiderunt, vel delegauerunt, id est, vt hæc scriptura solenniter, pro temporum serie confirmare debeat. & hi sunt homines nominibus his nominati:

Rohingus

Robingus mihi condonauit, vel tradidit Ecclesiam aliquam, quæ est constructa in Antuerpo Castello, super fluuio Scalde, in Pago Renensium, cum appendicijs suis, Villas nominatas his nominibus, Bacualde, Winnelincheime, Furgalare, & in ipso Castello Antuerpo tertiam partem de illo telonio.

Et Heribaldus Clericus mihi condonabat & tradidit Ecclesiam aliam in Pago Marsum, vbi Mosa intrat in mare, cum appenditijs suis, & Mariscum vnde berbices nascuntur.

Et Angilbaldus mihi condonabat vel tradidit Villam quæ vocatur Wadradech, in Pago Taxandrio, super flumine Duthmala.

Et Ansbaldus mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in Villa quæ vocatur Busloth in Pago Taxandrio.

Et Beretbinda, Deo sacrata femina, mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in Villa Bobanschot in Pago Taxandrio.

Et Henricus mihi quondam donabat in Villa quæ vocatur Piepio.

Et Engelbertus mihi quondam donabat, vel tradebat mihi omnem portionem suam, in Villa quæ vocatur Hinesloten in Pago Taxandrio.

Item quod Engelbertus mihi condonabat vel tradebat Villam, quæ vocatur Alpheim, in ipso Pago Taxandrio.

Item Ansbaldus Clericus mihi condonabat vel tradebat Villam quæ vocatur Diosna, in Pago Taxandrio, super fluuio Digena.

Thiletbaldus mihi condonabat vel tradebat Ecclesiam aliquam, quæ est in Villa Montnahim, qua Arariae vocatur, cum appendicijs suis.

Et illuster vir Hedenus mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in Villa, quæ vocatur Aimistadi, super fluuio Wielheo, in Pago Turingasnes.

Superius

Superius nominatas vel scriptas res ego Clemens VVillibrordus trado atque transfundo ad illam casam Dei superius nominatam Epternacum, vel ad illam sanctam congregationem fratrum ibidem Deo seruientium; ea vero ratione, vt quidquid de ijsdem rebus superius nominatis facere decreuerint, in omnibus habeant potestatem faciendi, vt ibidem omni tempore pro nostra mercede, vel seniore nostro Carolo Maiore domus, seu eorum hominum, qui mihi suas res tradiderunt, proficiant in augmentis.

Et illud placuit nobis inserendum. Si fuerit vllus de haeredibus vel proharedibus meis, seu qualibet opposita aut extranea persona, seu iudiciaria potestas, quae contra hoc testamentum vel donationem meam, quam ego Clemens VVillibrordus Episcopus sana mente plenoque Consilio & deuotione

tione integra fieri iussi, venire aut agere, vel eam infringere voluerit, & si ista chartæi ostensa ad relegendum fuerit præsentata, se ipse exinde compescere noluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & sanctorum Angelorum, & ab omnibus Ecclesiis, vel consortio Christianorum efficiatur extraneus, & habeat partem cum Iuda, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos deglutiuit: & insuper inferat cum forio fisco auri libras decem, argenti pondo quinquaginta coactus exsoluat, & quod repetit euindicare non valeat, Actum anno VI. regnante Theodorico Rege.

Instrumentum hoc inscribitur testamentum S. Willibrordi apud Beijerlinckx, Scribanium, Miræum.

Digne meritis seruire possint vt oblatio &c. Ostendit Willib. se credere in Christianis esse merita bonorum operum, eleemosynam, deuotionem valere ad salutem. Sic credunt & loquuntur in suis pijs donationibus Imperatores, Reges & inferioris notæ viri, quas vide apud Miræum in codicibus

codicibus piarum donationum.

Peccata mea possum abluere. Credit peccata non tegi, obnubilari, radi, sed ablui, deleri, abstergi, tolli ex anima. Id enim abluere importat. Eadem credunt & profitentur Rohingus, Carolus Martellus in diplomatibus supra. Volue eundem Miræum.

Monasterium Epternacum. Quando id conditum vide Dissertatio. 98. simul intellige hic esse dotationem accessoriã, non fundationem aut dotationem primam.

Fluuio Sura. Etiamnum Pagum Bedensem eodem nomine percurrens Epternacum irrigat.

Pago Bedensi. Iuxta Antoninum Beda est vicus circa Treuiros hodie Bitburg. Hoc loco Pagus significat districtum à Beda Antonini nuncupatum sub quo Epternacum comprehenditur.

Præsse videor. Verbum videor non est dubitantis aut probabiliter tantum asserentis, sed certò, clare asseuerantis. Id habet vetustissimus loquendi mos : S. Humbertus Maricollensis Abbas, in donatione anno 667. vbi ego ipse indignus peccator Abbas præesse videor. Ludouicus Germaniæ Rex anno 98. In Comitatu Hainuensi sitam, cuius ad præsens Comes videtur adesse Sigehardus. Childebertus Francorum Rex anno 706. de ipsa Villa Solemio &c. Vbi Madalgisus seruus noster custos præesse videtur, Basilicam Dionisij Martyris &c. Vbi Chilardus Abba præesse videtur &c. Sic plura apud veteres.

Tam me viuente, quam de hac vita migrante &c. Hinc patet Pipinum, Carolum Martellum cum Willibrordo sensisse bona opera à viuis præstita præsidio eleemosynarum datarum defunctis prodesse, consequenter finita hac vita supereſſe purgatorium, satisfactiones &c. Idem patet infra.

Rohingus mihi condonauit &c. Explicuimus supra.

In Pago Marsum. Mersen in ditione Vltraiectina aut Marsdiepium hic intelligere vetat determinatio addita à S. Willibrordo, *vbi Mosa intrat in mare.* Ex quo datur intelligi donatam Ecclesiam siue vicum cum Ecclesia stetisse circa ostium Mosæ. Fuit ea in Pago Marsorum siue Marsacorum. Nec puto me longe aberraturum si dixero Marsum legendũ cum supra posita nota Λ pluralis numeri indice: Marsûm pro Marsorum vt Danaûm pro Danaorum. Marsos vero siue Marsacos circa ostium Mosæ habitasse approbat & probat Pontus Heuterus lib. 1. de veterum Belgio cap. 12. cuius verba ibi vide: Igitur Caninefates, ac Marsaci (si non potius legendum sit Maetsaci, à Maetsaec, quasi vnius causæ, partis, ac factionis Socij) ad Insulæ Batauiæ aliquod latus videntur statuendi. Id olim si eo loci fuerit, vbi nunc inter Gorinchemum, & Dordracum, omnia aquarum inundatione obruta videmus, aut trans Mosam, Wahalimque, inter Dordracum, eamque Zelandiæ partem, quæ hodie vocatur Duuelandia, ac Scouuina (si non huc vsque Morini, olim rerum sint potiti) aut alijs nunc Hollandiæ propinquioribus Insulis, olim pro maxima parte cum Batauis, Flandris, ac Brabantis, terra continens, asserenti non valde repugnabo. Mattiacos enim ibi non habitasse, mox è Tacito docere est facile. Certe Caninefates, Marsacos, ac Batauos, inter se socios, Insulas intra vada sitas teste Tacito lib. 20. occupasse, certum est. Vnde non vanis rationibus trahi coniectura posset, eos postea è Batauorum Insula, Mosam, Wahalim, ac Hælium ostium transgressos, eas quoque occupasse Insulas quæ inter Walachriam Zelandiæ hodie insulam, olim cum Flandria continentem, ac Batauiam, maris æstus effecerat, & quotidie adhuc faciebat.

Ali-

Aliquando suspicabar loco, Marsum, esse legendum In Pago Marsonè, in r. vitio scriptorum aut lectorum verso. In Pago Maesum id est in Pago seu districtu Mosano, Mosariorum &c. quemadmodum tractus ad Mosam circa Traiectum inferius olim est dictus Pagus Mosariorum, Mosagau &c. Et quia plures sunt tractus Mosæ à Mosa appellati, determinat suum Pagum per verba, *Vbi Mosa intrat in mare.*

Suspicionem iuuabat viuens vocabulum ad ostium Mosę Maeslandt / & non longe inde Westmaese / Maesdam. Verum ne forte cuiquam videar nimiuminnouare, explicui modo prædicto.

Mariscum, Moeraseh / paludosum locum quales frequentes sunt in Hollandia,

Barbices, Mirço, Barbeelen pisces Mosâ gaudentes. Malim intelligi aliquod genus fruticis aquatici è mariscо .i. palude iuxta Mosam aut ex altiori limosâ Mosæ parte nascentis, vti videmus hodie in Mosâ den Biesbosch.

Duthmala, Dummele fluuius decurrens ex Siluaducis per Boxtellam, Eindouiam, Weertam in Mosam. Vnde an wadradoch non sit Waerde / Wedert / Weerdt? quæ sunt loca supra Dommule.

Busleth, An non sit Silua-ducis? Bus enim, sicut Busch aut Bosch antiquitus & modo etiam vocatur, & postmodum Buscum Ducis, id est Siluaducis eo quod Godefridus Dux Brabantiæ eam in oppidum erexerit anno 1184. iuxta vetus Chronologum:

Gode-

GodefridVs dVXeSILVa feCIt oppIdVM.

COnfirmari potest, quia fama habet S. Willibrordum Silueducis, quæ tum solum erat, Villa, possessiones habuisse, imo ibidem conuersatum esse, prædicasse: & hodie quasi in eorum signum primo lapide ab oppido in Pago Vuchtensi celebris extat memoria S. Willibrordo dicata. Additum loth/puto idem esse quod, lo, additio patribus nostris frequens.

Pieplo intellige **Poppel** & conuenit cum nomine seculi 12. & 13. quibus scribitur in nostri monasterij monumentis **Publo**. Frequenter olim in Brabantia ad Villarum nomina addebant Lo: sic **Tungerlo / Westerlo / Tessenderlo / Publo / Rauenslo / Oesterlo / Poederlo / Oeuelo / Wierlo / Lillo / Callo / Louen** / quod est inuersum **Venlo** / quod postea vel breuitatis vel euphoniæ causa in plurimis omiserunt, aut ò in è mutato aut retento solo **L**. sic iam loco **Pieplo** aut **Publo** scribitur **Poppel** / loco **Rauenslo Rauels** / **Poderlo Poerle** &c. Idem alijs contigisse, reor, vt iam **Harsel** pro **Harselo** / **Sammel** pro **Sammelo** / **Caster** pro **Casterlo** &c.

Est vero **Poppel** vicus inter Bredam & Herendalium districtus Turnhoutani Diœcesis tamen Siluę ducensis, cuius Ecclesia, vt & Rauenslo, & eo pertinentia donata sunt Cœnobio Tungerloensi anno 1211. ab Henrico Pręposito S. Seruatij Traiectensis ad Mosam qui se Cappellarum de **Rauenslo** & **Publo** fundi Dominum & Patronum intitulabat. *Hineſloten.* Quid? vbi?

Alpheim, nunc **Alphen / Alfen.** Intelligere hîc Alphen Hollandicum locum nostrâ ætate cespitum bituminosorum

rum fodinis & equorum mercatu celebrem prohibet limitatio, *In Pago Taxandrio.* Intelligendus vero **Alphen** Brabantiæ vicus nobilis, gentis Nassouiæ peculium tertio lapide à Breda eiusdem gentis Oppido. Primò, quia est in Pago Taxandrio. Secundò, certum est Ecclesiam Alphensem cum decimis plurimisque fundis ad Epternacum pertinuisse, cuius Abbas Ludouicus cum consensu sui capituli eadem transcripsit Cænobio Tungerloensi anno 1175. quod ab inde vsque hodie possidet. Tertiò, quia habet insignem Basilicam S. Willibrordo inscriptam procul dubio studio Epternacensium qui grati erga suum fundatorem & benefactorem in locis in quibus ab ipso erant ditati, iam inter Diuos relato templa & Memosyna erigi curabant. Ita & in **Diessen** & alibi pro vt suis locis

Diosna, Communi expositione est **Dpessen** primò, lapide ab Hiluaribeca campiniæ municipio. Et conuenit nomen præsertim antiquùm Dijsne pro vt reperitur in monumentis nostris anni 1265. secundò, clarum est penes Epternacenses **Diessen** Capellam (ita vocant antiquæ litterç) cum decimis pluribusque bonis fuisse, quorum liberalitate ad nostrum Cœnobium deuenerunt. Tertiò, habet **Diessen** Ecclesiam à cultu S. Willibrordi & hominum concursu ad S. opis impetrandæ ergô accurrentium & reportantium celeberrimam.

Difficultas tamen supereſt, quomodo Diosna sit **Diessen**, cum dicat Willibrordus in instrumento, Superfluuio Digena, Fluuius vero (potius Riuulus) super quo est **Diessen**/ vocetur A A? & Digena videtur melius accipi Dungena, Dugna nunc **Dnugen** fluuius currens è monte S. Gertrudis versus **Riel.** & **Goirle.** Atqui hinc vlterius est argumentari Diosnam esse vicum Dungenam

Dug-

Dugnam nunc Dungen situm supra riuo eiusdem nominis iam dicto. Certe similitudo vocabulorum satis concinit & Dugna, Dungen vicus est tertiò lapide à Breda vicinus Alphen. Quare sicut hîc continuò & quasi sibi inuicem vicinos vicos Alpheim & Diosna recenset Willibrordus, ita suspicari licet esse in re sibi mutuo vicinos.

Posset nihilominus responderi fluuios, riuos, riuulos, à tempore S. Willibrordi per tot sæcula suos cursus, limites & nomina non raro variasse, ac Digenam (nunc Dungen) Diosnam (Diessen) aliquando percurrisse vt & modo non longe ab eodem sese absentat. secundò, qui olim appellabatur Digena postmodum per Apocopen vulgariter dictum & nunc dici Die A. A.

His iterum obstat quod Heda enumerans aliqua dona S. Willibrordo à diuersis tributa, dicat: *Ausbaldus omnem possessionem suum in Heckensloit, Villam Disenam*, sciz donat quod aliud est ab ijs quæ sunt intestamento dato. Quia in relatu Hedæ non exprimitur qualitas personę, nec fluuius, vt in dono testamenti, cum tamen ea in alijs addat Heda. Dissimilia etiam sunt nomina, Ausbaldus & Ansbaldus. Nomen etiam Disena melius conuenit cum Diessen, quam Diosna. Quare mihi probabile est Diosna non esse vicum qui nunc Dessen iuxta Hiluaribecam, sed alium ad fluuium Digena, prout supra discurrimus. Disenam Hedæ esse nobis datã, non Diosna quod est in testamento.

Et Berethinda femina Deo sacrata. Per feminam Deo sacratam, viduam intelligo: nam virgines nomine suo virginitatis solent venire. Ab infantia Ecclesię visum est viduas se Deo consecrare, vel priuata deuotione, vel quod frequentissimum erat, solenni habitu accepto ab Episco-

po

po aut summo Ecclesiæ Præsule. Ne longe præter institutum extra orbitam saliamus, Lege quæ de viduis & virginibus habet S. Ignatius Episcopus Antiochenus in epistolis ad Philadelphios, ad Smijrnenses, ad Polycarpum, ad Tarsenses, Philippenses; ex quibus colliges primitiuam Ecclesiam eximiè floruisse germine sanctarum Virginum & continentia viduarum. Lege quæ S. Hieronimus de Paula, Marcella, Lea: Ambrosius de viduis; quæ historiæ Ecclesiasticæ de Radegunde Regina, Monegunde, Waldetrude, Itta, Amelberga, Begga, Cunegunde Imperatrice, Brigitta eiusque filia Catharina, næ veritatem illam euidentissimè reperies. Testis est Iperius in Chronico suo Bertinensi Adelaidam seu Adelam Roberti Francorum Regis filiam Messinis sanctimonialium constructisse Cœnobium, & viro orbatam deuote limina Apostolorum visitasse, ab Alexandro 2. Papa vidualem suscepisse habitum. Sicque reuersam in monasterio suo Messinensi humillimè vixisse, & plenam pietatis operibus anno 1079. obijsse ibique sepultam. Annales Cœnobij Teplensis ordinis nostri Præmonstratensis hæc habent: *Eodem tempore Regis Ottagari Frater Hroznata Clausstrum Chotiessouuiz in honore sancti Wenceslai Ducis & Martyris Patroni Bohemiæ fundauit, & donauit abundè, rebusq; vtensilibus adornauit, & conuentum Dominarum sub eadem regula Domino famulantium instituit. in eodem in quo etiam Domina Woÿzlaua soror sua Germana, viro suo Cracouiensis vrbis Præfecto sublato de medio sub obseruantia Castimoniæ viduitatis in sanctæ conuersationis studio perseuerans, in competenti sibi habitu, quem vidua huiusmodi consueuerunt deferre, in congregatione sororum Aduocatæ gerens seu Patronæ officium annis pluribus superuixit; & ad extremum in pace Christi quieuit, cuius Corpus ibidem in medio Monasterio est honorificè tumulatum.*

Quod si per feminam Deo sacratam Virginem malis intelligere, longe plura singulis æuis occurrent Virginum Deo dedicatarum examina.

Bobanschot. Non nemo interpretatur Boisschot viculum inter Arscotum & Lyram oppida in ditione Mechlinensi subditum immediate prętorio & Ecclesiæ Heijsten si. Verum aliam interpretationem semper optaui: primò, quia non videtur Taxandria eousque se extendisse, sicut nec modo nomen Campiniæ (quod in nomen Taxandrię succesſit) eò sese extendit. secundò, Heyst/ sub quo Boisschot versus Mechliniã, fuit olim Pagi Rhiensis; nam Pagus ille olim complexus est siluam Wauriam (vulgo Wauerwalt) quæ ab Heijsta ducebat initium. Tertiò, quia S. Willibrordus vix eo tractu est notus, nec vllã memoriam habet, nec scitur possessiones ibi obtinuisse. Quare libẽtius per Bobanschcot intelligo Enschot / viculum sub prętorio Oisteruicano, subditum, quoad sacra, Ecclesię Tilborchensi, olim quam modo celebriorem, vtpote qui sub suis sacris cõtinebat Tilborchenses vnde & eorum matrix Ecclesia etiamnum prædicatur, à quibus versa fortuna nunc continetur. Primò, quia nomen optime conuenit & magis si pronuntiemus E. crassius per modum A. more Campinienſium. Nec detractę tres primę litteræ obstant; nam nomina vel breuitatis vel euphoniæ causa quoad litteras immutari, abbreuiari, pręsertim in vulgari vsu, neutiquam est nouum. Secundò, quia certum est esse in Pago Taxandrio. Tertiò, quia constat Willibrordum in eo tractu possessiones nactum esse & optime esse notum. Quartò, quia iuxta Enschot sub eodem prætorio in altero viculo Berkel (forsan olim contento sub Enschot) conspicitur magnificum sacellum D. Willibrordi memoriæ consecratum.

Turingas-

Turingasnes superfluuio. Obscuriſſimum mihi ſemper viſum, nec diu meditando ſciui vbinam ea deſignarem, nec in aliorum annotationibus video deſignatum. Tandēque occurrit mihi eſſe Dordracum, **Dordrecht.** D. frequenter olim ſonuit vt T. & O. vt V. & hodie apud quoſdam. Confirmor quod legam vetuſtiſſimo tempore maiorum **Dordrecht** vocatum **Tordrecht / Thuridrecht / Thunridrecht.** Imo Turingos ſiue Thoringos, de quibus apud Scriptores non rara eſt mentio, aliquando conſediſſe vbi nunc eſt Dordracenſis iuriſdictio, multis contendit I. Eijndius in Chronico Zelandię & Prouinciam nominatam Thoringiam, Thuringiam, adeoque latos habitaſſe limites, vt Worichen (**Workum**) & Gorichen (**Gorcum**) ſua ditione continerent & Wahalis fluenta attingerent. Quare Pagus Turingaſnes mihi eſt antiqua Dordrechtenſium regio & Wielheo fluuius Wahalis. Nec mirum, quæ enim olim nomina erant vſitata, nunc ſunt exotica, barbara. Adde primos Apoſtolos noſtros externos, Anglos, Scotos, Hybernos, patriæ vocabula barbarè enuntiaſſe.

Aimſtadi, locus re & nomine in illo Moſæ tractu mihi ignotus.

DISSERTATIO CXXXII.

De Taxandria seu Pago Taxandrio de que in Testamento.

MEnapios (de quibus frequens mentio apud Iulium Cæsarem, & Tacitum) è sede inter Rhenum & Mosam olim fugatos, ante tempora Taciti hunc tractum habitasse regnante Vespasiano Imperatore, clarum est ex eodem hist. lib. 4. vbi ait: *Ille* (Ciuilis rebellium Romanis Germanorum dux & incentiuum) *vt cuiq; proximum, vastari Vbios Treueros q̃, & aliam manum transire Mosam amnem iubet, vt Menapios, & Morinos & extrema Galliarum quaterent.* Et Plinius: *A Scaldi incolunt externi Taxandri pluribus nominibus, deinde Menapij &c.* Strabo lib. 4: *Nouissimi Menapij Galliarum ab hac parte fluminis.* Ptolomæus quoque eos sua ætate facit Cismosanos, Oppidumque ad Mosam tribuit Castellum, quod nunc Kessel vocari plærique volunt.

Quot annis aut sæculis mansionem ibi nacti sint, incompertum est. Tandem (iuxta Pontum Heuterum lib. 1. de Veterum Belgio cap. 10.) Menapij è Ditione quæ est iuxta Mosam ac Saldim, à nouis hostibus Toxandris, seu Taxandris pelluntur, qui vnde venerint, non legitur, sed occupasse eos pulsis Menapijs totam campiniam Brabanticam, è collatione veterum scriptorum, facile colligitur. Etenim Amm. Marcell. lib. 17. horum mentionem faciens in hunc modum scribit: *Quibus paratis petit omnium primum Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellauit, auses olim è Romano solo apud Toxandriam locum, habitaiula, sibi figere pralicenter, cui tum Tungros veniissent, occurrit Legatio prædictorum*

dictorum. Probat deinde Marcellinum loqui de Taxandria nostra Brabantica. Vnde patet Taxandros non esse indigenas, vt supra testatum habemus ex Plinio.

Quam partem Brabantiæ primo inuaserint aut inhabitarint, non liquet. Imperante Constantio Augusto Francij Salij (sunt ij Transisalani) Taxandros adoriuntur & aliquot locis expellunt. Verùm à Iuliano Cæsare Constantij negotia ab anno Christi. 356. vsque in annum 363. in Gallijs procurante mox reprimuntur & reijciuntur. Latissime ex angustioribus paulatim inter Scaldim & Mosese extendisse patet ex testamento S. Willibrordi ante recitati: item ex diplomatibus variorum Regum, vt Caroli Calui anno 877: *Carolus Dei misericordia Imperator Augustus ob amorem Dei & deprecationem Richildis Imp. coniugis nostra concedimus ad vsum fratrum seu sororum sanctimonialium & canonicorum Niuellæ Cœnobij quod conditum est in honore S. Mariæ in quo etiam S. Gertrudis corpore quiescit &c. Villulam Foreſt in Taxandro.*

Idem confirmat Suencheboldus Rex vocans similiter Villulam Foreſt in Pago Taxandriæ anno 897.

Est vero Villula Foreſt modo vicus dictus Vorst non adeò longe distans ab Oppido Herentalensi in confinio Brabantiæ & Ditionis Leodiensis miliario circiter ab insigni Cœnobio Auerbodiensi Ordi. Præmonstratensis quod Foresti Ecclesiam & decimas possidet à Niualensibus vel à ius habentibus olim donatas, vt mihi perscripsit R. D. Ægidius de Voeght eiusdem Cœnobij Canonicus polihistor.

Otho secundus Imperator possessiones veteres Monasterij S. Bauonis Gandensis confirmans diplomate dato anno 976. in Pago Tessandriæ ponit Northeruic Noorderwijck paruo spatio à dicto oppido Herentalensi & Ædingeham

dingeham Itecum medio ferme itinere inter Liram & idem oppidum. Quinimo Diuæus lib. 1. Rerum Brabanticarum Liram Ciuitatem & Werchten vicum ad Demerã inter Louanium & Mechliniam Taxandriæ adscribit, adeo spatiosè promouerunt Taxandri.

Qua autem de causa hæc (pergit Hauterus) *Brabantiæ pars, oblita Menapiorum ac Taxandrorum, Campinia, Campania, aut Kempenia postea sit dicta, fateor me ignorare. Vulgatis enim Belgarum Annalibus, in rebus vetustis (nisi probatos allegent authores quod eis rarum est) fidem adhibere non soleo, ac proinde eorum fabulas nunquam recito. Si cui placeat inditam appellationem à Præfecto quodam Romano nomine Campano, aut eiusdem nominis Tungrorum Principe de quo Tacitus lib. 20. per me licet, nam neque ego ab hac opinione horreo. Cum autem è dicto Taciti lib. 20. palam constet, fuisse eo tempore inter alios Tungrorum Principes hunc Campanum, quis negabit & antea, & postea, plures eius nominis extitisse? inter quos forte vnius tantæ erga Romanos fuere merita vt hic Menapiorum (nunc Brabantiæ) tractus illi dono fuerit datus, ac ea forte de causa in posterum ex eo denominatus. Hæc coniectura est mea vt & plaraque alia, de quibus lectori liberum manet iudicium.* Ego cum Campiniam seu Cempeniam peragrarem, inueniremque esse omnino campestrem, planam, minime montosam ac syluosam, iudicaui nomen accepisse à Campis quasi ditio Campestris & hoc præsertim respectu alterius partis Brabantiæ circa Louanium, Bruxellas, Namurcum, Thenas, quæ omnino est montosa, siluosa & inæqualis.

Nota Plinium supra dicere à Scaldi incolu ntexterni Taxandri pluribus nominibus, ex quo datur intelligi Taxandros varias Campiniæ portiones inhabitasse idque sub diuersis appellationibus, sicuti modo, ita vt alij simpliciter vocentur Campinienses, alij Pelandi (antiqui credun-

creduntur Pemani) alij Maeſlandij, alij Campiniæ Leodienſis.

DISSERTATIO CXXXIII.

An Taxandria ante predicationem SS. Lamberti, & Willibrordi fuerit ethnica?

SVnt qui imaginantur eam totam ethniciſmo manſiſſe inuolutam, & Chriſtiana luce caruiſſe ante eorum acceſſum. Inter eos videtur ſenſiſſe Diuæus lib. 1. rerum Brabanticarum cap. 9. inquiens: *Feritatis Taxandrorum magnum eſt argumentum, quod ex inferioribus Germanis vltimi Chriſti fidem ſuſceperint, predicante nempe D. Lamberto Tungrorum Epiſcopo; vt mirum ſit Pipinos Duces, Principes inuictiſſimos, ac religioſiſſimos, non antè hunc populum à gentilitate reducere potuiſſe.* Verum fallitur magnopere, vt & reliqui, præſertim ſi de tota Taxandria accipiatur. Patet 1. ex teſtamento S. Willibrordi iam producto vbi ipſi ante conditum Epternacum vel paulò poſt donantur in Taxandria Eccleſiæ, nominantur Clerici, Religioſa fœmina. Nec loquitur de recenter natis, ſed de præexiſtentibus & vetuſtioribus, nec de eius prædicatione vlla fit mentio.

Secundò, circa annum 600. quo nec S. Lambertus, neque S. Willibrordus erant orti, egit in Hammelo Taxandriæ loco S. Dimpna ex Hibernia profuga cum ſacerdote Gereberno. Veroſimile eſt ibi fuiſſe ſacellum vbi Diuina Chriſtiana celebrabant. Saltem certum eſt tum exſtitiſſe in vicina Gela, municipio modo celebri, templum S. Martini,

Martini, in quod Reliquiæ S. Dimpnæ inferebantur, colebantur, sacrificia offerebantur. Ante prædicationem SS. Willibrordi & Lamberti florebat magna sanctitate & potentia cum tota stirpe S. Waldetrudis vxor S. Vincentij Hannoniæ Comitis Domina Oppidi Herentalensis; quam in subditis fidem Christi neglexisse non est credendum; non deerat facultas, non voluntas. Sub Ansegiso Marito S. Beggæ Principe Austrasiæ, in qua Taxandria, aut circiter, eluxit magna sanctitate S. Odâ Rodæ in Taxandria. Nec dubito quin S. Amandus Antuerpiæ prædicans, Ecclesias constructus, vicinis Taxandris prędicationem suam etiam impenderit. Item S Eligium Antuerpiæ pariter Apostolum dum in Frisiam pergeret per Taxandros diuini verbi semina sparsisse.

Tertiò, ante ortos S. Lambertum & Willibrordum Taxandria parebat Regibus Francię Catholicis & pijssimis Principibus, Pipino Landensi, Grimoaldo, Ansegiso, Beggæ &c. sub Zelosissimis præsulibus Tungrorũ qui sane non toleraſſent Taxandros suos in Idololatria hærere; nec leguntur, scribuntur aut traduntur Taxandri contra eos vnquam rebellasse, quin potius tam circa fidem, quam circa politiam se modestissime sub illis continuisse. Quate omnino reijciendum quod supra ait Diuæus. potius de Frisijs hoc potuisset & debuisset pronuntiasse, qui non semel conculcata fide recalcitrarunt, omnium Belgarum postremi & vix nisi armis subacti Christum receperunt.

Concedo tamen SS. Lambertum & Willibrordum salubri prædicatione è multorum mentibus reliquias Idololatriæ & dæmoniacarum superstitionum exemisse; aliquot Taxandriæ locis Mosæ & Citeriori Frisiæ adiacentibus (quibus facile à contiguis Frisijs multum mali potuit adfricari) Idolis destructis vexillum Christi intulisse.

An prædicta dotatio sit facta per verum Testamentum.

NInstrumentum iam explicatum sit proprij nominis testamentum. Apparet quod non; quia nulli scribuntur testes: nullæ solennitates iuris in testamentis requisitę adsunt, & ex formula sua magis est donatio mera inter viuos. Scio replicari posse & admitto nec in ris illas solennitates, nec testes esse necessarios in testamẽtis & donationibus ad pias causas. Vide Lessiũ de Iustitia & iure li. secundò, c. 19. dubi. 2. Nihilominus sentio prędictum instrumẽtum non esse proprij nominis testamentum. In primis quod non procedat modo in testamentis quasi naturaliter solito; non enim hic disponit Willibrordus de omnibus suis bonis quod testamentorum conditores solent & debent: nihil de Ecclesia Vltraiectina: nihil de Episcopatu: nihil de fundationibus Vltraiecti positis: nihil de domesticis & familiaribus; nihil de suppellectili tam sacra, quam profana. Loquitur continuò in præsenti, dono, do &c. cum testatores consueuerint in futuro, habebit post mortem, habeat, aut quid simile. Deinde L. 1. P. de testam. Definitur testamentum esse voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult. Hîc vero Willibrordus non dat sententiam de eo quod post mortem fieri vult, sed de eo quod se viuente vult fieri & hoc omnino sonant formulæ, *Dono à die præsenti donatumq.*

esse perennibus temporibus volo &c. Trado atq; transfundo ad illam casam Dei Epternacum &c. Quare dicēdum est esse solum donationem seu litteras donationis inter viuos, qua quis sic donat, vt etiam se viuo velit rem absolutè esse alterius; & hoc declarant prædictæ formulę. Cur ergo ab auctoribus passim inscribitur & appellatur testamentum? Resp. dici testamentum impropriè, vel quia est simile testamento, aut est testimonium donationis. Vnde Willibrordus sub disiunctione vocat *testamentum vel* (quasi seipsum corrigendo) *donationem meam quam ego Clemens Willibrordus Episcopus sanamente &c.*

Secundò quæritur, Quomodo S. Willibrordus solenni religiosa professione constrictus & quidem (quod quibusdam placet) monachus, potuerit donare aut testamentum condere, cum religiosi sint exuti omni proprio ex quo donent, alienent, testamentum condant? Sic de S. Augustino Hipponensi Episcopo Possidius; Testamentum nullum fecit quia vnde faceret pauper Christi non habuit. Et D. Gregorius magnus consultus ab Augustino Anglię Apostolo & primo Archiepiscopo Cātuarienſi quomodo ipse religiosustam sibi quam alijs de bonis oblatis disponere deberet, eidem rescribit: Quia Fraternitas tua Monasterij regulis erudita seorsum fieri non debet à Clericis suis in Ecclesia Anglorum quæ auctore Deo nuper adhuc ad fidem adducta est, hanc debet conuersationem instituere quę initio nascentis Ecclesię fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex hisquę possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

Resp. primò, Willibrordum plurimas oblationes à fidelibus recepisse vt eas ad sacras piasque fundationes applicarēt, impenderet, adeo vt earum non tam esset dominus

nus & proprietarius quam dispensator, quod religioso licet. secundò, potest religiosus Episcopus testamentum condere & donare cum consensu summi Pontificis, quem ipsum habuisse dū donauit, si donauerit, aut si testamentum condiderit, est verosimile. Denique huc reducito sententiam Dominici Soto lib. 10. de iustitia q. 5. artic. septimo, qua docet Episcopos ex Monachis factos eodem modo obtinere portionem sibi assignatam quo Episcopi seculares suam: ac post argumenta in vtramque partem prolata & factam distinctionem bonorum secularium & Ecclesiasticorum demum resoluit: *Dicendum ergo subperitiorum censura, quod sicut obedientia monachi dum fit Episcopus, sic mutatur vt soli sit Papæ subditus, ita & eius mutatur paupertas, vt decimarum portio reliquaque Episcopalia bona illi sicuti & reliquis Episcopis adiudicentur: nimirum vt & ipse sustentetur: & singulari misericordiæ præcepto, quod præ alijs Episcopis religiosos ligat, subsidio sit pauperibus. Quantum ad aliud vero bonorum genus, scilicet secularium, dubitari non potest, quin etiam paupertatis votum quadamtenus ei mutetur vt patet ex cano. statutum.* 18. *q.* 1. *vbi monachus qui in monachatu hæres paternus esse non poterat, idoneus declaratur eidem adeundæ hæreditati qua vtique potest superstite vita perfrui. Et in causam adducitur, quod ipsum electio canonica à iugo regulæ monasticæ religionis absoluit: & sacra ordinatio de monacho Episcopum fecit*: Hinc soluendæ aliquot difficultates contra Episcoporum religiosorum liberiorem dispensationem occurrentes. Quod attinet ad D. Augustinum Hipponensem testamentum nullum fecit, non quod absolutè nequiuerit, sed quia omnibus in religiosos, pauperes, captiuos, tempore obsidionis & vastationis Wandalicæ voluntariè impensis, nihil restabat vnde faceret: aut si quid superfuerit, noluerit pauperi ei magnus sectator testamentum condere. Alteri Augu-

stino D. Gregorius solum suadet quod perfectius & monacho conuenientius est, præsertim quando ipsimet clerici non religiosi in communi victitabant; non vero determinat nequaquam aliter agi posse. Tertiò, quæritur, quare Willibrord. voluerit monasterium adeo remotum à sua Diœcesi? cur ibi sæpius conuersari, imo præesse? cur ibi sepulturam eligere? Cur non potius Vltraiecti apud collegas suos, aut alibi propria in parochia? Resp. causam fuisse amorem Pipini eiusque coniugis erga missum Domini, vicissim amorem ipsius in eos: illi considerantes sanctitatem viri & lucentem in eo gratiam diuinam, voluerunt Austrasiam eius præsentia cohonestari, benedici; voluerunt eius vultu frui: considerantes iterum eius mores religiosos, industriam, zelum in spiritualibus ordinandis, amauerunt aliquot monasteria Austrasiæ eius obstetricante manu educi, foueri, consilio dirigi. Ipse vicissim spartam à Principibus propositam omni conatu promouere, omnibus medijs ad perfectum deducere. Nec propterea neglexit suos Frisios, in quibus non minora, imo plura præstitit. Vtrisque conuenienti tempore cum auctoritate & auxilio aderat.

Cur & sepulturam Epternaci potius quam Vltraiecti elegerit, resoluetur, vbi ad eius obitum peruenerimus.

In qua De Thiela quæ perhibetur S. Willibrordo donata, multa discutiuntur.

CIrca hoc idem tempus videtur Thiela (oppidum modo est Geldriæ) donata Sancto Willibrordo.

Donatam esse ei nusquam expresse lego, attamen Heda supponit, & eius illustrator Bernardus Furmerius in marginali. Vt vt est, cõstat Thielam, siue sub Willibrordo, siue posterius ad Ecclesiam Vltraiectensem pertinuisse, donatam, saltem secundum aliquas possessiones, ab antecessoribus Walgeri viri nobilis in Frisia potentis & opulenti; auctas vero, extensas, additas insuper iurisdictiones aliquot ab eodem Walgero eiusque filijs Rabodone & Hattone. Vide Hedam in Balderico & Adelboldo. Walgerum istum (alias Waldegarium) existimat & probat Dousa fuisse fratrem Theodorici primi Hollandiæ comitis & habuisse præter Rabodonem & Hattonem tertium filium Fopponem, potius Popponem vt legit diploma. Cæterum Heda disquirens quænam sit illa Thiela Vltraiectensis Ecclesiæ, argumentatur & resoluit hoc modo: *De Traiecto; Fethna, Elisie & Benthem supersedemus scribere situm; sunt enim loca cognita satis & superextantia; sed si scire volueris quidnam fuerit ista Thiela, Thiele, siue Thuijle, ipsam esse credo, cuius poëta meminit lib. 1. Georgicorum:*

Tibi seruiat vltima Thuÿle:

VBi oppidum antiquitus celebre ab insula nomen trahens supereſt instauratum, Thiela sedes ac portus negotiatorum. Nam tempore istius Poëtæ incognitum erat Romanis, quicquid vltra Amasim primo & demum Albim flumina iacebat. Et Pomponius Mela nostram opinionem hoc modo confirmat lib. 3. cap. 6. Thule Belgarum littori oppoſita est Graijs & nostris celebrata carminibus. In ea quod sol longe occasurus exurgit, breues vtiq; noctes sunt, sed per hyemem sicut alibi obscuræ, æstate lucidæ, quod per id tempus iam se altius euehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium vero nullæ, quod tum iam manifestior non fulgorem modò, sed sui quoque partem maximam ostentat, &c.

Verùm errorem errat Heda: Thiela siue Willibro. siue Ecclesiæ Vltraiectensi donata, longe alia est à Thuijle Virgiliana: illa est ciuitas in Batauis ad fluuium Wahalim: hæc est insula Oceani septentrionalis longè dissita idque iuxta omnes Pòëtæ interpretes: Ascensium in eundem locum aientem: *Thule insula Oceani inter septentrionalem & occidentalem plagam Vltra Britanniam & Orcadas.* Probum item: *Tethus & Thule insulæ sunt in Oceano septentrionali, iunctæ Britanniæ. Vltimis partibus Orchades, quarum vltima est Thule.* Seruium: *Thule id est insula vltima id est extrema hoc est, etiam extremis hominum vt qui sunt vltra penitus toto diuisos orbe Brittannos, seruiat tibi &c.* Manilium, Vltima Thule. Apud Strabonem & Dijonisium atque Eustachium qui græcè diligentissimè orbis situm conscripserunt, Thule legitur insula in vltima septentrionis parte. Strabo autem sic ait: *De Thule item obscura est Historia propter eius in vltima loca remotionem; hanc siquidem ad septentrionem expositam locant.* Solinus

nus quoque de Britannia loquens ait: multas & esse circum Britanniæ insulas e quibus Thule vltima. Vltra Thulem accepimus pigrum & concretum mare. Atqui hæc est priscorum interpretatio quam posteriores omnes amplexantur. Idem de Thule (procul dubio Virgiliana) præter citatos censet Plinius, Ptolomæus, Arnobius, Kranzius, Ortelius, Scrieckius in Originibus Celticis, Bernardus Furmerius, quamquam inter eos non conueniat quænam determinatè sit Thule. Ortelio Tillemarcam Nortuegiæ siue tractum siue insulam; reliquis penè omnibus Islandiam ex oppositio Nortuegiæ intelligentibus. Probatur & ratione, quia Virgilius optat suo Augusto futurum seruitium Thules quod nondum erat: Thiela autem Batauica siue Batauia iam ab ante Romano imperio seruiebat, amica & obsequiosa erat, quod colliges vel ex Iulio Cæsare qui cum optime nosset Batauiam & Batauos, nullum illis bellum, nullam iniuriam intulit, ipsi nullum illi, absque dubio aliàs sine vexatione & mutua irritatione non futuri. Præterea si inimicitias cum Romanis gessissent, à vicinis in commune onus, in societatem belli pertracti fuissent, quorum nullum apud Cæsarem vestigium. Tacitus libro de moribus Germanorum: *Batui, ait, Cattorum quondam populus & seditione domestica in eas sedes transgressus in quibus pars Rom. impij fieret. Manet honos & antiquæ societatis insigne &c.* Quibus verbis insinuat non à suo tempore, sed ab antiquo Batauos cum Romanis societatem coluisse.

Et ne sola ratione videar id mihi colligere, ecce testem locupletem Gerardum Nouiomagum in historia Batauica inquientem Batauorum tantam virtutem & fortitudinē fuisse, vt Senatus Populusque Romanus, Regem & gentem Batauorum, amicos Senatus consulto ac Plebiscito declarauerit.

declarauerit. Iulius autem Cæsar, mortuo Patre suo, Batauorum cohortes in summo honore semper habuit, hos corporis sui custodes constituit, his primam aquilam in dubijs bellis credidit, horum potissimum opera Britanniam subegit. Durante etiam bello Gallico, Cæsar vsque Nouiomagum descendit, & in amicitiæ suæ erga Batauos memoriam, arcis partem quæ Vahali imminet, Romanorum more per suos architectos & fabros aduersus aquarum impetum muniri fecit, ab ipsoque, vt fertur, ea structura, Domus auxiliaris, Batauicè, dat Juppiter juppen / nuncupata est: In bello vero ciuili, Batauorum cohortes Pompeianos vicerunt, & Pompeium in fugam verterunt. Mortuo Cæsare Dictatore, fidelissimi in Romanorum amicitia ad Vitellij Imperium vsque Batauj perstiterunt. Augustus quoque Octauius in comitatu suo multis annis eos detinuit, & Tiberius corporis custodes delegit. Sub Druso vero & Germanico, strenuam Romanis operam, pace belloque iam clari, nauarunt. Frustra igitur optasset Augusto suo futurum seruitium Thulesi de Tiela Batauica intellexisset Pòéta.

Probat nihilominus suum Heda: primò, nam tempore istius Pòétæ incognitum erat Romanis quidquid vltra Amasim primò, &c. prout supra. Resp. negando suppositum. Iulius namque Cæsar, qui Batauorum ea tempestate late regnantium insulas terrasque: Rheni Mosæque & Wahalis exitus nouerat: Germaniam tam inferiorem quam superiorem inuestigarat; ad toto diuisos orbe Britannos nauigarat: qui geometria & Astronomia pollebat, optimè potuit rescisscere vltra Batauiam vltra Amasum & Albim flumina consistere terras alia sub luna rigentes, idemque Romanos edocere.

Probat secundò, Pomponio Mela Thule Belgarum littori

littori oppoſita eſt &c. prout ſupra. Reſp. : concedimus Thuylen Belgarum littori oppoſitam, ſed à remoto & non immediatè. Ptolomęus enim & Mela à nobis diſſiti locorum diſtantias & intercapedines vel non exactè nouerunt, vel exactè annotare neglexerunt. Cætera quæ de noctibus addit Mela, longè melius quadrant Thuylæ polo Arctico viciniori, quam Tielæ Batauicæ diſtantiori: etiam lippis & tonſoribus notum eſt Batauiam nullo anni tẽpore carere noctibus.

Tiela poſt acceſſum ad S. Willibrordum aut Vltraiectinum Collegium huc vſque alternante fortuna perſtitit, deſtructa primò à graſſantibus Nortmannis & Danis ſtatim poſt annum 715. quod alijs hiſtorijs ſilentibus patefacit nobis diploma Zuientiboldi Regis quo Eccleſiæ Traiectenſi confirmat quidquid Ludouicus, Carolus, Pippinus, alijque Reges conceſſerant, & proprietatem ac immunitatem ab eis obtentam extendit ſurſum ad Dauentriam, Tielam iam deſtructam, cum ſuis ripaticis ac cæteris pertinentijs, & vniuerſa alia loca in ipſo Epiſcopatu conſiſtentia. Actum Nuimaga anno 890. ſalutis per Chriſtum partæ. Regni verò Zuientiboldi ſecundo. Conſule Hedam in Odilbaldo Epiſcopo 12. Ita à Piratis deſolatam Tielam innouauit reſtaurauitque inſtituto inibi Virginum ſacratum Monaſterio pius Princeps Walgerius ſupra nominatus, cum ipſius Frater Theodoricus primus Hollandiæ Comes à Nortmannorum libidine Batauiam vindicaſſet. Exinde Tielam in perfectum ſtatum adoleuiſſe conſtat ex diplomate Othonis Regis ſub Baldrico Epiſcopo 15. quod tale extat apud Hedam:

In nomine S. & individuæ Trinitatis. Otto diuina fauente Clementia Rex. No-

tum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, qualiter nos ab amorem Dei nostraque remedium animæ, Monasterium in loco Tiela constructum cum nouæ atque lapideæ in eodem loco, Ciuitate, omnibusque, Ecclesijs, prædijs, familijs, mancipijs, fluuijs, aquis, piscationibus, pascuis, prati, omnibusque ad præfatum Monasterium, vel ad Ecclesias à VValdgero & filio eius Radbodone, necnon & Hattone, & illorum antecessoribus ad iam dictum Monasterium in proprium concessas iure pertinentibus ad Episcopalem sedem Trai. in honore S. Martini constructam, cui nunc Venerabilis Baldricus Episcopus præest. Insuper etiam salictum iuxta supradictam ciuitatem Thiele situm iure perenni in perpetuum donauimus. Iussimus quoq; inde hoc præsens præceptum conscribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, vt nullus successorum nostrorum

Re-

Regum aliquid de his nostro dono collatis prælibatæ Trai. sedis Ecclesiæ auferre habeat potestatem, manu nostra subtus firmatum, annulique nostri impressione roboratum. Signum Domini Ottonis serenissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem VVigfridi Archicapellani recognoui. Data XII. Kalendas Maij, anno Dominicæ incarnationis 950. Indictione 8. anno Regni Oddonis Regis 15. Actum Quindelingeburg in Dei nomine feliciter. Amen.

Cernis hîc laudabilẽ metamorphosim in Tielanæ ciuitatis eiusdemque Ecclesiæ Partenone Walgeriana per curriculum annorum collapsa & diruta (quo casu non inuenio) quę amotis Virginib. reparata fuit & viri religiosi sub professione sancti Augustini, vel beati Isidori quos canonicos regulares appellant (Heda in Adelboldo) in locum illarum subrogati, qui Deo seruiendo pie viuebant vsque ad tempora Adelboldi. Eo ineunte Pontificatum B. Aufrido (cuius merita apud Deum Diœcesim tuebantur) anno 1008. defuncto, Dani quasi ruptis repagulis piraticam resumentes, Frisiam Batauiamque ferali sęuitia incursantes anno 1009. Tielam incendunt, & sequenti anno Traiectum teste Sigeberto idemque referente Heda in Aufrido. Eius cladis misertus impigri animi Adel-

boldus (sedit is. ab anno 1008. vsque in annum 1027.) cessante tempestate loco iam tertiò desolato & per eum instaurato, dissoluta priorum disciplina, Walgeriano monasterio & Ecclesiæ quæ erat D. Walburgi sacra Canonicos præfecit seculares; qui tamen temporis successu ob sæuitiam municipalium translati sunt in Oppidum Arnhemense, benigne accepti à Comite tunc Geldriæ qui locum eis accommodauit vbi sedes ponerent. Tanti quondam fuit Tiela vt in feudum concederetur, non vulgari alicui nobili, aut comiti, sed nobilissimo Lotharingiæ & Brabantię Duci, qui ratione feudi ab Episcopo Traiectensi tenebat ciuitatem lapideam in Tiela cum prædijs, familijs, mancipijs, syluis, aquis, piscationibus, pascuis, pratis, & salictum iuxta prædictam ciuitatem situm, & omnibus ad ciuitatem pertinentibus eandem: audiebatque liber feudalis & dapifer Episcopi Traiectensis.

Beneficium istud postmodum multorum dissidiorum & prœliorum occasio fuit inter Duces Geldrię & Brabantiæ: Geldro tanquam membrum sui ducatus, Brabanto vt suorum prędecessorum beneficium sibi asserere conante. Demum Philippus Rex Franciæ sedandarum litium ergô pronuntiauit anno 1334. Brabantus Geldro Tielam cederet, & Gelder Brabanto quosdam pagos in ditione Heusdana. Sęuiente bello inter Burgundos & Geldros plures impetus generoso pectore sustinuit. Nostro ciuili bello per Catholicæ fidei euersores sub Caluinistarum iugo longùm suspirat annihilatis pijs antiquissimorum Principum & Præsulum fundationibus. Hactenus de Tiela ad honorem S. Willibrordi cui perhibetur esse donata.

Dissert-

De obitu S. Huberti S. Willibrordi amici, coętanei & familiaris. De eius sepultura.

SAnctus Hubertus sedulus pastor dum multorum rogatu ad dedicandam quandam basilicam Bracbantum (Brabantiam) debili licet corpore perrexisset, eâ peractâ ouibus suis diuinæ doctrinæ pabula administrasset, Furę decumbens à Deo ad spiritualis militiæ brauium vocatus creatori suo animam virtutibus ornatam reddit Episcopali & Apostolico muneri immoriens. Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus eius & pulsauerit ianua n inuenerit vigilantem. Amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum. Quod nunc in S. Huberto impletum est,

Recessum ad cælitus late prosequitur vetustissimus Ionas quem notis illustrauit Ioannes Roberti ex Societate Iesv. Quædam inde delibabimus seruatis plurimùm ipsius verbis.

Sanctissimus Præsul præsentiens discessum suum ex hoc mundo in proximo adesse, conuocatos discipulos suos cælestibus instruit monitis, ac Symbolum quo fidei nostræ Sacramenta continentur recitans, repetita oratione Dominica, in illis verbis, Pater noster qui es in cęlis, spiritum emisit Angelicis cœtibus inferendum.

Eo spiritum Christo reddente Euangeliũ Christi perlegitur, & eo perlecto, quæ mortuis debentur, pie officia sepulturę pręstantur. Etenim corpus eius ablutum lymphis, atque circumdatum tristibus peplis, loculo superponunt, atque elatum à loco eius obitus, qui vocatur Fura, Leodium

dium transfertur. Cum autem prope eundem locum aduentarent, plebis multitudo, graduſque omnis Eccleſiaſticus, cum reuerendo habitu, obuiam ſanctis proceſſere exequijs, ferentes Crucis vexilla, Sanctorumque patrocinia, nec non candelabra lumine radiantia: ſed & aromata in Thymiamaterijs redolentia, pſallentes quæ moris eſt talibus officijs decantari carmina. Demum ſanctiſſima membra in Beati Petri intulêre Baſilicam, quã ipſe beatus vir ſuâ conſtruxit munificentia, Ibique facibus accenſis, peruigilem noctem ducentes, Dauidiciſque canticis operam dantes, vſque ſol iubare ſuo poli, terræque faciem perfunderet, perſeuerauêre pſallentes. Poſt hæc autem induunt eum, prout erat ſolitus indui diuino altari aſsiſtens, ſubuculâ ſcilicet lineâ, atque planetâ. Tanta autem vultui eius inerat pulchritudinis gratia, vt potior videretur, atque venuſtior mortuus, quam olim fuerat viuus. Officia, prout res poſtulat, ſuper eum peragunt, cantionemque aptam depromunt, odoramentiſque & Lampadibus, cum omni honeſtate, vt res funebria poſtulat, præeuntibus, loculo, quo ipſe prędixerat, humandus inducitur. Poſthæc autem cœperunt ſancti viri reliquiæ virtutibus florere, locuſque eius ſepulturæ crebris miraculis enitere. Nam creberrimè quidam inter diurnum nocturnumque Officium inibi peragentes, crebrò ſe confeſsi ſunt, Angelicas voces exaudiſſe de tumulo.

Locus obitualis eſt Fura, **Duerne**/ pagus inter Louanium & Bruxellas, vbi Duces inſignia habent palatià quò ſæpè diuertere cõſueuerunt. Ibi obijt Iohãnes tertius an. 1313. ſepulti Antonius 1415. Iohannes quartus conditor Academiæ Louanienſis 1427. Philippus eius frater an. 1430. egregij Brabantiæ Duces.

In

In anno obituali designando multum se torsit & variauit Baronius. In Martyrologio ponit annum 730. Tomo 9. Annalium ponit annum 754. Tomo 12. in addendis & emendandis annum 728. Sigebertus in Chronico ponit annum 735. Ego eligo & statuo annum 727. quem statuit Iohannes Roberti diligens scrutator actorum & temporũ Hubertinorum.

Quod ad diem, Molanus in Natalibus SS. scribit transijsse tertio Nonas Nouembris. Iohannes Roberti affirmat vetustos annales habere eum obijsse tertio Kal. Iunij, id est trigesimo Maij, quem diẽ pariter signat Vsuardus in Martyrologio.

DISSERTATIO CXXXVII.

De SS. VVunibaldo & Willibaldo.

In tabula mea Chronologica edita anno 1625. ad annum 728. locaui hæc verba: *Circa hoc tempus ex Britannia in Germaniam primum veniunt S. Willibaldus primus Episcopus Eistatensis & Winibaldus Fratres Walburgis quæ Antuerpiæ Fratres suos secuta egit in Basilica Castrensi vbi sandibula eius pars hodieque asseruatur. Dicti sancti traduntur S. Willibrordo, &c.* secutus quosdam quos refellit Iacobus Gretserus diligentissimus actorum & annorum S. Willibaldi & monumentorum Aistadensium scrutator in obseruationibus ad vitam Willibaldinam à Philippo Episcopo item Eystetensi conscriptam cap. 11. Sanè ego argumentum hoc amplius indagans inuenio tum omnia esse obscura, tum auctores inter sese non

non modicum diffidentes. Gretsero probabiliſſima ſententia eſt SS. Willibaldum & Wunibaldum ex Anglia egreſſos anno Domini 719. qui erat Gregorij ſecundi in Pontificatu ſextus Romamque veniſſe anno Domini 720. vel ſequenti eodem Gregorio adhuc Cathedram Petri moderante, & non niſi multo tempore poſt in Germaniam ad Bonifacium veniſſe. Huic libentius adhæreo malemque meum effatum in alia cellula eſſe collocatum aut omnino deletum.

Addidi in tabula, *Dicti SS. traduntur S. Will. operam ſuã in Friſia probaſſe.* Originaliter hoc profluxit ex perſonato Marc. toties à nobis reiecto, à quo communis narratio eſt SS. Wunibaldum & Willibaldum anno 690. cum S. Willibrordo ex Britannia in Friſiam transfretantes in Dominico Friſiorum agro ſub eodem laboraſſe. Verùm cum apertè ſentirem non potuiſſe fuiſſe conuenas S. Willibrordi, prout Diſſertat. 33. probauimus, & communem noſtratium ſenſum, ſcilicet in Friſijs laboraſſe, non facile negare præſumerem, hoc modo hîc poſui verba mea, traduntur, &c. nil certi affirmans, nec determinatum tempus definiens. Aſt vt dies diei eructat verbum, dum vitam S. Willibaldi vt eſt apud Philippum & Gretſerum articulatius rumino, non me, qui ſolum dixi, traduntur, ſed traditionem falſam reperio. Conſtat ex Philippo Wunibaldum & Willibaldum Fratres cum Patre Richardo recta ex Anglia per Anglicum mare Italiam petijſſe cap. 9. & peruenijſſe in Lucam Hetruriæ Ciuitatem cap. 10. ibidem Patrem ſepelijſſe cap. 11. Inde rectà Romam perrexiſſe cap. 13. Poſt viſitata limina Apoſtolorum Will. Ieroſolymam adijſſe Wunibaldo ægroto Romæ relicto cap. eodem. Ex Paleſtina per mare Adriaticum reuertit cap. 19. & in Caſinenſi Cœnobio quietis monaſticæ capeſſendæ

pessendæ causa se abscondit cum iam decem annos consumpsisset peregrinando. In Casino quinque (vel vt corrigit Gretserus in obseruationibus decem) annis remanet cap. 11.

Peractis ergo à discessu ex Anglia viginti, Casino Romam regreditur peruenitque anno 738. in festo Sancti Andreæ. Pontifex autem promiserat Sancto Bonifacio cum eodem anno 738. Romæ esset, se Willibaldum subsidio in Germanicam messem ablegaturum, quam primùm Romæ compareret. Quod & peractum est: nam à Gregorio 3. iussus in Germaniam ad S. Bonifacium abit, post pascha anni 39. eodemque anno (erat is felix natalis S. Willib. in vitam æternam) eidem se sociauit assistentem & cooperatorem. Anno 744. (qui est quintus post mortem S. VVillibrordi) à Bonifacio Sacerdotio initiatur Eystadij Mense Iulio, ac strenue Apostolicis munijs insistens, apud Bauaros & Thuringos ab illo creatur Episcopus circa annum 745. Quæ omnia rationibus, vetustis monumentis probat Gretserus lib. obseruationum ad vitam VVillib. & Wunibaldi. Vnde ad oculum patet nullum tempus restare quo in Frisia S. Willibrordo sese coniungere & auxiliares manus commodare potuisset Willibaldus. Proinde falsam esse traditionem potius persuasionem non nisi in falso Marcellino fundatam qua existimatur S. Willibaldus operam suam in Frisia S. Willibrordo probasse. De Wunibaldo alia videtur ineunda ratio: nam à Willibaldo Ierosolomipeta Romæ relictus toto septennio foris extra patriam mansit, quo spatio potuit S. Willibrordo tum viuenti & in Frisia laboranti per biennium aut triennium adhæsisse. Vt quid aliàs toto tempore egisset? quid alias tanto tempore Romæ hæsisset quã solùm peregrinationis causa adijt? Præterea admodũ cha-

rus legitur habitus à Gregorio Vltraiectensium Apostolo Episcopo; vnde suspicari est eum in Frisia esse versatum. Sed respondetur, nil vetare quo minus 7. an. Romæ hæserit adnumeratis itineribus quibus ex Anglia Romam & Româ in Angliam remeauit. Peregrinationis causa vrbem adijt, deuotionis causa diutius permansit, siue in Monasterio aliquo monachis sociatus, vt postmodum Willaldus in Cassino, siue sacra loca & Romæ & per totam Italiam sæpius lustrando. Secundò, quod peregrinationis ergô Italiam petijt, argumento est ad Apostolica munia non aspirasse, eis se non dedisse, de ijs minime cogitasse. Tertiò, si ad conuersionem gentium laborare optasset, in viciniori erat Germania, erat Bonifacius consanguineus sociorum & auxiliorum egens, alijque noti quibus potuisset operam suam locare. Quid opus per longa itinera in Frisiam currere vltra 30. annos à Willibrordalibusque elaboratam & operariorum non inopem?

Quin nec reliquo tempore quo iteratò ex Britannia Romam versus soluit, apud Willibaldum in Frisia egisse clarum est ex eius actis apud Surium, Gretzerum alioque Wunibaldi descriptores.

Neutiquã etiã obstat quod Gregorio amicus fuerit. Amicitia illa in Germania contracta est, non in Frisia. Gregorius namque puer 14. aut 15. annorum ex Treuiris secutus S. Bonifacium in interiorem Germaniam circa ann. 717. post aliquot ann. institutionem, docendis rudibus, formandis conuersis Bonifacio adiutor fit, Apostolorum munus deinceps simul implentes vsque ad alterius (Bonifacij) martyrium peractum anno 755. annis 16. post obitum Willibror. Simul manebant, simul laborabant. Serarius lib. Mogunt. notat. 12. nullum igitur est argumentum, si interea Gregorius & Wunibaldus ibidem conuersans

uersans in Germania apud Bonifacium amicitiam inierint, vt dicamus in Frisia versatum, S. Willib. adiuuam se præbuisse. Ac esto fuerit in Frisia sedente Gregorio Wunibaldus, contigit hoc diu post mortuum Willibrordum. Quare sicut de Wilibaldo ita de Wunibaldo falsa sunt effata, potius narratiunculæ, eum S. Willibrordo in Frisia operam suam probasse.

DISSERTATIO CXXXVIII.

De obitu S. Egberti Archimandritæ. Annus obitualis examinatur.

SAnctissimus Archimandrita Egbertus salutis Frisiorum & circum vicinorum Barbarorum non frigidus Zelator, quamquam eos in propria persona conuenire nequiret cælestibus oraculis domi detentus, Apostolicum tamen munus minimè sepositit, tum emittendo S. Willibrordum cum iusta auxiliarium manu ad eosdem: tum ipsemet varias Hiberniæ Scotiæ plagas peragrando, coinsulanos suos verbis instraendo, exempla præbendo, monasteria erigendo, formando.

Tandem ad cęleste brauium à supremo Agonotheta euocatus deposita mortali veste animam præclaris laborum meritis adornatam incorruptibili serto coronandam Deo tradidit.

Fæliciſſimum eius transitum describit Venerabilis Beda lib. 5. histor. cap. 23. *Mansit vir Domini Egbertus annos 13. in præfata Insula Hui, quam ipse velut noua quadam relucen-*

te gratia Ecclesiastica societatis & pacis Christo consecrauerat anno q. Incarnationis Dominicæ 729. quo Pascha Dominicum 8. Kalendarum maiarum die celebrabatur, cum Missarum solemnia in memoriam Dominicæ eiusdem Resurrectionis celebrasset, eodem die & ipse migrauit ad Dominum ac gaudium summæ festiuitatis, quod cum fratribus quos ad vnitatis gratiam conuerterat inchoauit, cum Domino & Apostolis cæterisq; cæli ciuibus complcuit: Imo idipsum celebrare sine fine non desinit. Mira autē Dominica dispensatio prouisionis erat quod Venerabilis vir non solum in Pascha transiuit de hoc mundo ad Patrem, verum etiamcum eo die Pascha celebraretur quo numquam prius in illis locis celebrari solebat. Gaudebant autem fratres de cognitione certa & Catholica temporis Paschalis: lætabantur de patrocinio pergentis ad Dominum patris per quem fuerunt correcti. Sicq; certus de illorum correctione Reuerendissimus Pater exultauit vt videret diem Domini, vidit & gauisus est. Quorum aliqua dissertatione 13. sunt producta ad probandum non fuisse Episcopum, nunc aliqua repetimus ad exitum cohonestandum.

N. hoc capite in editione qua vtimur bis ab impressoribus esse peccatum. Primo illis verbis, *Si quidem anno ab incarnatione Domini Septingentesimo sexto, decimo quo Osredo occiso Coenredus gubernacula regni Nordanhumbrorum suscepit &c.* quasi anno Septingentesimo sexto in insulam aduenisset Egbertus & ille annus 706. esset decimus quo Osredo occiso Coenredus regnare cœpisset. Vtrumque falsissimum conuincitur. Primum ex eodem capite vbi infra refertur Egbertum per 13. annos vsq; ad obitum nimirum, in insula Huij permansisse. Si 706. eò venisset, non 13. pro vt textus habet, sed per 29. annos eam incoluisset. Præterea eum per 29. annos Huij non permansisse patet etiam ex eius actis apud Bedam. Similiter falsum est annum Domini 706. esse decimū quo Coenredus occiso Osredo regnum

cœpit,

cœpit. Siquidem anno 706 secundum dumtaxat annum regnauit Ofredus qui demum interfectus est anno 716. succedente eodem anno Coenredo; quod videre est ex historijs Bedæ & alijs Anglicanis & clarissimè oculis exhibet Tabula Fastorum Regum atque Episcoporum Angliæ impressa ad historiam Malmesburiensis, Huntondoniensis, Rogeri &c. Alterum peccatum est, obijsse *Egbertum anno incarnationis Dominicæ* 728., *quo Paschа Dominicum Octauo Kalendarum Maiarum die celebrabatur*; quod in primis difforme est ipsi textui: si enim, quod verum est, anno 716. in insulam deuenerit Egbertus & 13. annis manserit, non annus 728. sed 729 eius mortem excepit.

Secundò. apud eundem Bedam lib. 3. capite 27. lib. 5. cap. vltimo & in epitome expressim legitur defunctus anno 29. quæ loca obseruasse defuit Baronio dum vitiosũ cap. 27. secutus ait obijsse anno 28.

Tertiò, annum 28. non consistere cum morte Egberti planissimè docet Cyclus Lunaris eius anni, scilicet 7. cum littera Dominicali posteriori (erat namque bissextilis) C. quibus incidentibus legittimum Pascha, quale Egbertus introduxit, celebratum fuit & celebrari debuit 4. Aprilis, non 8. Kalendarum Maiarum id est 24. Aprilis. Verissime verò celebratum fuit Pascha 8. Kalendarum Maiarum anno 29. existente tum Cyclo 8. cum litera Dominicali B. quibus concurrentibus celebrari debuit & celebratum fuit 8. Kalendarum Maiarum id est 24. Aprilis, qua die Egberti decessum etiam recolunt Ecclesia, Kalendaria noua & vetera, Martyrologium Baronij, Molanus in additionibus ad Vsuardum, in Natalibus SS. in Kalendario SS. Belgij impresso ad Vsuard. Suffridus Petri apud Antonium Possevinum in Apparatu sacro verbo Egbert. Egbertum obijsse anno 729. tenent etiam Hermannus Contractus

ctus in Chronico. Gretserus lib. primo obserua. in vitam SS. Willibaldi & Wunibaldi cap. 9.

Hinc cauendus crassissimus error nescio qua oscitantia natus in Indiculo SS. Belgij Molani, vbi V. Egbertus legitur: *Migrauit (Egbertus) anno Domini Septingentesimo Vigesimo nono ipso die Paschæ, sexto Iduum Maiarum.* Cum nec anno 729. nec vnquam Pascha Canonicum fuerit habitum 7. Iduum Maiarum. Similis oscitantia reperitur in Herma. Contracto.

Hinc emendandus Serarius in notis ad epistolam Bonifacij, emendandus Sigebertus in Chronico, quorum ille annum 27. hic annum 30. statuit obitualem Sancti Egberti; nam anno 30. litera Dominicali A. & Cijclo decennouali 9. Pascha incidit in nonam Aprilis, non in vigesimam quartam.

Reliquit Sanctus Egbertus posteris ingenij sui monumentum, Tractatum Cærimon. Ecclesiæ teste Suffrido apud Anto. Possevinũ in Apparatu sacro V. Egbertus. Addit Arnoldus Wion Conciones varias. Ornauit Sanctitas doctrinam & doctrina Sanctitatem:

Ornatum gemma splendescit sic magis aurum,
Sic magis in auro gemma reposta micat.

MEritò illi festiuos honores dedices O Frisia eius auspicijs salutem consecuta quam procurauit Sanctum Willibrordum Socioque amandando, & laborante Willibrordo quin eam consilijs, nouorum militum suffectione, precibus, apud Deum promouerit, ne ambigas.

Dissert.

De Saracenis hoc tempore Gallias dirè infestantibus.

Eodem anno vigesimo nono & aliquot sequentibus Saracenorum rabies Pyrenęis montibus erumpens Gallias acerrimè infestauit, non obstante quod à tribus vel quatuor annis ingenti suorum strage per Carolum Martellum essent fusi & in latibula Hispaniæ fugati. Animum illis addidit ipsorummet Francorum Caroli æmulorum inuitatio & fauor. Numerosa manu, summo impetu, vehementi furore 1°. Galliam Narbonensem inuadunt, inde in reliquas Galliarum prouincias processuri. Quas strages in miseros Christianos, in sacra templa, direptiones, incendia, & Sacrilegia, in Sacerdotes cędes, in Sacratas Deo Virgines stupra nefariè perpetrarint, nemo puto mortalium scriptione, locutioneue digne satis expresserit. Legantur Aimonius qui varios conflictus Caroli contra illos fusè describit: Sigebertus: Annales Pythæani: Rob. Gaguinus in historia Francorum. Scriekius in Originibus Celticis.

Inundantia mala eor Sanctorum virorum Willibrordi Bonifacij &c. pupugisse & ad deprecatorias cælo ablegandas permouisse, haud dubium. Præcinuisse hæc in cęlestibus fixa oramata auctor est Beda lib. 5. hist. cap. vltimo, Anno inquiens Dominicæ incarnationis 729. apparuisse cometas duos circa solem multum intuentibus terrorem incutientes. Vnus quippe solem prȩcedebat mane orientem,

tem, alter Vespere sequebatur solem occidentem, quasi Orienti simul & Occidenti dirę cladis præsagi: vel certe vnus diei, alter noctis prȩcurrebat exortum, vt vtroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem facem ignis contra Aquilonem, quasi ad accendendum accliuem, apparebantque mense Ianuario & duabus fermè Septimanis permanebant. Quo tempore grauissima Saracenorum lues Gallias misera cæde vastabat.

Nihilominus Carolus animo minime deiectus, sed contra altius erectus, aduocatis diuinis ac humanis auxilijs, nunc ancipiti, pluries 2ª. fortuna hostes superauit, donec tandem diuinæ curâ prouidentiæ Gallias misericorditer respiciẽte, plena potitus victoria in Hispanica Claustra Galliam numquam repetituros fugere compulit. Habes hæc summatim per annos digesta apud Sigebertum.

Lucratæ sunt hos triumphos SS. Virorum, quibus ditiones Karolo subiectę fulgebant, deprecationes; & ipsa Caroli egregia in viris Apostolicis fouendis, monasterijs erigendis, dotandis, defendendis, pietas, à duobus Pontificibus Gregorio secundo & tertio laudata: & quod in Principe magni est, obseruantia erga sedem Apostolicam, qua non minus quam prædecessores Pipini, quam Successores Pipinus Rex, Carolus Magnus, Ludouicus Rex, enituit. Horum Principum studium erga Petri Cathedrã, quam in terris fundauit, sibi gratissimum esse Deus multis fauoribus testimonium dedit, præter multiplices victorias eorum Dominia latissime propagando, alienorum &, abalienatorum minuendo. Quo tempore Hispania à veneratione Apostolicæ sedis desciscens Saracenorum duro

& ignominioso iugo deuicta premitur, eodem Gallia, Germania, & Austrasia eiusdem studiosissimæ ab irruptionibus eorundem aliorumque Barbarorum gloriosè liberantur. Lege hic Baronium to. 8. ad annum 713. Videmus eodem tempore magno fragore maxima ex parte esse collapsum imperium Orientis dum Heraclius desciuit ob hæresim à communicatione Apostolicæ sedis. Id ipsum eâdem ex causâ Africam esse passam, idem superius demonstrat Baronius. Tanti Deus facit cultum Apostolicę Cathedræ. Eius tenacissimus fuit S. Willibrordus eiusque discipuli: eum haud dubie principibus Pipinis, Carolis, à quibus libenter audiebantur, instillarunt, confirmarunt & auxerunt. ipse Christus sub Romana Monarchia ac professione nasci voluit, vt in ipso statim ortu Romanæ Ecclesiæ fidem ac professionem extolleret; Christianosque omnes Romano Pontifici obedientiam profiteri debere demonstraret. Vide Orosi, lib. 6. cap. vl. de vero Christiano.

Dissertatio CXL.

De more velandarum Virginum. Harlindis & Relindis cum alijs à S. Willibrordo velatæ. Miraculum in Vase Vacuo Vino prestanti repleto.

Solemnis olim mos viguit in primitiua Ecclesia vt virgines & viduæ soli Deo nubere proponentes, se Episcopi magisterio subderent, ab eoque accepto sacrato velo vel in domibus parentum & amicorum, vel in monasterijs sese totas Deo in hostiam viuam, beneplacentem offerrent & consecrarent. Vide Ambrosium in responsione ad Symmachum. Hieronymum Epistola 8. ad Demet : Augustinum Epistola 179. Optatum Mileuitanum lib. 2. & lib. 6. con. Parmen. Baronium ad annum 57. & 109. Mileuitanus causam imponendi veli (Mitra illi vocatur) addit, vt signum & indicium esset professionis, contra raptores, aut petitores inuentum, ne rem iam Deo deuotam qui sponsabat perseueraret petere ; aut ne raptor auderet violare.

Perseuerauit laudabilissimus ritus vsque in tempora S. Willibrordi, quinimo septimo & octauo sæculo quasi reuiuiscens plurimum efloruit. quod docent tum exempla Aldegundis, Waldetrudis quæ velum susceperunt à S. Autberto : Austrebertæ à S. Audomaro : Andregisilæ à S. Audoeno : Bertæ, Gertrudis & Deotilæ filiarum eius: Ittæ cum filia Gertrude ; Rictrudis cum tribus filiabus à S. Amando : Landradæ à S. Lamberto : tum renouatio antiquorum decretorum eo super & pœnæ in abusus statutę

per

per Papam Zachariam anno 744. apud Baronium vbi pontifex ex lib. Decretorum Innocentij decernit: Quæ Christo Spiritualiter nubunt, & à Sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam nisi is cui se adiunxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur quæcumque viuente viro alteri nupserit habeatur adultera, nec eis agendi pœnitentiam licentia cõcedatur, nisi vnus ex his fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat, & postea humanas ad nuptias transmigrauit.

Idem de non velatis Virginibus, si deuiauerint, in eodem libro vigesimo capite continetur: Hæ vero quæ nec dum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsione eiusmodi tenebantur. Vides quam creber vsus velationum Virginalium.

Præstitit pium illud officium S. Willibrordus Harlindi & Relindi Virginibus ortis ex pijssimis parentibus Alardo & Grinuara ramis sanctis ex radice sancta, qui tum ad propriam deuotionem, tum ad promouendam filiarum, Sacram Parthenonem in proprio peculio exędificarunt circa annum 730. procul dubio non sine directione, consilio, instructione S. Willibrordi quo in rebus animæ libentius vtebantur. Consummato Cœnobio & 12. alijs in odorem sponsi accurrentibus præficitur prima Abbatissa Harlindis operta prius cum sorore, sodalibusque benedicto velo per Sanctum Willibrordum ac deinceps multæ

eiusdē suauitate odoris allectę ibidē Deo mācipantur. Legitur Sanctus Willibrordus cum Bonifacio discipulo tum Episcopo & Germaniæ Apostolo Cœnobium istud sæpius visitasse, tum ad priuatam secessionem à negotiorum tumultibus, tum ad nouas Virgines velandas, ad easdem sacris exhortationibus pascendas ac in suscepto proposito corroborandas. Contigit dum quodam die aduenissent ambo Antistites Harlinde & Relinde in eorum aduentu plurimum lętantibus, tristi tamē solicitudine anxijs propter defectum sufficientis vini in vase, adeo ad eorum præsentiam multiplicari subitò vinum vt efflueret, nimirum qui dat escam omni carni, qui dat iumentis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus eum, cultoribus suis alimenta etiam corporalia submministrat, non solum ad necessitatem, sed etiam ad honestatem & decoram exhilarationem. Antonio Paulum eremitam visitante coruus qui ante semper dimidiatum panem attulerat, integrum detulit. Post corui discessum, eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors. Sexaginta iam anni sunt, cum accipio quotidie dimidij panis fragmentum, nunc ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. In Cana Galileæ hospitis vino exhausto nuptialibus conuiuijs ex aqua Hydrijs infusa vinum liberalissime Christus produxit. Idipsum & aliàs operatus est per famulum suum S. Willibrordum, vt Treuiris vasa vacua immisso baculo replentem. Præstantissimum illud vinum fuisse æquum est cogitare, iuxta illud Chrysostomi : *Fecit aquam vinum, nec simpliciter vinum, sed vinum optimum. Eiusmodi sunt Christi miracula, vt quæ natura perfecta sunt, longè pulchriora melioraque reddantur. Ita & alijs distortum membrum quam sana validius reddebat, &c.* Sic loquuntur & alij P. P.

Harlindis

Harlindis post plurima virtutum religiosa facta, post multas adolescentulas. 1. animas fide & castitate vigentes Christo tamquam arrham siue pignora traditas, lucernis ardentibus, lampade oleo grauida sponso it in occursum à quo in cœlestem thronum admissa accipit coronam quam ei Deus præparauit ab æterno, 12. Octobris.

In regimine sufficitur Relindis nec solicitudine nec virtutibus inferior, quæ etiam tandem plena dierum & meritorum à supremo prȩmiatore euocatur cum magistro Willibrordo, cum sorore, sinefine regnatura 6. Februarij. Vtriusque annus emortualis est incertus : ambas S. Willibrordo superuixisse mihi probabilissimum.

Ad lipsana in proprio Cœnobio condita Deus mira operari voluit, inter quȩ Eliuuigȩ cuidã lumine orbatȩ visus restitutus. eleuauit ea Franco Episcopus Leodiensis anno 855. seruantur modo in Ecclesia oppidi Masciacani quo Harlindina plantatio prius in Collegium Canonicorum sæcularium commutata anno 1571. est translata. Feruntur ibi inueniri pluria pretiosa ornamẽta arte & manu Har. & Rel. contexta. Nec non casula in qua S. Bonifacium (cur non & S. Willibrordum eiusq; comites?) missæ sacrificium peregisse, habet traditio.

Dissertatio CXLI.

De alia discipula Sancti Willibrordi Amelberga.

Præcinuit Dauid de Christo eiusque Ecclesia; *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.*

Factum est id primo per Apostolos, deinde per successores. Factum modo per S. Willibrordum æterni Regis ministrum. Adduxit Harlindem, Relindem, non duas tantum, sed quotquot eis fuerunt consociatæ. Adduxit S. Amelbergam tamquam Reginam in vestitu deaurato circumamictam varietate. Nascitur ea Christianissimis parentibus in tractu Ardennensi. Breui vtroque orbata parente iussu, consilio & instructione S Willibrodi destinatur ad S. Landradam Belisiensis monasterij Abbatissam cunctis virtutum monilibus cælesti sponso adornanda. Incumbit in eius cultum impense Landrada: illa nil segnius damnato omni otio noctes dieſque addiscere, Orationibus, virtutum exercitijs instare, corpus, animumque arcta custodia compescere, soli Christo reseruare. Post transactos iuueniles non inueniliter annos sacra mitella (velo) à S. Willibrordo accepta, Temsecam peculium suum (est hodie insignis & celebris Pagus ad oram Scaldis sub Comitatu Flandrię) se conferens, Ecclesiam Deiparæ extruxit, secus quam constituta sibi cellula Deo vsque ad extremos ætatis

tis annos indefinenter deseruiuit, interea instructione, consilio, exhortatione S. Willibrordi vsa. Adeo casti propositi tenax vt Carolus Martellus potentissimus & glorioſissimus Princeps eam in matrimonium nequidquã requirens vi abripere conatus brachium reluctanti cõfregerit, prout memorant Historiæ.

De hac Amelberga confirmat & hæc addit Antonius Sanderus in suo Hagiologio Flandriæ:

Belisiæ à S. Landrada Pijs moribus institutam fuisse tradunt, diu vixit ac demum anno 772. obijt in sui iuris villa Tamisiaseu Temseca ad Scaldim in diœcesi Gandensi & agro Wasiano, vbi hodieq; tumulus eius ostenditur. Corpus virgineum Balduinus ferreus Flandriæ Comes anno 890. ad Blandiniense monasterium transtulit. Venit autem, inquit Molanus, consilio S Willibrordi Belisiam, vtiistic à D. Landrada quæ monasterio istic præerat, in pietate formaretur. Brachij eius os confregisse putatur Carolus Martellus Princeps, vt eam sibi caperet sponsam quam etiam plane cœpisset vxorem, nisi pudicitia virginalis de eo triumphans penitus obstitisset. Migrauit ad Dominum anno 772. aut circiter. Scribit Massæus ciues Gandauenses (tantæ ipsis olim veneration & merito fuit) vna cum Wilhelmo Episcopo Tornacensi diem festum sibi instituisse anno 1331. In monte Blandinio autem frequentior eius fuit memoria, vnde in Martyrologio legitur: Sexto Kal. Nouembris in Blandinio Aduentus Corporis Sanctissimæ Virginis Christi Amelbergæ: Decimo tertio Kal. Iunij: In Blandinio monasterio translatio Corporis Sanctissimæ Virginis Amelbergæ. In picturis pedem vt Abbatissa, quandoq; etiam palmam ceu virgo, gestat; sub pedibus piscem habet vulgo sturionem dictum quem alij accipenserem vocant. His enim piscibus nauem comitantibus, fertur corpus eius diuino nutu, aduerso flumine vectum esse. vitam eius Scripsit Radbodus Vltraiectinus Episcopus numero XIV. ex regia Frisiorum ac Francorum stirpe, vir Spiritu prophetico clarus. Scripsit & eandem Theodoricus

Abbas

Abbas ad S. Trudonem Ord. Benedicti in diœcesi Leodiensi ex monacho Blandiniensi, vtrectè notauit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgarum. Hæc Sanderus.

Scripsisse vitam S. Amelbergæ Radbodum Episcopum testatur & Heda in Radbodo Vltr. Episcopo 14. inquiens: *Scripsit autem (Radbodus) nonnulla præclara opuscula, de quibus ista feruntur: Laudes S. Martini lib. 3. laudes S. Bonif. Episcopi lib. 1. De S. Amelberga lib. 1. Homiliarium & Sermonum lib.* Nec puto ex alio motiuo id præstitisse Radbodum quã quod S. Willib. discipula fuerit & ad S. Willib. gloriam pertineret.

Si quæras, quo anno quoue tempore S. Amelberga directa sit Belisiam ad S. Landradam à S. Willibrordo, Resp. Hoc debuisse accidisse antè annum 696. quo alij, siue antè annum 698. quo alij S. Lambertum Martyrisatum asserunt; nam ante S. Lambertum terras deseruisse & per eundem sepulturæ traditam fuisse, affirmant omnes historiæ Landradinæ.

Ac vt quid propinquius calculemus, iuxta Molanum Landrada obijt annum circiter 792. Quo posito, Amelberga missa est ad eam à S. Willibrordo in primo ipsius ingressu in Austrasiam, dum vel Romam pergens vel Romã rediens apud Pipinum Austrasię Principẽ de negotijs ad Frisiorum conuersionem pertinentibus tractaret.

Dissert

De S. Ingelmundo Kenemariorum Apostolo. De Beato Adulpho.

INter Apostolicos Frisiæ viros numeratur S. Ingelmundus quem commemorat Chronicon Hollandiç diuisione 3. cap. 11. Hic Anglus de stirpe Frisonica cum esset Presbyter & Abbas, temporibus B. Willibrordi diuino instinctu venit ad fines Hollandiæ, vbi ferocibus & indomitis Kenemarijs verbum salutis prædicauit. Quo anno aduenerit, omnino est incompertum. cum autem ante ipsum Kenemarijs Euangelizauerit S. Adelbertus missus eo post primam Synodum Traiectensem peractam, & non legatur aut aliquis Ingelmundus adfuisse, posset colligi non improbabiliter eum post mortem Adelberti aduenisse, atque ei in Apostolatum Kenemariorum quodammodo successisse. Scribitur etiam Euangelium annuntiasse Frisiabonibus, quos aliqui Waterlandios interpretantur. Certe secundum Plinium populi sunt inter Helium & Fleuũ Rheni ostia. Quot annis in Frisia prædicauerit, etiam latet. Inter miracula, quæ viuus patrauit, eminet quod siccitate laborantibus Frisijs, in colle alto arenoso aquam suis precibus eduxerit. Quo mortis genere obierit, variatur. Chronicon vulgatum Hollandiæ refert illum affectum Martyrio à Rege Radbodo, verùm, vt ait rectè Molanus, Chronicon illud hunc Ingelmundum Confessorem cum Wicberto Martyre in Fostilandia ab eodem Rege occiso confundit. Vnde verius ex historia Velsana

asserit post multos labores febri correptum animam creatori reddidisse & honorificam sepulturam accepisse in vico Velsen, qui vicus non longè distat ab Harlemo. Corpus eius multis annis in sepulchro incognitum quieuit donec Baldricus Antistes Vltraiectensis diuina reuelatione admonitus illud inueniens & eleuans publico honore donauit. Numeratur is Baldricus 15. Episcopus Vltraiectensis cui Deus singularem gratiam inueniendi corpora Sanctorum impertiuit: nam teste Heda diuina etiam reuelatione inuenit corpora SS. Lebuini, Werenfridi, Plechelmi, Wironis, Otgeri, Odulphi & Radbodi, quibus Ecclesiam suam adornauit. sub eo etiam reuelatum est corpus diui Ieronis Presbyteri & Martyris in vico Nortwico Hollandiæ. Rexit per annos 56. quibus tam vrbem, quam Ecclesiam Traiectensem mirifice instaurauit & ampliauit. Nonagenarius cœlos petijt anno 977. Furente Hagiomachia per Hollandiam reliquiæ S. Ingelmundi à Gueſijs per pauimentum templi sunt dispersæ, sed à custode collectæ & in tuto loco conseruatę, tandem in vicinum oppidum Harlemum sunt transportatę.

De Adulpho.

Sanctus Willibrordus in latissima Frisiæ Diœcesi Coepiscopis & alijs cooperatoribus præsertim in senectute vsus est. Hisce an Adulphus frater S. Botulphi Abbatis in Anglia sit adnumerandus, meritò dubitatur. Molanus 17. Iunij postquam amborum acta descripsisset, subdit: *Quamuis in catalogo Traiectensium Episcoporum*

Episcoporum non legatur, verisimile tamen est eum sub S. Willibrordo claruisse inter Traiectenses Coepiscopos aut paulo ante à Rege aliquo Francorum Traiectensibus destinatum fuisse Episcopum. Mihi verisimilius est eum S. Willibrordi Coepiscopum non fuisse donatum, primò, quod floruerit cum fratre anno 650. prout ex Anglicanis centurijs refert etiam ibidem Molanus & conforme est N. Harpsfeldio qui cap.24. eum cum fratre Botulpho reponit sæculo septimo in cuius fine S. Willibrordus Episcopus creatus Coepiscopum non habuit nisi S. Swibertum. Secundò, quod nulla mentio eius fiat apud Becanum, Hedam aliosque Frisię, imo Belgij antiquiores Scriptores. Tertiò, quod numquam legatur egisse in Frisia, sed inter antiquos Saxones qui sunt Westphali, vel in Gallia Belgica. Vnde magis libet suspicari Regem aliquem Francorum eum donasse Episcopatu Traiecti ad Mosam. Quod autem in Catalogo Traiectensium ad Mosam Episcoporum (sicut nec in Catalogo Episcoporum Traiect. ad Rhenum) non legatur, fieri potuit vel quod Coepiscopum ibi paruo tempore egerit, aut quod donatione Regis recusatâ in Angliam ex qua venerat redierit, vbi post peractam in magna sanctitate vitam supremum diem nactus est. Certiora ideo possent nobis depromere Angli qui particulatim Botulphi & Adulphi fratrum vitas descripserunt, inter quos numerat Harpsfeldius Fulchardum Monachum Cœnobij Thunrensis vbi pars reliquiarum ipsorum quieuit. Lege N. Harpsfeldium sæculo 7. cap.24 & Molanum loco citato. Vide etiam quę disseruimus præludio 2.

Dissertatio CXLIII

De obitu Venerabilis Bedæ S. Willibrordi Coætanei & Encomiastæ.

Sub annum 735. incidit emortualis dies V. Bedæ viri & eruditione & sanctimonia percelebris. Scio circa illam diuersissimas regnare opiniones, quam vnam Sigeberti de anno 731. aliàs recensuimus & refutauimus. Marianus Scotus eius transitum signat anno 729. sed ex ipso Beda redarguitur, qui annales suos vsque in annum 731. deduxit. Ex quo multo magis redarguuntur, qui mortuum ponunt anno 700. Trithemius, inquit Baronius, affirmat excessisse ex hac vita anno 33. rursus alij 34. supra 700. vt inconstans omnium reperiatur esse sententia, sicut & asserentium eiusdem Bedæ annos ætatis, alijs dicentibus annos vixisse 60. cui numero vnum addunt alij, alij vero plures: siquidem Trithemius tribuit ætati ipsius annos 72. Ipse Baronius fultus Epistola Bedæ de æquinoctio, eius vitam producit vsque in annum 776. Nonnulli asserunt obijsse anno 742. in festo Ascensionis inchoato à primis vesperis citantes epistolam discipuli Bedani apud Baronium ad annum 731. verùm oportuisset illos etiam aduertere, Baronium in dictam epistolam annotare mendum irrepsisse, scilicet VII. Idus Maij. Vnde etiam interpretantur illi festum Ascensionis pro profesto?

Vt in tanta iudiciorum varietate aliquid conferam, mihi certa stat animo sententia vltra annum 734. aut 735. non vixisse adeoque obijsse anno 734. aut, quod mihi verosimilius

rosimilius, anno 735. Mouent 1. nobiles Scriptores Angli, qui monumenta Anglicana vtpote domestici exactè discusserunt: quorum vnus Malmesburiensis lib. 1. de gestis Regum Angliæ cap. 3. ait: *Cuius (* Celuulphi Regis Northumbrorum *) anno 4 Historicus Beda post multos in S. Ecclesia libros elaboratos cælestem patriam, quam diu suspirauerat, ingressus est anno Dominicæ Incarnationis* 734. *ætatis suæ* 59.

Rogerus de Houeden annalium parte priori ait: *anno* 735 *Beda Doctor obijt in Giruum.*

Ethelwerdus Chronici lib 2. cap. 14. ad annum 734. *In ipso anno quippe obscuratum est solis iubar, post ij. decursum vnius anni facta est luna veluti sanguinolenta intincta guttis, & in ipso præsignio Tarquine & Bedæ migrauerunt.*

Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuariensis, qui historiam suam Anglicanam Ecclesiasticam, ex diuersissimis, tam recentioribus quam veteribus concinnauit, historiæ Anglicanæ sęculo octauo cap. 25 tenet, eum in cælestia regna spiritum transmisisse ad annum salutis nostræ 735. Appendix ad historiam Bedæ diserte habet obijsse anno 735. Si longiorem vel longam illam Baronij gratem vixisset, non dubitandum quin ex archiuis, aut traditione percepissent.

Ita & alij prolixam illam vitam illi negant. Lambertus Scafnaburgensis lib. de rebus Germaniæ obijsse 736. Hermannus Scedel in Chronico 734. Vincentius in speculo historiali obijsse anno 4. Celuulphi Regis Northumbrorum, scilicet 734. Christophorus Heluicus in theatro historico ait obijsse 735. citatque Centuriatores. Georgius Garnefelt Carthusianus in Sanctorum temporibus explorandis quã plurimum exercitatus & versatus, in epistola quadam ad me data scribit post multam inuestigationẽ se certo habere mortuum esse Bedam anno 735. Certe si

si aliquot supra annum 735. addidisset, videtur suos annales vlterius fuisse producturus Beda.

Præter hæc contra annosam eius vitam militant Epistolæ S. Bonifacij ad varios Angliæ amicos; inter quos est illa apud Baronium supra & Serarium ad Cuthbertum Abbatem, in qua hæc verba: *Interea rogamus vt aliqua de opusculis sagacissimi inuestigatoris Scripturarum Bedam Monachi, quem nuper in domo Dei apud vos vice candelæ Ecclesiæ scientia scripturarum fulsisse audiuimus, conscripta nobis transmittere dig nemini.* Ex quibus omnino datur intelligi Bedam scribente Bonifacio vitâ desijsse; & plane illud importat.: *Quem nuper in domo Dei &c.* quomodo de mortuis solemus loqui.

Hic N. obiter, Cuthbertum ad quē recitata epistola, nō esse illum S. Cuthbertum ex Abbate Episcopum Lindisfarnensem de quo Beda lib. 4. Hist. Anglicanæ per sex vltima capita: ille enim ad cælestia migrauit circa annum 686. neque illum Cuthbertum Abbatem postea Archiepiscopum Cantuariensem de quo Malmesburiensis, sed alium quendam de quo honorificam mentionem facit Harpsfeldius supra: *Cuius*, inquiens, *labori & industriæ aliquo modo multa præclara Bedæ monumenta debemus quæ ille præceptore dictante, cum ipse alioquin ad scribendum propter incommodam & affectam valetudinem dolorumq; magnitudinem impar erat, citato calamo excepit, tanta & ipse doctrina vt Beda mortuo Doctoris locum apud suos subiret, qui non solum Bedæ opera industriè collegit & concinne digessit, sed vitam illius indiuiduus illi vsque ad mortem comes præclare & summa fide delineauit.* Claruit vero anno 740. teste Molano in annotationibus ad Vsuardum 26. Maij.

Denique cum numerosæ extent epistolæ Bonifacij ad diuersos & quidem diuersis temporibus in Anglia, nulla vero

vero ad Bedam sit, quem tota tamen Anglia imo totus orbis suspiciebat. Inter eas etiam variç consultatoriæ ad varios, nulla vero interrogatoria ac consultatoria Bedæ sit missa, quem tamen omnis Britannia, imo omnis Ecclesia supremum Doctorem venerabatur, argumento mihi est diu ante Martyrium Bonifacij terras deseruisse adeoque omnes esse scriptas post annum 735. Prævaleat itaque sententia iuxta sæpe dictos Authores, scilicet, obijsse Bedam anno Christi 735. Nec puto dissentire eos qui annum 734. statuunt, nam secundum diuersum ritum inchoandi & finiendi annos qui alijs. 34. alijs est 35. Nec Authores semper determinatum annum accipiunt, sed intelligunt circiter id est circa 34. quod consistit cum anno 35.

Conformiter asserimus obijsse 7. Kalendas Iunij id est 26. Maij in die Ascensionis Dominicæ. ita Molanus supra, Harpsfeldius supra, Trithemius, Appendix ad Martyrologium Adonis, Possevinus in apparatu alijque plures. Et hoc pacto optimè componuntur rationes. Ex tabulis namque Astronomicis liquet anno 735. littera Dominicali B. Cyclo lunari 14. Pascha incidisse in 17. Aprilis, consequenter Ascensionem Domini in 26. Maij, Pentecosten in 5. Iunij. Hinc examinandi & probandi qui alijs atque alijs diebus & annis emigrasse Bedam autumant.

Satis hæc sint in gratiam Bedç S. Willibrordi conterranei, coætanei, laudatoris & amici.

DISSERT-

Dissertatio CXLIV.

De S. Wihone Frisio S. Willibrordi in Collegio Traiectensi Discipulo ac primo Episcopo Osnaburgensi.

Vidimus dissertatione 96. de sacro Collegio Vltraiectino sub directione S. Willibrordi viguisse Gymnasia in quibus Iuuenes ad Ecclesiam & Rempublicam aptabantur & non solum prouectioris, verum etiam tenerioris ætatis ad pietatem & doctrinam formabantur. Inter hos hoc tempore viuente & regente S. Willibrordo numeratur S. Wiho natione Frisius, ac vt sentit Bernatdus Furmerius, patria Leowardiensis. Hic instar Samuelis Willibrordo puer oblatus sub eo Religionis & Doctrinæ rudimenta iecit, qui succedentibus annis in virum perfectum euadens talentum sibi à Deo concessum saluti hominum feruenter impendit, vt tandem à Carolo Magno Osnaburgensi Ecclesiç primus Episcopus sit impositus. Qua de re ita Kranzius in Metropoli Saxoniæ lib. 1. cap. 2. *Annus erat à mundi salute* 780. *cum Rex Carolus magna expeditione facta in Saxoniam, congressus est Wedekindo iam vires totius regni in arma ducente, ibique dum acriter pugnatum diu esset, cessit fugiens Wedekindus. Carolus autem qui prælio supererant Saxones ea lege seruauit, vt Christi fidem cum Religione susciperent. Igitur in loco Osnaburga habitatoribus satis frequente, cum vicinam Wedekindi arcem iam captam impositio firmasset præsidio, Ecclesiam exadificauit primam*

in

in prouincia Episcopalem, eique virum sanctum præfecit Wihonem, primum eius loci Pontificem, hominem gente & origine Phrisium, quod in ea gente per Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum ibi Martyrem, iam multi Christo credidissent. Cui de Prouinciæ prouentibus assignauit vnde cum suo Clero viueret, ad confirmandos recens baptizatos in suscepta Christi religione. Egit vir sensatus pro zelo sacræ Religionis, satis verbo insistens & opere, vt creditas animas & seruaret & multiplicaret.

Carolus Magnus numquam satis laudatus Imperator, cui magnam mentem animumque diuinum inspirauit Numen, cuique vicissim præcipuus belli finis erat, Christiani nominis propagatio, postquam Saxoniam subiugasset, in ea plurimas excitauit Ecclesias, inter quas Episcopales non paucas: vt Osnaburgensem, Monasteriensem, Mindensem, Paderbornensem, Halberstadiensem, Verdensem, Hamburgensem, Hildesheymensem. Diploma institutionis Episcopalis Osnaburgensis legitur apud Krantzium supra & Miræum Codice primo piarum donationum cap. 12. cuius aliquod fragmentum damus:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Carolus Imperator Augustus, Romanorum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum, nec non Domitor & Saxonum. Notum sit omnibus Sanctæ Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris,

quod nos ob nostræ mercedis augmentum, VVihoni Episcopo Osnaburgensi & suæ Ecclesiæ, quam nos primam in omni Saxonia in honore S. Petri Principis Apostolorum & SS. Martyrum Crispini & Crispiniani cõstruximus, donamus quoddã nemus vel forestum inter hæc loca situm, Farnewinchel, Rustensteyn &c.

Insuper verò eidem Episcopo eiusque successoribus perpetuam concedimus libertatem, & ab omni Regali Imperio absolutionem: nisi forte contingat, quod Imperator Romanorum & Rex Græcorum coniugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant: tunc Ecclesiæ illius Episcopus, cum sumptu à Rege vel Imperatore adhibito, laborem simul & honorem illius legationis assumet: & ea de causa statuimus quod in eodem loco Græcas & Latinas scholas in perpetuum manere ordinauimus, nec unquam

quam Clericos vtriusque linguæ gnaros deesse confidimus.

Et vt hæc Authoritas firmior habeatur & diuturnis temporibus melius conseruetur, manu propria subter ea roborare decreuimus, & annulo nostro sigillari iussimus. Datum XIII. Kalendarum Ianuarij anno 4. Christo propitio, Imperij nostri, 37. Regni nostri in Francia, atque 31. in Italia. Actum Aquisgrani in palatio feliciter, Amen.

Nisi forte contingat quod Imperator &c. coniugalia fœdera ineat &c. Græcas & latinas scholas &c. Ambibat Carolus amicitiam & societatem cum Imperatoribus Græcis, miseratque superiori anno Iessen Episcopum Ambianensem & Helingaudum Comitem Constantinopolim, qui procurarent Coniugium inter ipsum & Irenem Grecorum Imperatricem. Verùm Nicephoro Patritio interea Imperium inuadente, & Irene captiuâ in Lesbum Insulam relegatâ ad intentum non peruenit. Communicationem tamen & fœdus cum Constantinopolis Imperatoribus tenuit. Nicephori Legatos ad se venientes audit, & fœdus cum eo pangit. Ea propter desiderauit in Imperio suo Occidentali, viros Græcam linguam callentes, qui cum Orientalibus loqui & agere possent, in eum finem instituens scholas in quibus Græca docerentur; quamquam si-

mul eum mouerit communis Ecclesiæ vtilitas, cui non parum interest Orientales litteras nosse. Qui Ecclesiæ & scholis ab Imperatore ordinatis primus præficeretur, dignus inuentus est S. Wiho S. Willibrordi in Gymnasio Vltraiectensi olim alumnus. Probabile habeo plures Magistros ad scholas istas fuisse accitos ex Vltraiectensi Collegio vtpote viciniori, Republica, & Ecclesijs Saxonum omnino adhuc rudibus & impolitis (ac vnde magis desideraſſet Wiho, quam ex quo tantus prodierat ?) vt Schola Osnaburgensis nõ abs re filia Vltraiectensis vocari possit. Addit tamen hîc Crantzius: nouitatem Christianismi in populo necdum bene firmato, & crebras Saxonum ac diuturnas rebelliones hoc institutum (Caroli Magni) intercepisse.

Nota hîc obiter, perperam quosdam ex hoc diplomate sumere, Osnaburgensem Episcopatum à Carolo Magno fundatum siue institutum fuisse anno 804. quo diploma dedit. Constat enim ex Crantzio plusquam viginti annis ante, Carolo Rege, nondum Imperatore, Episcopalem Cathedram ibi esse positam. Vide lib. 2. Saxoniæ cap. 14. vbi hęc verba: *Cum iam antè diuisis locis per Saxoniam Rex aliquot constituisset Episcopatus, in Osnaburga: in Salignstede, anno tandem LXXXVIII. Bremensem erexit Ecclesiam, vt &c.* Ex quibus verbis patet ante annum 788. Episcopatum Osnaburgensem esse constitutum. vide ibidem cap. 23. Quinimo ex cap. 11. habetur eum esse constitutum circa annum 777. eundemque extitisse primum in tota Saxonia, quod & diploma hic asserit. Accedit quod anno 804. grauis admodum ætatis fuerit Wiho, qui nempe viuente S. Willibrordo scholas Vltraiectinas frequentauerit, vt non credibile sit tot grauatum annis, dicto anno à Carolo Osnaburgensibus primum datum esse Episcopum

pum, vbi inter feroces Saxones omnia feruebant periculorum & laborum plena.

DISSERTATIO CXLV.

De Egberto Archiepiscopo Eboracensi & Swiberto Abbate Anglo. Ostenditur iterum eorum confusio cum Egberto Archimandrita & Swiberto Sancti Willibrordi Coepiscopo.

HAc tempestate eximijs virtutum ornamentis eminebat in Northumbrię Regno V. Egbertus, frater Egberti Northumbrorum Regis, Episcopus Eboracensis septimus, & Archiepiscopus secundus, qui pallium Archiepiscopale, quod Paulinus vi hostilitatis loco pulsus apud Roueceſtriã diem obiens reliquerat, & successores repetere neglexerant à sede Apostolica recuperauit. De eo Malmesburiensis lib. 3. de gestis Pontificum Anglorum.

Hic omnium liberalium artium armarium, vt ita dicam, fuit & nobilissimam bibliothecam Eboraci constituit: cuius rei testem idoneum aduoco Alcuinum, qui dixit in epistola ad Carolum Augustum: Date mihi exquisitiores eruditionis scholasticæ libellos, quales in patria habui per bonam & deuotissimam Magistri mei Egberti Archiepiscopi industriam, & si placet excellentiæ vestræ, remittam

mittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quæque necessaria, & reuehant in Franciam flores Britanniæ. Sepultus est cum fratre suo in vna porticu apud Eboracum post 36. annos Episcopatus.

Lege alios Angliæ Scriptores, qui eum omnes præclaris laudibus efferunt. Non est ille, quemadmodum ex corrupto textu Marcellini, siue potius Pseudomarcellino nonnulli hauriunt, à quo S. Willibrordus & socij in Frisiam sunt directi; hic enim nec Eboraci, nec alibi Archiepiscopus fuit, imo nec Episcopus. Insuper à iuuentute in Hiberniam abijt & anno 729. ibidem obijt. Ille Archiepiscopus Eboraci in Northumbria perpetuò perseuerauit, ac demum anno 766. ibidem vitam finiuit. Vide supra dissertatione 13. Sub hoc Archiantistite in Anglia, eadem tempestate viguit quidam Swibertus Abbas, qui incensus amore gentium conuertendarum, in Frisiam & Germaniam est profectus, verosimiliter ab Archiepiscopo Egberto emissus. De quo ita Kranzius in Metropoli Saxoniæ: *Eodem ferme tempore in Orientali Saxonia vltra Visurgum, quartum iussit Rex esse Episcopatum in loco Kouende illo tempore satis celebri atque habitatoribus frequenti, sed commodiorem deinde conspicati locum, in Verdam, oppidum tunc, quam nunc, celebrius, transtulerunt. Ibique consecratus est iussu Regis Episcopus vir magnæ sanctitatis Swibertus, professione Monachus, Abbas, natione Anglicus.*

Swibertus autem in Anglia moratus, cum audiret congentiles suos Saxones Anglos iam auscultare Euangelio domitos armis Caroli, præstitit hoc Christo, præstitit hoc genti, quam sibi & suis cognatam intellexit, vt transito mari conuolaret in Prouinciam prædicationibus indigentem, quod messis multa & pauci cernerentur operarij. Huius viri Zelum cernens Rex Carolus, iussit Ecclesiæ nouæ Verdensi primum Episcopum consecrari. Vir autem sanctus Zelo Dei satis

satisferuens, Prouinciam sibi creditam solerter obiuit, serens verbum Dei in agro cordis humani, multos conuertens ad Christum, multis clarens miraculis dum viueret, pluribus etiam effulgens dum tam seculo & vita sanctus migraßet ad Christum. Attende, queso, Lector quæ hic de Swiberto Episcopo Verdensi Kranzius, attribui etiam S Swiberto S. Willibrordi consocio de quo egimus sępius supra: quod Abbas, quod in Saxoniam ierit, quod Episcopus Werdensis seu Verdensis, sub Carolo Episcopum egerit. Deinde quæ Marcellinus apud Surium 1. Martij, tribuit Swiberto S. Willibrordi sodali, qui tempore est prior, quadrare in Swibertum illum posteriorem, de quo Krantzius; minime in hunc priorem: vt quod cap. 4. dicitur S. Egbertum Archiepiscopum Eboracensem in Ecclesia Metropolitana Swibertum ordinasse Canonicum, illic secum manere præcepisse, in eo conuentu per biennium Canonicum egisse, ac statim factum Abbatem Dacorensem, post vnius anni regimen statim ab eodem Archiepiscopo in Frisiam & Saxoniam emissum, prędicasse in Brunswiik vltra Weseram, quæ omnia sine incommodo adscribi possunt Swiberto secundo, neutiquam primo; vt mihi quis non ægrè concedat, quod priuatim à plurimis annis sensi, acta S. Swiberti sodalis S. Willibrordi, quæ sunt apud Surium supra, esse vitiata, confusa, & commixta ex actis Swiberti illius, & Swiberti Krantziani, à quodam, non S. Marcellino, sed Pseudomarcellino. Fossent hæc intelligi ex ijs quæ superius de Egberto Archimandrita & S. Swiberto differuimus. Attamen declarabo breuiter per singula. Ait putatitius S. Marcellinus cap. 4. & 6. S. Swibertum Eboraci factum Canonicum ab Egberto Archiepiscopo: deinde Abbatem & post rectam vno anno Abbatiam statim in Frisiam emissum

sum cum S. Willibrordo ab eodem Egberto quæ S. Swiberto neutiquam conueniunt; nam toto tempore vitæ eius Eboraci nullus Egbertus Episcopus aut Archiepiscopus à quo Canonicus & Abbas crearetur ac in Frisiam mitteretur. Nec Egbertus qui S. Willibrordum cum eo in Frisiam destinauit Episcopus aut Archiepiscopus fuit, provt fuse probauimus dissertatione 13. Canonicum Eboracensem aliquando egisse, non potest nisi mera coniectura haberi cum testimonium bonæ fidei nullum suppetat.

Abbatem fuisse nec mihi persuadeo, eo quod Beda copiosus descriptor virorum in Ecclesiastica dignitate constitutorum sub ditione Eboracensi, nullius Swiberti Abbatus meminerit, imò cum lib. 5. cap. 11. honorifice eum prædicat ne vel minimum Abbatiæ indicium suggerit silentio hoc aliàs numquam pressurus. 2. Quod S. Swibertus priusquam in Frisiam concederet in Hibernia Asceticæ & Monasticæ disciplinæ vacaret sub Archimandrita Egberto quemadmodum S. Willibrordus aliique eiusce profectionis comites. Quomodo enim aliàs habuit imperium emittendi S. Egbertus? quomodo eum ad opus illud elegisset nisi subiectum discipulum? certe non Abbatem, nec in Hibernia existens in Eboraco versantem. 3. Si Abbas fuerit S. Swibertus, si tanta eluxerit pietate, virtute, doctrina, quantis in textu Marcellinus eum effert, si tantę nobilitatis, si Canonicali, si Abbatiali titulis ornatus, cur S. Willibrordo fuit postpositus qui numquam tales titulos gessit? Cur non præpositus, cur non ipse ductor Apostolici agminis? puto ea veritate scribi ab Authore S. Swibertum Canonicum & Abbatem qua cap. 5. S. Wigbertum scribit Canonicum, de quo tamen Beda lib. 5. historiæ cap. 10. postquam enarrasset quomodo Frisiam

adire

adire tentantem Egbertum oraculum diuinum impediuerit, subdit de Wicberto: *At vero vnus de socijs eius vocabulo Wicbertus cum esset & ipse contemptu mundi ac doctrina scientia insignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) ascendit nauem & Frisiam perueniens duobus annis continuis genti illi ac Regi illius Radbodo verbum salutis praedicabat. Neque aliquem tanti laboris fructum apud Barbaros inuenit Auditores. Tunc reuersus ad dilectæ locum peregrinationis solito in silentio Domino vacare cœpit. Et quoniam externus prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat.* Nullu hic est insigne Canonicale, quinimo omnia in contrarium sonant. qui in Wicberto peccauit facile credendus est in S. Swiberto peccasse.

Hinc infertur multo minus post Canonicatum in Eboraco post rectam eiusdem Diœcesis Abbatiam statim in Frisiam ad conuersionem Gentium migrasse, vt vult idem Marcellinus. quomodo enim ipse Egbertus apud Hibernos in solitarijs locis conuersans mitteret ex Eboraco Angliæ Prouincia à qua procul aberat? quam ipse haberet ibidem Authoritatem? quomodo ipse imperium exerceret in Canonicum Eboracensem, in Abbatem? Præterea clare est videre ex Beda, Alcuino alijsque probatis historijs S. Willibrordum, Swibertum reliquosque non immediate ex Eboraco, ex Canonicatu aut Abbatia Eboracensi, sed immediate ex Hibernia ex schola S. Egberti in Frisiam fuisse dimissos. Vide supra dissertatione 12. & 13.

Similis ponderis apud me est Bruynswicana prædicatio adscripta S. Swiberto à Marcellino cap. 17. & 18. Sepositio namque hoc Authore & ijs qui ex illo hauserunt, nullus eam asserit. Mansit S. Swibertus continuo in Frisia, Werda & vicinis Occidentalis Saxoniæ (Westphaliæ) locis à quibus Bruynswicum longe distat. Nemo O-

rientalis Saxoniæ quæ est vltra Visurgum & in qua Bruynswicum descriptorum, inter quos est Krantzius in ea habitans ac exactus Saxonum explorator, nullus, inquam, est qui agnoscit conuersionem aut prædicationem in Bruynswico aut Orientali Saxonia ante regnum Caroli Magni qui primus armis duram Gentis ceruicem ad admittendam Christianam prædicationem inflexit. Et cur quis faciet S. Swibertum excurrentem latissime vltra Visurgum per intermedios rigidos & refractarios Barbaros, cum in Westphalia sat esset materiæ laboris & periculi? Adde Bruynswicum tempore S. Swiberti non fuisse grandem vicum quemadmodum scribit Marcellinus, imo ne vicum, vt mox declarabitur. Optime vero eadem quadrant Swiberto posteriori de quo agit Krantzius. Vixit ille in Anglia sub Egberto Archiepiscopo Eboracensi mortuo anno 766. Ab ipso in Abbatem creatum, nihil est quod vetat credere: fuit enim teste Krantzio Abbas in Anglia, sicut etiam duo eius successores in Episcopatu Verdensi. Canonicum egisse, non est quod inficiemur. Nec obstat quod à Krantzio Monachus nominetur, nam Monachi eo tempore & posterioribus sæculis in Britannia Ecclesias Cathedrales occupabant, Canonicorum locum sustinebant, Canonici appellabantur. Ab Egberto Archiepiscopo in Saxoniam destinatum, omnino conforme est. Bruynswicensibus prædicasse facile fuit, quandoquidē in Orientali Saxonia, cui adnumeratur Bruynswicum, continuo versaretur, & Bruynswicum à Verda non adeo longe distet. Hinc ergo disce Lector & iterum mihi concede acta S. Svviberti adscripta S. Marcellino apud Surium prima Martij, esse insincera, confusa & commixta ex actis S. Svviberti socij & Coepiscopi S. Willibrordi, & actis Svviberti posterioris primi Episcopi Verdensis

Verdensis apud Krantzium. Causauit eam confusionem deceptionemque nominum similitudo, magna incautis decipula: vterque enim Svvibertus; vterque Anglus; vterque Northumbrus; vterque sub Egberto; vterque in Saxoniam profectus; vterque Saxonum Apostolus; vterque sub Principe Carolo; vterque Episcopus; vterque primus Episcopus Werdensis siue Verdensis, quamquam non verè, scriptus; vterque viuus & mortuus miraculis clarus. Ingens sane Imperitis & improuidis lapis offensionis.

DISSERTATIO CXLVI.

De Bruinswico. Manifestatur iterum fucus Marcellini.

VT magis impostura istius Scriptoris sub nomine S. Marcellini delitescentis agnoscas cap. 17. Bruynswicū, in quo S. Swibertum facit concionātem, grandem vicum vocat, scilicet viventibus S. Willibrordo & S. Swiberto Bruynswicum grandem vicum exstitisse, amplè floruisse: quod aduersatur probatissimis Germaniæ Descriptoribus, qui omnes ortum Bruynswici ad seriora tempora referunt. Consulamus vnum Krantzium accuratam Saxoniæ notitiam habentem. Is lib. 2. Saxoniæ cap. 34. de eius natiuitate loquens post mortem Caroli Calui Imperatoris, quę contigit anno Christi 877. Brunonē inquit

inquit filium Ludolphi Saxoniæ Principis insigne nomen reliquisse vico quem ille primus inchoauerat, qui ex illo dictus est Brunonis Vicus, iam diu Brunswicum insigne oppidum in media Saxonia ad riuum Onacri qui influit Visurgum. Cuius Oppidi parua primum initia multas per tempora habuere accessiones, vt per vices amplificatum, nunc in eas excreuerit vires atque opes vt facile Principibus suis titulum indiderit, qui exinde vocantur Duces Brunswicenses. Sed hoc longe postea. Sinum excurrentis fluminis, stagni, aut maris Saxones sua lingua Wyck appellant. Inde Bruno excursum fluminis alterum, alterũ Tãquardus nõ longo interuallo ędificijs honestarũt. Inde Brunswyck & Tanquardeswyck diu variata appellatione secernebantùr. Obtinuit autem Bruno vt solus oppido nomen relinqueret: Frater autem arcem communiuit vicino loco quæ de eius nomine Tanquerode diceretur. Quo in loco Ecclesia S. Blasio consecrata nomen retinuit vt in vrbe diceretur exstantibus muris prioribus, quæ iam mœnibus Ciuitatis ambiuntùr. Sic ille sequentibus glorioſa facta Brunonis enarrans.

De eius vero incrementis speciatim agit lib. 4. Saxoniæ cap. 36. *Sub Rudolpho Saxoniæ Marchione qui floruit sub Conrardo secundo Imperatore post annum Christi* 1024. *Creuit oppidum Brunswicum, ibi tum Ecclesia S. Magni ædificata & diui Valdrici. Idem Ludolphus primus fundauit Ecclesiam in arce Tanquerode iuxta Brunswicum quæ nunc est inclusa mœnibus: instituit Canonicos, ditauit prædijs & SS. Apostolis Petro & Paulo fecit consecrari quæ nunc S. Blasij præfert patrocinium intra Vrbis mœnia & hodie vocant Ecclesiam in Burgo.*

Et iterum lib. 6. Saxoniæ cap. 23. *Henricus Dux Saxoniæ* (tempore Frederici Imperatoris post annũ Christi 1161) *quamuis bello vrgeretur, instituit tamen munire & ornare Brunswicum.*

cum: demolitus in Burgo Ecclesiam veterem quæ in honorem Apostolorum Petri & Pauli esset consecrata, nouam molitur sub nomine Blasij & Ioannis Baptistæ consecrandam quæ exstat hodie. Fossatis & muris incluſit Burgum olim Oppido adiacentem, indaginem quoque coniunxerat, mœnibus & fossatis circumductis, vbi pridem erant pomeria, rubeta & palustria ab humore loca quæ ille primus exædificata curauit habitari. Auctumque est Oppidum in eam magnitudinem quæ cernitur hodie vt in Saxonia magnitudine vrbis & Ciuium frequentia & rerum opulentia nullum ei oppidum comparetur.

Ex dictis clare est cernere Bruynswicum in terris versante *S*wiberto vicum non fuisse cum prius incœperit habitari & coli post annum 867. centum & quinquaginta annis post obitum *S*wiberti, multo minus grandem vicum. Simul colligere est sæpe dictum Authorem vitę Svvibertinæ siue interpolatorem aut Interpretem vixisse post annum 1167. quandoquidem dicat grandem vicũ Bruynsvvyck respiciens ad statum loci suo tempore cum antea esset vel nihil vel modice habitatus & immerito attribui vero *S*. Marcellino *S*ancti Willibrordi ex Hibernia Comiti.

Simile est quod Idem Author habet cap. 15. Perueniens ergo hyeme Minimigardum id est Monasterium, quasi viuente *S*vviberto Minimigardum fuisset vocatum Monasterium prout nunc. Sed audiamus Krantzium hoc ex tabulis Marcellini eradentem. Is postquam lib. 2. Saxoniæ cap. 16. narrasset quomodo Carolus Magnus deuictis Hunnis & Saxonibus post annum 791. sollicitus de diuina per Saxoniam Religione formanda diuersas Ecclesias ordinasset, vt Verdensem, Paderbornensem cui præfecit S. Liborium, subiungit: Per idem tempus in loco Mymyngrode in media Westphalia fundasse Episcopatum

alium cui S. præfecit Ludgerum, virum incomparabili deuotione in Deum & Religionem Christianam. Hic est Monasterienſis Episcopatus : nam Ciuitas exstructo ibi Monasterio, Monasterij nomen accepit. Krantzio consentiunt Munsterus, Ortelius in Cosmographia. Non innotuit ergo S. Marcellino ibi nomen Monasterium cuius obitualis annus longe antecesserat.

Dissertio CXLVII.

De Viuida senectute S. Willibrordi.

Cto annorum decurias iam decurrerat S. Willibrordus per multos labores, pericula, sollicitudines pro Gentium conuersione, pro Ecclesiæ Vltraiectinæ Diœcesisque promotione, & necdum eum subitrauerat cura. Octogenarius prædicationi, muneribus Episcopalibus perseueranter inhæret, Deo suauissimos fructus in horto Frisico operari non desistit. Reclamabat quidem natura magno annorum curriculo onusta, conditione sua effæta, verum feruens Zelus lucrandarum animarum vltra naturæ fines transuehebat. Cogitabat illud Dauidis Regis : Exibit homo ad opus suum & ad operationem suam vsque ad vesperam id est occasum vitæ. Cantabat ex animo Deo fortitudini suæ id eiusdem Regis : Iustus vt palma florebit : quemadmodum palma, quæ & viuacissima est

est & semper viret etiam ipsa hyeme & suauissimos profert fructus, ita Iusti diuinę gratiæ succo numquam destituti, tum in prosperis, tum in aduersis semper virebunt lõgeuam degẽtes vitam ac fructus dulcissimos bonorum operum semper proferentes, ne tum quidem florere cessantes cum hinc decesserint, imo verius cum hinc in terram fœcundiorem transplantati fuerint. Et sicut Cedrus Libani multiplicabitur: & quomodo Cedri Libani robore, odore & incorruptibilitate insignes in maximam succrescunt altitudinem multumque augentur & ramis suis late expansis diffunduntur, ita Iusti insigni à Deo robore præditi, virtutum odore omnibus grati, semper in bono proficient seipsis semper altiores ac multam prolem Deo producentes, donec tandem cælos ipsos, ad quos palmarum ac Cedrorum more sẽper nituntur, attingant. Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri florebunt. Non enim iusti quemadmodum impij eradicabuntur de terra, sed firmiter plantati in domo Dei florebunt iugiter in atrijs eius. In cõgregatione enim Sanctorum colẽtium Deum vsque in longam senectam vt in plurimum viuentes, vigebunt in ea fructusque deprom ent & gratissimos flores bonorum operum semper validi ad laudandum Deum in templo eius, in medio populi sui & hinc decedentes in cælesti Dei domo, è qua numquam dimouebuntur, perpetuo virore vigebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi & bene patientes erunt vt annuntient etiam ipsa senectute, quæ non erit in eis effæta & arida, sed humore diuini Spiritus pinguis & fœcunda, viribus proficient & in virtutibus crescent, eruntque etiam tum bene habiti atque dispositi, vt experti in se Dei Iustitiam & bonitatem annuntient quod Iustus est Dominus Deus noster, quod ab omni iniustitia

iustitia & prauitate est alieniſsimus. Quam bene hæc in S. Willibrordum conueniunt. Quam vere in illo impletæ sunt promiſsiones electo & dilecto factæ, Longitudine dierum replebo eum & ostendam illi salutare meum. Vitam petijt à te & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum & in sæculum sæculi. Ad similem senectutem peruenit S. Bonifacius S. Willibrordi Discipulus & post eum Vltraiectinę Cathedræ moderator; licet enim sint qui scribant infra octuagesimum annum ætatis Martyrium subijsse, vt Wicelius in Hagiologia, qui solum tribuit vitę annos 60. attamen ex omnibus eius actis simul collectis liquet eum 80. superasse. Imo Nicolaus Serarius vitæ Bonifacianę accuratus examinator computat Martyrio affectum ætatis anno 85. vel 86 Prçstat hoc Iustis manifeste gratia Diuina. Adiuuit Willibrordum, quæ etiam Dei donum est, dispositio naturalis, id est bona corporis dispositio, complexionis firmitas & temperamentum corporis laudabile, quale ei tribuunt Leijdensis & Nannius. Vide Douſam lib. 8. annalium Hollandiæ.

Dissert-

De obitu S. Willibrordi & quæ circa eum contigerunt.

HActenus itaque attentè nec in vanum auditum & voluntatem conuerterat ad monitum Dauidicum: Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, id est, O Vos spirituales viri qui Deum præsentiùs & insigniùs refertis, amplioris diuinitatis portione, beneficijs atque virtute donati à Deo, adducite ad Deum in Ecclesia eius sancta filios arietum, homines qui vestra doctrina filij & imitatores fiant Prophetarum & Apostolorum gregis Dominici Ducum insignium & fortium. Adferte Domino gloriam & honorem voce & vita vestra ipsum honorantes, adferte Domino gloriam nomini eius debitam, suppliciter veneremini Dominum in sancta fidelium congregatione, extra quam nullus Dei cultus gratus esse potest. ijs expletis nunc suauiter inuitatur ad sequentia: Adorate Dominum in aula sancta eius, id est, Adorate eum in aula eius regia cælesti, in qua residet Dominus omnium. Post decursos huius vitæ temporariæ stadio laborum & agonum palestra 80. annos, anima victoriarum de mundo, carne, diabolo, plena bonorum operum & meritorum manipulis onusta, ad remuneratorem suum in cęleste palatium Deum in ęternum visura & adoratura abit.

Vbinam locorum corpus exuerit, non idem ab omnibus scribitur. Alij Vltraiecti: Alij vt Nicolaus Harpsfeldius

dius histor. Anglicanę sæculo octauo cap. 4. & Miræus in Annalibus Belgicis, Epternaci: alius in vico quodam Diœcesis Vltraiectinæ id contigisse. Ego omnino credo Vltraiecti in sede sua Episcopali, Epilcopum inter Canonicos & fratres, Pastorem inter oues animam posuisse. Insinuatur per verba Bonifacij superius citata ad Stephanum Papam: *Et sedem Episcopalem & Ecclesiam in honore Saluatoris constituens (Willibrordus) in loco & Castello quod dicitur Traiectum, & in illa sede & Ecclesia Saluatoris, quam construxit, prædicans vsque ad debilem senectutem permansit, & sibi Coepiscopum ad ministerium implendum substituit, & finitis longeua vitæ diebus, in pace migrauit ad Dominum.* His significatur S. Willibrordum in sede Episcopali, in Ecclesia Saluatoris Vltraiectina vsque ad debilem senectutem permansisse, ac in eadem dies suos finiuisse. Et hoc ipsum inde colligit Ioannes Roberti in notis ad caput 6.l. Florum Epitaphij Sanctorum cap. 6. lib. 1. conscripto à Thiofrido Abbate Epternacensi. Idem' plane sensus est Ioannis Becani in Willibrordo, aientis: *anno Domini* 737. *Clemens fælicem Creatori reddidit animam, cuius sacrum corpus ad Epternacense translatum est cœnobium Ordinis B. Benedicti, quod ipse pridem de patrimonijs Discipulorum suorum sumptuosis adornauit ædificijs &c.* Dum asserit esse translatum corpus ad Epternacense Monasterium, manifeste signat, eum non esse mortuum Epternaci, simul insinuans animam reddidisse in loco suæ Episcopalis residentiæ.

Terris valedicens suæ adeptæ gloriæ insignem reliquit indicinam, quam hoc modo enarrat Theofridus loco mox citato: *Insigne miraculum, quod profecto sub gratia longe præstantius est æstimandum, quam quod sub lege, tam irato, quam placato Domino, nubes apparuit super fœderis tabernaculum, videlicet, quod post lucidissimi totius mundi solis Willibrordi primi*

Sancti

Sancti Traiectensis Ecclesiæ Archipræsulis carnis occasum, ingens globus quasi fumi aromatum in modum densissimæ nubis totum sæpissime repleuit & cooperuit vestibulum vbi lucis vitæ huius passus deliquium, transiuit in cœtum & claritatem cælestium luminum.

Sed cur globus quasi fumi in modum nubis? per fumum], aut quasi, intelligo nebulam, quomodo Apocalipsis 15. Et impletum est templum fumo. Isaiæ 6. Domus impleta est fumo, quæ nebula condensata erat instar incrassatę nubis. Consueuit Deus in veteri testamento fumo, nebula, nube, Maiestatem gloriamque suam ostendere, in ijs se præsentem exhibere, mandare, loqui. Numerorum 16. Operuit illud (Tabernaculum) nubes & apparuit gloria Domini. Ibidem 14. Apparuit gloria Domini super tectum fœderis, puta nubes lucida significans Dei præsentiam & Maiestatem iuxta Septuaginta & Iosephum. In nouo Testamento ad ostendendam gloriam Sanctorum idem præstat, vt in Transfiguratione nubes lucida obumbrabat Discipulos: Quinimo simul manifestans Maiestatem suam, quasi declarantem & quoddamodo loquentem Sanctos iam cælo receptos, se mercedem illorum esse, secum regnare, se eos honorare velle. Sic in loco occubitus S. Lamberti illustri signo Martyris felicitarem, meritum & honorem prolocutus est Deus: *In conclaui* (ait Roberti in vita S. Lamberti cap. 26.) *in quo obtruncatus S. Lambertus, lumina sæpe diutius accensa conspiciebantur, ea claritate vt gratiores viderentur ire dies, & soles melius nitere, neque facile humani oculi acies irretortaeam ferret. An aberrabit, qui dixerit radium aliquem fuisse eius lucis, qua S. Pontifex perenniter circumfunditur? Quid igitur si hoc lumen etiam à cæcis aspiciebatur? sane duo cæci Baldigisulus, & Raginfridus, illę excubare quo Martyr occubuerat loco: Hic eundem*

locum expurgare iussus, optata protinus luce potiti sunt. Ita ille.

Sed cur fumus aromatum? per aromata designantur in scripturis virtutes Sanctorum, quarum bono odore confortantur, reficiuntur,& recreantur mortales. Christi bonus odor fumus. 2. Corinth.2. Quo alludens S. Hieronymus: Eam, inquit, debere esse conuersationē Pontificis, Pastoris & Doctoris, vt omnes motus & gressus atque vniuersa eius opera cælestem redoleant gratiam. D. Bernardus serm. 71. in Cantica ad illud, Ego flos campi & lilium conuallium: *Habent*, inquit, *mores colores suos, habent & odores: odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi tuo dat eius Bonitas & cordis intentio: odorem modestiæ & virtutum exemplum. Iustus est lilium in se candidum, sed proximo odoratum; proximo enim famam, nobis debemus & prouidemus conscientiam.* Hoc ipsum præstitit inter homines S. Willibrordus, hoc ipsum illum præstitisse, hîc declarat diuina Majestas.

Designantur etiam per aromata orationes Sanctorum, quæ efficacia sua penetrant vsque ad thronum Dei, iuxta illud Apocalipsis 8. Ascendit Fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Domini. Recte igitur per globum quasi fumi aromatum datur indicium diuinę Majestatis Sanctissimam animam accipientis & coronantis, fragrantissimo meritorum ex virtutibus & orationibus prognatorum cumulo grauidam. An non fas cogitare Cælestes Spiritus beata anima aduenīente ingeminasse, Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus Mirrhæ & thuris?

Vtinam residuum nobis esset vestibulum, aut conclaue tot feruidarum orationum, tot ignitarum meditationum consclum, in quo purissima illa anima sacrificium vespertinum se Deo obtulit; quam illud exoscularentur, quam

quã in eo venerabundi pedes figerent fideles. Non dubito quin primæui Traiectenſis Eccleſiæ filij ſummo in pretio habuerint. Poſtulat hoc auita pietas. De Leodienſibus, quibuſcum in fide iam conſentiebant Traiectenſes, legitur, Locum, in quo S. Lambertus gratiſſima Deo hoſtia recenter ceciderat, ab vndis concurrentium populorum infatigabili ſtudio viſitatum cultumque. Creſcente deinceps Religione, vt ait Roberti ſupra, ſacram Aedem inibi moliti ſunt, ſplendidam illam quidem & amplam, ſed quę concurrentibus capiendis nequaquam ſufficeret. Tanta multitudo erat. Porro in eam Aedem tum alia intulerunt S. Martyris monumenta, tum eius lectulum, quo potuerunt ornatu, honeſtatum. Quibus rebus efficiebatur, vt tanquam præſentem ibi eum colerent, quotquot pietatis cauſa illam ædem & cætera monumenta freqûentarent, prodigijs & miraculis in dies augmentum capientibus. Minorem ne cogites Primorum Vltraiectenſium deuotionem. Verùm ſubſecutæ Nortmannorum graſſationes & illud & pluria ſacratiſſima poſteritati inuideruut.

Dissertatio CXLIX.

Quo anno, mense & die obierit S. Willibrordus.

Circa annum emortualem S. Willibrordi, non omnes idem tradunt. Molanus in Natalibus Sanctorum & in Indiculo SS. Belgij ait expirasse anno 736. Ipsum sequuntur Haræus, Rosweyda in historia Ecclesiastica, Possevinus in apparatu sacro, B. Furmerius & aliquot alij. Item Heda, qui tamen adijcit sententiam Thiofridi, nec reijcit. Ioannes Beeanus in Willibrordo, Ioannes Leijdensis in Chronico Hollandię & in eo Robertus Swertius signât annum 737.

Verissima vero sententia est emigrasse anno 739.

Primò, quia est plurium & antiquiorum Authorum; Thiofridi Abbatis Epternacensis, qui vitam S. Willibrordi conscripsit, & quidem ex proprij Monasterij monumentis, vnde certè fidei multum meretur: Trithemij, Bruschij in Chronologia Monasteriorum Germanię: Locrij in Chronico Belgico: Petri Opmerij in opere Chronographico orbis vniuersi: Laurentij Beyrlinck in vita S. Willibrordi: Petri Bertelij in Historia Lutzenburgica: Ægidij Bucherij in tabula Chronologa ad Historiam Leodiensem Cheappiauilij, citantis Sigebertum & vitam S. Willibrordi: Mirei in Annalibus Belgicis: Ioannis Roberti qui vitam S. Willibrordi pertractauit: Dionisij Mutsaerts in Ecclesiastica Historia.

Secundò,

Secundò, Manifestè deducitur ex citata Epistola Bonifacij ad Stephanum Papam, quam ex Vatic. no Codice recitat Baronius, in qua diserte affirmatur S. Willibrordum 50. annos Frisones docuisse; non potuit autem tot annos docuisse, si anno 36. discesserit; rectè vero, si anno 39. eius obitus notetur.

Tertiò, Conforme est omnium sententiæ asserentium S. Bonifacium vacantem à morte S. Willibrordi Cathedram Vltraiectinam administrasse per sedecim annos, quod verissimum est: ac sententiæ, quæ Martyrium eiusdem Bonifacij reponit anno 755. quam etiam veram esse probat N. Serarius, à pluribus & communiter tenetur: rectè vero sedecim illi anni inueniuntur, si dicamus Willibrordum obijsse anno 39. minus, si anno 36.

Quartò, probatur ex Thiofrido Abbate Epternacensi, qui lib. 1. Epitaphij florum SS. Cap. 6. quod anno 292. ab eiusdem glorioßissimi Antistitis (Willibrordi) de spirituali Sodoma & Ægypto exitu, id est morte; Anno vero progeniti verbi 1031. eius sacratissimi Somatis disponeretur translatio. Qui calculus iustè procedit, si fatalem exitum S. Willibrordi statuamus anno 39. iniustè, si 36. nam numerando ab anno 739. vsque ad annum 1031. sunt anni 292. non plures, neque pauciores.

Quintò, Legitur S. Willibrordo defuncto in Epternaco successisse Albertus per 37. annos (incompletè puta) vita exutus anno 775. Qui numerus integratur posito S. Willibrordum mortuum anno. 739. Secus alias. Vide Miræum de Orig. Benedictinis.

Sextò, Confirmatur, quod à morte Willibrordi statim Carolomannus filius Caroli Martelli commendarit

sedem

sedem vacantem S. Bonifacio, vt ipse Bonifacius in Epistola ad Stephanum Papam sæpius citata affirmat Vnde intelligitur mortuus Willibrordus Carolo Martello iam prope mortem existente (obijt namque anno 741.) siue longum ægrotante, vt habet Epistola Bonifacij ad Ethelbaldum Regem Anglorum, & filio Carolomanno locum patris supplente. Quem locum non conuenienter diceretur suppleuisse filius, si Willibrordus obierit anno 36. nam certum est Carolum non tam diu ægrotasse, aut tam cito filium in locum suum substituisse. Quod liquere potest ex eius bellis apud Aimonium & Annales Pytheanos. Vnde nimis recedit Vbbo Emmius dum lib. 4. Hist. ait S. Willibrord. decessisse anno 745. postquam totos 50. annos Episcopatum gessisset. Nemo alius mihi est lectus hoc asserens. Videtur Apostolatum & Episcopatum pro eodem sumere. Ast sic potius dixisset Willib. Episcopatum gessisse per annos 56. si decesserit anno 745. Veritas est S. Willibrord. Episcopatum gessisse 43. annis; & vniuersim tam antè quam post Episcopatum in Frisia esse versatum 50. annis, sicuti asserit S. Bonifacius eius cooperator in epistola ad Stephanum Pontificem productâ dissertatione 76.

Quo ad mensem, omnium censura est obijsse mense Nouembri, vt eo, quo Episcopalem mytram suscepit, eodem mense terris relinqueret, characterem honoremque Episcopalem Cælitibus inferret. Et quidem septimo Idus Nouembris, iuxta quod in Martyrologijs eius fælix Natalis notatur, & ab Ecclesia recolitur: ita vt in Episcopali functione 43. annos impleuerit integros, 14. diebus dumtaxat minus; adeoque vniuersim inter Frisios & Austrasios laborarit per 50. annos, quibus non potuit non

ingentem

ingentem meritorum aceruum sibi colligere.

Apud N. Harpsfeldium citato loco mendum irrepsit, vbi legitur S. Willibrord. obijsse 7. Septembris.

Hinc non difficulter discitur qua die siue feria hebdomadis obierit: littera enim Dominicali anno 739. existente B. octauo idus Nouembris incidit in diem Dominicum; cõsequenter septimo Iduum Nouembris in diem Sabbati (quod requiem significat) in quo ex Sabbato temporario in quiternum Sabbatum, quo ardentissimè anhelabat, Sanctissimus Pontifex transiuit. Recte Diuus Augustinus Epistola 119. *Quia ergo sanctificauit Deus diem septimum in quo requieuit, tertio precepto legis insinuatur, quod scriptum est de obseruatione Sabbati, non vt tam in ista vita nos quiescere existimemus, sed vt omnia quæ bene operamur, non habeant intentionem, nisi in futuram requiem sempiternam.* Quod in S. Willibrordo est completum.

APPENDIX.

Cur S. Willibrordus magis elegerit sepeliri Epternaci, quam Vltraiecti, aut in sua Diœcesi.

Vamuis de loco, vbi communem humano generi fatalem metam attigit, sit discors Authorum Scriptio, attamen conueniunt omnes Epternaci esse sepultum, iuxta quod ipsemet testamentarijs tabulis valens viuensque disposuerat.

Nunc quærimus, cur maluerit sepeliri Epternaci in extremo Lutzenburgij, loco à sede sua adeo distante, quam Vltraiecti in Ecclesia, quam sibi desponsauerat, inter concreditas oues, quas pauerat, inter socios quos inibi congregauerat, quibuscum semper vixerat.

Ad hoc respondit mihi aliquando priuatus amicus, eo quod Willibrordus esset instituti Benedictini, & eiusdem instituti Epternacenses ab ipso fundati, ideoque elegisse quiescere inter suæ professionis viros, non Vltraiecti, vbi talis professionis nondum erant: ab ijs magis speraſſe continuas & stabiles orationes, quam ab alijs. Verum quia sentio Willibrordum non fuisse Benedictinum, nec Epternacum, dum Willibrordus migraret, fuisse Benedictinum,

ctinum, illa responsio mihi non satisfacit. Pendet quidem hoc ex mera voluntate sepulturam eligentis, attamen mihi insuper occurrit hæc causa: Quod status Vltraiectinę Ecclesiæ eo moriente nondum omnino firmus, multis perturbationibus maneret obnoxius propter dura Frisiorum corda, quorum plurimi ad fidem nondum erant reducti, plurimi conuersi ad antiquas superstitiones respiciebant, ad nouitates & rebelliones inclinabant. Radbodi successores odium in religionem & Francię Proceres non facile videbantur deposituri. Expertus simile fuerat in vita S. Willibrordus; euentus docuit quando, eo defuncto, D. Bonifacius cernens Frisiorum animos deficere & & plurimos in Idololatria etiamnum obsordescere, eo festinauit, ac eorum saluti curandæ intentus ab impijs cum 50. socijs est trucidatus. Itaque tam in condendo testamento viuens valensque, quam moriens, consultius elegit corpus suum reponi in loco tutiori & ab incursione Barbarorum remotiori, quale erat Epternacum. Præterea videtur animo præsagijsse Nortmannorum excursiones & ferocias, quæ non longe ab eius discessu euenerunt; quibus factum est vt Ecclesia Vltraiectensis & Diœcesis in sacris & prophanis summam pertulerint deuastationem, in qua nec eius, nec aliorum sepulchris fuisset parcitum; ideoque non sine cælesti directione prœelegisse locum tali vastationi minus subiectum. Et certè ita optime diuina prouidentia ordinauit cum aliàs forsan tam sacro pignore careremus, à Barbarie fuisset attactum, dispersum, obliuione apud posteros sepultum. Ac multò magis nunc diuinam dispositionem prędicare habemus, quod non solum ab Ethnicorum furijs, sed etiam à tempestuoso Caluinistarum furore Vltraiecto discedere voluerit, qui nostro sæculo in Religionem & Principes

suos tumultuantes, Hagiomachiam & Lipsanomachiam ex professo instituerunt, in Sanctorum imagines, in Sanctorum cineres prophana arma verterunt; eos in cloacas proijcere, in ventos dispergere, in nouos prophanos cineres redigere inter primas curas sumpserunt, quæ mala euasit S. Willibrordus Epternacum certioris quietis cubile sibi decernendo.

Dissertatio CL.

Quisnam successerit S. Willibrordo in Episcopatu? An Bonifacius? An is Episcopus siue Archiepiscopus Vltraiectensis proprius fuerit?

Ioannes Becanus in Bonifacio ait, Bonifacium postquam Willibrordus abhuius sæculi incolatu transmigrasset, consentiente Carolomanno & substituto sibi Moguntiæ Lullo Ecclesiã Vltraiectensem gubernandam accepisse eumque secundum Episcopum Vltraiectensem numerat. Heda etiã eum secundum in numero Episcoporum Vltraiectensium collocat. Item Suffridus Petri in Appendice ad Becanum. Adrianus Barlandus in Catalogo Episcop. Vltraiectensium dicit à morte Willibrordi Bonifacium Ecclesiæ Vltraiectensi præfuisse. Gerardus Nouiomagus in suo Catalogo, Bonifacius post Willibrordi

di Clementis mortem Vltraiectensis Ecclesiæ curam suscepit. Molanus in Indiculo SS. Belgij, Bonifacius mortuo Sanctissimo Willibrordo Moguntiç successorem suum constituit S. Lullum & Traiectensem ad Rhenum Archiepiscopatum secundò suscepit. Ludgerus in Epistola de S. Svviberto Bonifacium Moguntinensis & Traiectensis Ecclesiarum Episcopum vocat. Idem in vita S. Gregorij, Senescente, inquit, S. Willibrordo in opere Dei & stabilito Episcopatu in loco qui nuncupatur Traiectum & alio nomine Wiltaburgum, & migrante ad Dominum de hac luce successit S. Bonifacius idem Archiepiscopus & Martyr. Rixfridus Episcopus Vltraiectensis ordine sextus in epistola ad dictum Ludgerum expressè Bonifacium Archiepiscopum Traiectensem secundum appellat. Similes loquendi modos seruant plures.

Mihi rem diu multumque ponderanti persuasum est S. Bonifacium proprium, peculiarem ac fixum Vltraiectensis Ecclesiæ Episcopum aut Archiepiscopum ordinatum non esse saltem ante annum 754. sed solummodò vt legatum Apostolicæ sedis & totius Germaniç quasi Archiepiscopum Cathedram Vltraiectinam post abcessum S. Willibrordi gubernasse, eiusque supremam curam gessisse. Eò me mouent 1. Verba ipsiusmet Bonifacij ad Stephanum Papam: *Princeps autem Francorum Carolomannus commendauit mihi sedem illam (mortuo Willibrordo) ad constituendum & ordinandum Episcopum, quod & feci.* Dicit commendasse tanquam Legato Apostolico, totius Germaniæ superintendenti & quasi Primati. Et quidem commendasse ad constituendum ibi Episcopum, non vt ibi Episcopus ipse fieret, sed vt Viduæ Ecclęsiæ de sponso, de viro prouideret, quod & præstitit, non seipsum, sed alium S. Willibrordo ex plenitudine potestatis substituendo.

Secundò, ante annum 745. nullius certæ sedis Episcopus aut Archiepiscopus fuit, sed incertæ sedis Antistes creatur anno 732. quo expeditius per Germaniam Euangelium diffunderet. Demum anno 745. certæ Ecclesiæ deputatur, nempe Moguntinæ, cuius eo anno proprius Archiepiscopus consecratur. Quomodo ergo statim S. VVillibrordo potuit succesisse? Quomodo Vltraiectinæ Ecclesiæ Archiepiscopus ordinatus fuisset?

Tertiò, quod à felici recessu S. VVillibrordi vsque ad annum 754. vix vnquam aut numquam Vltraiecti egerit quam absentiam Canones non ferunt, nec ipse tulisset, si ipse sicut S. Willibrordus eius sedis ordinarius ac Cardinalis extitisset, vbi omnia erant negotiorum plena.

Vix vnquam aut numquam Vltraiecti degisse, patet ex eiusdem ad actis apud Serarium & Miræum apud quos habes: anno 738. Romam iuisse ac redijsse. Anno 739. vt Archiepiscopum & Apostolicæ sedis Legatum Bauariam in 4. Diœceses partitum. Anno 742. Ratisbonę Synodum habuisse: anno 743. Liptinis seu Listinis alteram Synodum celebrasse præsente Carolomanno Principe: anno 745. ex incertę sedis Archiepiscopo per Zachariam Papã creatum Moguntinę Ecclesię proprium Archiepiscopum, & tertiam Moguntiæ Synodum coegisse. Postea ad Fuldam amnem in silua Buchonia locum à Carolomanno & Pipino Principibus dono datum ad vsus Monachorum aptare cœpisse. Deinde Romam vltimò profectum indidemque reuersum anno 750. Herbipoli (alias Wirceburgi) in Franconia firmum fixumque Episcopum constituisse S. Burchardum anno 751. Pipinum Carolomanni Patrem coronasse & vnxisse Francorum Regem anno 752. in vrbe Suessionensi: In Frisiam vltimo se contulisse relicto Archiepiscopatu Moguntino anno 754. ibidemque sequenti

quenti anno 755. à Frisijs peremptum. Ex quibus patet eum aut numquam, aut rarissime ab obitu S. Willibrordi Vltraiecti egisse; quod ferendum non est in Episcopo proprio, nec patiebatur status Ecclesiæ Frisiorum, nec ipse in sese tolleraſſet. Certe postquam innexus fuit Cathedræ Moguntinæ non legitur discurrisse vt antea. probatum itaque sit S. Bonifacium Vltraiectensem Episcopum proprium non fuisse saltem antequam Moguntinam Ecclesiam missam faceret. Et quis constituisset eum taliter in Episcopum, aut Archiepiscopum? non se ipsum, non Carolomannus. De Pontificia ordinatione, indulto, ne vestigium apparet, quod sane silentio Historia non suppressisset. Moderatus tamen est Ecclesiam Vltraiectensem statim mortuo Willibrordo ei ex plenitudine potestatis legatæ de nouo Episcopo prouidendo, directionem ac supremam curam ei impendendo & tamquam Hyperaspistes contra Colonienses eam lacessentes. Quò respexisse reor Authores supra qui eum 2. Episcopum siue Archiepiscopum Vltraiectensem numerant.

Petes; Quis ergo post S. Willibrordum fuit peculiaris Ecclesiæ Vltraiectinæ Episcopus? Respondetur, eum quem in epistola ad Stephanum Papam ibidem se constituisse asseuerat Bonifacius. Cur enim orba Ecclesia sine proprio Pastore relinqueretur? talem perquam maxime conditio Frisiæ expostulabat à quo Neophyti in fide confirmarentur, à Luporum insidijs defenderentur, sacra ministrarentur. Nec sufficiebat superintendentia Bonifacij continuò absentis & quidem ad remotissimas plagas.

Petes secundò, an ille sit Eobanus collega Bonifacij in Martyrij perceptione? Respondetur, nullum nomen exprimi in Epistola ad Stephanum Papam. Eobanum fuisse

fuisse videtur asserere Serarius Moguntinarum rerum lib. 3. Notatione 45. aiens: *Sicque Traiectensis Episcopus quidem secundus fuisset Eobanus, sed Archiepiscopus secundus Bonifacius.* Mihi aliud sentitur 1. ex Heda & serie contextus historialis Othloni lib. 2. vitæ S. Bonifacij, vbi post discessum eius à Willibrordo anno 722. post Episcopatus à Gregorio secundo & tertio acceptos, post Fuldensis Monasterij fundationem, post susceptum & administratum Archiepiscopatum Moguntinum, post desiderium eundi in Frisiam, post renuntiationem Cathedræ Moguntinæ & substitutionem Lulli, post recessum vltimum in Frisiam cap. 25. sunt hęc verba: *Tantam autem gratiam Dominus famulo suo Bonifacio iam in Frisia agenti & prædicationibus intento contulit, vt post paucos dies multa millia virorum ac mulierum cum commilitone suo Chorepiscopo Eoban baptizaret. Hunc namque ad subleuandā senectutē suā iniuncto sibi Episcopatu in vrbe, quæ dicitur* Trecht/ *subrogauit.* Ex quibus planè apparet non sibi Eobanum substituisse Chorepiscopum potius Coepiscopum nisi post quam abdicata Moguntia & & ei ordinato Lullo Frisios vltimum petijt anno 754 & hoc plane, non aliud intendunt Becanus & Molanus citati superius: Priorem verò de quo in Epistola ad Stephanum Papam, Vltraiecti constituit statim à morte S. Willibrordi regente Carolomanno, qui iusto quinquennio ante annum 750. Monasticem adierat patrijs Ditionibus relictis, nec vnquam repetitis. 2. Eobanum sibi substituit ad subleuandam senectutem suam: ast dum Carolomanno regente Episcopum Vltraiectensibus ordinaret, non erat tanta senectus Bonifacij, ad summum 66. annorum, alij minus darent. Erat vero iustissimæ senectutis & auxilij egens dum è Moguntia in Frisiam concederet, nimirum 82. annorum. Vide Serarium lib. 3. Moguntinæ historiæ notatione 54.

Tertiò

Tertiò, Eobanum sibi subrogauit ex proprio motiuo, ex propria potestate; ast alium iam statuerat ad petitionem Carolomanni paucis annis post defunctum Willibrordum imperantis & circa annum 746 imperium cum monastice in perpetuum commutantis. Quare alius est mihi Eobanus Martyrij Bonifacij socius ab eo quem in dicta ad Stephanum epistola Vltraiectensi Ecclesiæ Episcopum se constituisse prædicat Bonifacius.

Petes tertiò, cur ergo non numeratur ille petente Carolomanno constitutus secundus Episcopus Vltraiectensis? cur ab omnibus Bonifacius? Respondetur, eo quod ille, obueniente præsertim non longe pòst Barbarica vastitate, secundum qualitatem & nomen manserit incognitus, obliuioni traditus, & Bonifacius in omnibus tam veteribus quam recentioribus historijs esset & sit celebratissimus, adeoque notissimus ac scriptorum calamo perquam obuius. Præterea maius lumen obfuscat minus; Bonifacius propter celebritatem, potestatē, superintendentiam Diœcesis Vltraiectinæ, imo totius Germaniç, obfuscauit aliorum nomina & memorias.

Dissertatio CLI.

An saltem post dimissum Archiepiscopatum Moguntinensem, & secutam profectionem in Frisiam, fuerit specialis Episcopus Vltraiectensis.

Espondetur, hoc posse dici probabilius, attamen est incertum. Ego quidem in eam abeo sententiam nec tum specialem ac proprium Traiectensium Archiepiscopum siue Episcopum ordinatum esse. Mouet 1. contentiosa æmulatio Colonienſium, qua Traiectenses suę Parochiæ vendicare, aut eis Ecclesię dignitatem & Authoritatem Metropoliticam eripere moliebantur. Conatus fuit quidem S. Bonifacius extremum iter ad Frisios instituens illud obstaculum auerruncare missis ad Stephanum Papam litteris, ast non apparet aliquid obtinuisse, quandoquidem perseuerauit lis indecisa sub Gregorio eius, vt numerant, successore, & deinceps prævaluerint Colonienses. Pendente autem illa lite, non conueniebat eminentiæ Legati Apostolici Episcopatum tali contentioni obnoxium, & inferioris gradus, dimisso altiori, inire. Deinde Sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus & Frisiam cogitans, Deo inspiratore, præsensijt terrestris peregrinationis terminum sibi imminere. Quomodo ergo voluisset insedere Cathedram breui tempore ac breui rursus orbandam? Quomodo tantopere dignitate Moguntina

Moguntina exui sollicitasset apud Pontificem & Principes, vt legere est apud Baronium, & alteram affectasset, præsertim iam grandęuę senectutis? Denique in Frisiam veniens constituit Gregorium specialem Traiectensibus Episcopum; non ergo ipse fuit eorum specialis Pręsul. Administrauit tamen vsque ad extrema eam Diœcesim tamquam missus S. Petri & Commissarius Generalis per Germaniam, vti mox diximus.

Interim hîc obiter obseruandus textus Becani: *Aliquantis elapsis diebus Bonifacius dolenter intelligens S. Clementem ab huius incolatu sæculi transmigrasse, & Ecclesiam Traiectensem Pastorali regimine viduatam, congregauit Sanctam Synodum quorundam Episcoporum, in qua Lullonem venerabilem Sacerdotem Moguntinensem ordinauit Episcopum. Nec mora, & idem Bonifacius, consentiente Carolomanno Duce, nauigando Traiectum aduenit, & desolatam in Dei nomine Ecclesiam gubernandam accepit.* Vbi duas diuersas profectiones in Frisiam sub vno comprehendit, aut potius duas in vnum non recte confundit. Prior enim est quâ statim à transitu S. Willibrordi Traiecti, commendante & petente Carolomanno Principe, Episcopum constituit, prout in sæpe citata epistola ad Stephanum Papam ipsemet asserit. Eaque accidit anno 740. aut 741. Posterior est, quâ absolutus ab Archiepiscopatu Moguntino & substituto in congregata Synodo Lullo, vltimò in Frisiam perrexit, quæ contigit anno 754. has hîc permiscet Author. Vbi præterea non vere additur post ordinatum Lullum: *consentiente Carolomanno Duce Traiectum aduenit &c.* Quia eo tempore Carolomannus non habebat consentire, nec immiscebat se vlli regimini patriæ, iam ab octennio, relicto sæculo, Monachum agens in Italia. Consentire tum erat Pipini in Regem Francię à Bonifacio anno 752. inuncti. Consensum vero Carolo-

manni habuit Bonifacius in prima profectione post obitum statim S. Willibrordi.

Præterea tota narratio Becani de S. Bonifacio est confusa & falsa continens, v. g. quod dicat S. Bonifacium creatum Archiepiscopum & quidem Moguntinum à Gregorio secundo, cum Archiepiscopus Moguntinus sit creatus à Zacharia P. qui successit Gregorio tertio. quare conferenda & examinanda est ad Othlonum de vita S. Bonifacij cum notis N. Serarij ad eundem.

Dissertatio CLII.

De Eobano Episcopo & Martyre in Frisia.

Obanum à S. Bonifacio interiorem Frisiam vltimùm petituro in auxiliarium & adiutorē ad functiones Episcopales obeundas esse assumptum, superius est intimatum. Restat nodus.

Eobanus legitur fuisse tātum Chorepiscopus apud Hedam, ac ita eum vocat Othlonus lib. 2. cap. 25. & Molanus refert se etiam meminisse ad portatilem tumbam Sancti Eobani Traiecti legisse: *Corpus Sancti Eobani Martyris Chorepiscopi huius Ecclesiæ.* Chorepiscopi autem non erant veri Episcopi; quomodo ergo Eobanus cum Bonifacio obiret munera Episcopalia?

Respondetur, in Othlono corruptè haberi vitio librariorum aut imperitorum Chorepiscopo pro Coepiscopo: nam

nam verbis immediate sequentibus Othlonus vocat eum Episcopum constitutum Traiecti à Bonifacio; Coepiscopum etiam vocant Beda, Vsuardus, Ioannes Becanus antiquior Hedâ. Facile autem ex Coepiscopo inscitia aut socordia fuit scriptum Chorepiscopo, qui error ad plures inde manauit. Addit Molanus lib. 2. de Canonicis cap. 32. facile à quibusdam in clero Traiectensi, vbi Chorepiscopi dignitas existit, erratum esse, qui eum suæ Ecclesiæ Chorepiscopum esse dixerunt, quod non intellexerint veros inter Belgas fuisse multos Episcopos, qui absque vllo titulo Episcopatus ordinabantur vt gentiles cõuerterent.

Itaque Chorepiscopum eum fuisse arbitrati sunt, eo quod Chorepiscopi aliquando in choris, hoc est in agris, regiunculis & pagis, vnde nomen acceperunt, Episcoporum munera obire attentarint, aut propria prę sumptione, cum non aliud quam presbyteri essent, aut ex audaci quorundam Episcoporum eos consecrantium temeritate, qui Vicarios Episcopos quęrebant vt ipsi mollius viuerent, imitantes, vt Damasus Pontifex notat, mulieres meretrices quæ voluptatis causâ infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos. Hi autem Chorepiscopi, cum de summo ministerio aliquid præsumerent, quod omni auctoritate carebat, & sacris Canonibus contrarium erat, atque ad totius Ecclesię perturbationem tendebat; tam ab hâc sanctâ sede, ait Damasus, quam & ab omnibus totius orbis Episcopis, à pontificalibus sunt remoti officijs. Quis igitur credat, post sæpe damnatam pontificalem Chorepiscoporum præsumptionem, Bonifacium Germanię Apostolum ad sui iam senis subleuationem, Eobanum vt Episcopalia exerceret munera, contra canones & decreta Pontificum constituisse & ordinasse Chorepiscopum?

copum? non id dicamus quod omni ratione caret. Corruptius scribunt alij Chorepiscopum, quasi Episcopus fuisset in cantorum choro, ignorantes etymologiam nominis; non enim dicuntur Chorepiscopi à choro cãtantium, sed à verbo græco Choros, quod significat regionem aut agros, quia in ijs solebant Chorepiscopi aliquas functiones obire. Fuit vero Eobanus verus Episcopus Traiecti, deinde Coepiscopus & comes Bonifacij dum vltimò pergeret in Frisiam ordinato primùm in Ecclesiâ Traiectensi Gregorio.

Quomodo autem dignitas, vt & nomen, Chorepiscopi ab Ecclesia sæpe damnata in Vltraiectensi Ecclesia permanserit, doctè explicat Molanus loco citato.

Dissertatio CLIII.

De Martyrio S. Bonifacij eiusque loco.

LVcrandarum animarum spiritus S. Bonifacij in grandęua ętate nec tepescere potuit. Nam cum esset octogenarius in summa dignitate, honore, maximo in pretio apud Moguntinos & reliquos Germanos & Francos, ac locus quietis pateret, omnibus illis spretis, incenditur ad profectionem grauem & periculosam in Frisiam, vt animas tenebris gentilium adhuc inuolutas in admirabile Christi lumen traduceret. De qua profectione Othlonus lib. 2. cap. 25. Paucis itaque, ait, diebus transactis naui cum conuiatoribus, ad huiusmodi iter electis ascendit, & Rheni fluminis alueo differtur, donec aquosa Fresonum arua ingrediens, in stagnum

(quod

quod lingua eorum Almeri dicitur) sospes peruenirет, vbi circumquaque pergens, verbum Domini cum fiducia prædicauit, Ecclesias ingenti studio construxit. Tantam autem gratiam Dominus famulo contulit, vt post paucos dies multa millia virorum ac mulierum cum Commilitone suo Chorepiscopo Eoban baptizaret, scilicet, per latas Frisiæ tam Orientalis, quã Occidentalis regiones discurrendo, vt sequenti capite idem significat. Quemadmodum verò Apostoli quos sacro regenerationis lauacro abluerant, altero Christiano sacramento, quod confirmationis Ecclesia vocat, initiabant Actorum octauo; idem eorum exemplo factitare S. Bonifacius statuebat & quia baptisatorum ingens numerus erat, in patentibus cãpis ei mysterio operam nauare commodius iudicabat. Illique operi certum diem promulgabat. Cumque dies præstitutus aduenisset, & ortus sol (phrasis est Othloni) altiores lineę suæ gradus iam pręoccupasset, tunc omnes, qui quasi filij à patre expectabantur, indigni ad accipiendam S. Spiritus gratiam, quæ ipso die per sacram confirmationẽ offerenda erat, super illos, versa vice pro amicis inimici, pro nouitijs fidei cultoribus noui lictores cum ingenti strepitu horrendoque armorum strepitu in Castra Sanctorum proruperant. Clericis & reliquis commilitibus per arma & vim irruentes repellere aggredientibus eos S. compescuit & sacra cõcione eos ad patientiam & Martyrij pro Christo lauream acceptandam animat & instigat; ipse verò ad munimentum spiritualis asyli confugit. Cõpleta ad suos salutari monitione, furens multitudo paganorum cum gladijs omniq; infesta armatura supereos irruit, eorumque corpora felici cæde cruentauit, ac omnia quæ ipsorum erant, auarè diripiunt. Super interfectores verò non dormiebat diuina vltio. Nam cum in spoliorum partitione

partitione admodum dissiderent, tanta inter eos confestim ira flagrauit, vt eodem furore, eadem vesania, eisdem armis quibus antea Martyres iugulabant, semetipsos mutua condigna cæde necarent. Qui mutua clade superauerant, Bonifacij libros, quos secum comportare consueuerat, per paludes aliaque obscura loca disperserunt, sed diuino nutu postmodum reperti, in Ecclesijs diutissime sunt reseruati.

Inter eos verò libros, narrante Othlono, repertus est S. Euangelij liber, quem beatus vir pro sanctitate sua secum iugiter ferre solebat. Hic ergò quamuis gladio acuto, vt adhuc ab inspicientibus probari valet, per medium incisus fuerit, nullius tamen litteræ integritatem eadem incisione perdidit. Quem, vt fertur, S. Bonifacius in illa hora, qua ad caput eius abscindendum vibrabatur gladius, habens in manibus, vel pro tutela capitis, vt multi solent, seu etiam pro clipeo spirituali, quem in libro tali esse credidit, percussori oppossuit. In quo nimirum signa & miranda virtus Dei, & veneranda sanctitas beati Bonifacij potest agnosci. Mirabilius namque videtur, quod nulla incisi libri littera delebatur, quam si nullum incisionis stigma per ferientem gladium in libro reperiretur.

Locum Martyrij designat Othlonus: cum veniissent ad flumen quoddam Borthne vocatum quod est in finibus eorum, qui rustica lingua dicuntur Oster & Westerriche &c. quid Oester & Westerriche sint explicuimus ad dissertationem 116. particulariùs locus designatur Dockomium situm in Oesterriche quod Borthne flumen olim alluit, oppidum modo insigne, vbi & conuentus, siue Monachorum, siue Clericorum in communi viuentium olim stetit teste Rixfrido in Epistola ad Ludgerum Episcopum Monasterienssem.

Monasterienſem. Fuit verò ibidem excitata Eccleſia in memoriam SS. Pauli & Bonifacij, de qua ſunt apud Serarium ex Wione verſus Alcuini:

Hic pater egregius meritis Bonifacius almus
Cum ſocijs pariter fundebat ſanguinis vndam.
Inclijta Martyrij ſumentes ſtemmata ſacri.
Terra beata nimis Sanctorum ſanguine diues.
Tranſuolat hîc victor miles ad præmia cæli
Vltima ceſpitibus iſtis veſtigia linquens.
Suadeo quapropter, curuato poplite ſupplex
Tu quicumque legis, terris his oſculaſige.
Speſque tibi fiat lachrymis aſcendere cælum.
Hic potuiſſet.....
Hic manet ille cruor, cuncto pretioſior auro
Membraque Cæleſti rore hæc perfuſa quieſcunt.
Adiuuat hinc Paulus, Doctor Bonifacius inde,
Hæc illis quoniam conſtat ſimul aula dicata.

CÆterum Patribus noſtris Ordinis Præmonſtratenſis à S. Norberto nouiter inſtituti in ſanctitate & fructu in populo, etiam contra Tanchelini hæreſim, quæ in Vltraiectenſem Diœceſim irruperat, efflorescentibus, Conuentus ille, ſiue locus ad tumulum S. Bonifacij illis ceſſit circa annum 1170. poſſederuntque vſque in annum 1580. quo in manus alienas cum reliquis Friſiæ Cœnobijs deuenit.

Dissertatio CLIV.

De Socijs S. Bonifacij in perceptione Martyrij.

Quod ad Collegas Sacræ aureolę comparticipes, meritò inter Apostolos Frisiæ honorandos, pro quorum salute sanguinem suum fudêre, alij quinquaginta vnum, alij 52. alij 53. enumerant; quorum tamen decem aut vndecim nomina dumtaxat ab Othlono & Beda exprimuntur. De hisce omnibus differẽdi nihil aut perparum est materiæ. Solùm proferã quę de his habet Molanus in indicul. SS. Belgij in S. Athalario: *S. Athalarius Martyr, fuit vnus ex præcipuis quos S. Bonifacius secum in Frisia habuit & prædicationis & martyrij Collegas. Vnde nomen eius & in Litanijs Traiectensis Ecclesiæ exprimitur, & in Collecta diei 5. Iunij: Deus qui multitudinem populorum deuota Sanctorum tuorum Bonifacij, Eobani atque Athalarij & sociorum eorum instantia ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es, concede propitius, vt quorum solemnia colimus, eorum apud te patrocinia sentiamus.* Ab anonymo qui iussu Fuldensium post S. Wilibaldum Bonifacij Historiam lib. 2. conscripsit, nominatur, vt arbitror, Adalherus. Scribit enim Bonifacio, præter Eobanum Episcopum, in prædicatione Euangelij & in merito Martyrij adfuisse Presbyteros tres, & totidem Diaconos; puta Vintrugium, Walterum & Adalherum; Stircbaldum, Hamontium & Bosonem: Item professione Monachos, Waccarum, Gunderharum, Willeherum & Adolphum.

dolphum. Porro corpus Athalarij in tumba portatili quieſcit Traiecti in antiquo vel potius antiquato Monſterio S. Saluatoris: De hiſce vide etiam Serarium lib. 3. rerum Moguntinarum notatione 46.
Corpus S. Bonifacij Clerici Traiectenſes è loco Martyrij ablatum in ſua Eccleſia ſepeliunt. Verum mox aduolantibus magna turma tam Clericorum, quam laicorum etiã armatorum, Moguntinis, poſt aliquot concertationes & contentiones, Traiectenſibus ægrè ſe defendere valentibus, Corpus dimiſſum delatum eſt Moguntiam, inde Fuldam. Has Tranſlationes fuſe deſcribit Othlonus lib. 2. Vitæ S. Bonifacij cap. 27. & 28.

Martyres eos tali carmine celebrat Martinus Hamcomius in ſua Friſia:

VRbis cum Mogoni Præſul Bonifacius eſſet,
Traiecti Cathedram conſcendere maluit, vt tam
Friſones Ethereæ, quam Teutones inderet arci.
Sed paſſim multis Sacro iam fonte renatis,
Doccomij dum forte manus imponere vellet,
Cum quinquaginta Martyr præſignis, & vno,
Concidit, ac magno Fuldam Tranſuectus honore eſt.
Aſt Euangelicus codex, ſtola ſacra, Calixque,
Paneſque in lapides verſi, Fons dulcis, & ipſum
Hîc cranium, fidei teſtes mirifice, neciſque.

RElquiæ iſtæ ſtola &c. ſummo honore aſſeruabantur Doccomij vſque ad ciuilia noſtra bella, quibus feruentibus aduerſariâ Rel. prevalente & ſuppreſſâ per Friſiã & reliquas Belgij Prouincias fide Catholicâ, hæ omnes cum reliquijs 40. ſociorum diſtractę & euerſæ ſunt anno 1580. teſte eodem Hamcomio.

Dissertatio CLV.

De declinatione sedis Vltraiectensis. An eius Episcopi à Gregorio vsque ad Godebaldum caruerint mitra & infulis Episcopalibus.

SAncto Willibrordo ad cælestia translato, quæ hactenus siluerat mouere se cœpit Ecclesia Colonien sis contra Vltraiectensem prætendens ei Episcopalẽ aut saltẽ Metropol. dignitatẽ detrahere & sibi arripere. Obstitit illorum conatibus quam diu in viuis fuit S. Bonifacius. Verum illo à Barbaris anno 755. perempto non desistentes Colonienses, superueniente etiã calamitate Ecclesiæ Vltraiectensis, potentiores præualuerunt, vti aliquoties iam est insinuatum. De hoc negotio Becanus : *Post cuius (Bonifacij) necem Ecclesia Traiectensis rudis adhuc & tenera Metropolitana dignitate caruit : quoniam aduersus Ecclesiam Colonienſem magnis opibus abundantem de cetero stare non potuit; tota nihilominus Ecclesiæ Diœcesis post modicum tempus ex feritate Danorum tantumdem penè depopulata fuit & terra non habens agri colonum aliquanto tempore spinas & tribulos germinauit : quapropter Episcopi Traiectenses vrgente magna necessitate Romanam Curiam pro Archiepiscopali benedictione visitare nequeuntes, susceperunt à viciniore Metropolitano simplicem benedictionem sicut Abbates, sine mitra Pontificali longo tempore celebrantes.* Et Heda : *Hactenus Ecclesia Traiectensis licet noua & tenella quodammodo esset plantatio, Metropolitica fulgebat dignitate, sed continuis hostium incursionibus attrita solita Authoritate carere & declinare cœpit & Ecclesiæ Colonienſi vipote Florenti & infelicita-*

te

te constituta paulatim cedere vniuersa Diœcesi per Saxones & Frisios Orientales Duce Windikendo & postea per Danos & Normannos afflicta & in solitudinem redacta ita vt Ecclesia ipsa Episcopum suum amodo alere nequiret, nec onera aut impensas sufferre prædiente egestate ne ad sedem Apostolicam pro munere Archiepiscopalis benedictionis de cetero recurreret: Imo vti Abbatibus per Archiepiscopum Coloniensem impendebatur consecratio. Cessauit & mitræ vsus vsque ad tempora Godebaldi Episcopi. Quod addunt vti Abbatibus ab Archiepiscopo simplex benedictio aut cõsecratio, & mitræ vsum cessasse longo tẽpore & Godobaldi Episcopi, crudum durumque mihi semper sapuit, ac tandem dum ad trutinam rationis reuoco, improbabile videtur 1. Quia mitra ab origine & primæua institutione Episcopis est propria adeoque natiua; cur ergo asseremus Episcopos, & quidem veros, quales semper fuerunt Vltraiectenses, amitratos sedisse & quidem per tot sæcula? Quinimo censent nonnulli vnctionem cum mitræ impositione esse materiam constitutiuam Ordinis Episcopalis; quare ergo subtraheretur? fuisse veros Episcopos Vltraiectenses ante tempora Godebaldi Episcopi 24. (sedit is ab anno 1112. vsque in annum 1127.) & præditos plenitudine officij Episcopalis quæ in consecratione accipitur, vt potestate Clericos ordinandi, baptisatos confirmandi, Sacrum Chrisma, Ecclesias altaria consecrandi &c. & non tantum Iurisdictione externa, quod ab alijs posset obiici, patet ex historijs eorundem. Albricus Episcopus 4. Vltraiectensis, qui sedit ab anno 777. vsin annum 787. ordinauit in Presbyterum S. Ludgerum primum postea Monasterienſem Antistitem legauitque ad partes Frisiæ Euangelij prædicandi causâ. Radbodus 14. consecratus est Episcopus testibus Becano & Heda seditque ab anno 901. vsque 919. Idem rogatus à Balderico

postmodum successore vt duos Clericos oblatos consecraret Sacerdotes, denegans respondit Radbodus ex spiritu prophetico eos aliquando ab ipsomet Baldrico fore consecrandos. Ipsemet Baldricus consecratus & confirmatus est ab Archiepiscopo Colonienſi, vt de se testatur in priuilegio concesso Ecclesiæ Vltraiectensi apud Hedam. Seditque ab anno 919. vsque in annum 977. De Burchardo Episcopo 23. Godobaldi prædecessore scribit Heda : *Hic etiam ordines manu propria contulit & consecrauit Presbyteros & Diaconos.* Quod addit (etiam) indicat Prædecessores idem feciſſe. sedit vero Burchardus ab anno 1099. vsque in annum 1112. Et certe nisi consecrati fuissent Episcopi consecratione Episcopali, non bene consultum fuisset vastissimæ Frisiorum Diœceſi, a qua Metropolitanus longe aberat, quam commodum adire nequibat. Quis consecrasset altaria, Chrisma confecisset, Clericos ordinasset, Neophytos confirmasset ? Et quomodo illa exercuissent sine debitis ornamentis Pontificalibus inter quæ est mitra ? Erant Episcopi ante tempora Godebaldi viri omnes sanctitate & probitate conspicui, prædicatores strenui, à summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus summo in pretio habiti, ab ijs pluribus bonis cumulabantur, & præclarissimis priuilegijs decorabantur, ad Synodos conuocabantur. Quomodo illi, qui tanta ijs largiebantur, non largiti fuissent infulas ? quomodo, si impedimentum aliquod mitræ gestandæ adfuisset, non auerruncassent, qui longe maiora conferebant, qui apud omnes quam plurimùm pollebant? 3°. nullum impedimentum erat mitra infulisque obtinendis. Non à Colonienſibus, qui non conabantur Vltraiectensi auferre dignitatem Episcopalem, nec ornamenta Pontificalia, sed dumtaxat Metropolitanum

num jus, & Archiepiscopalem titulum & honorem, immediatamque subiectionem sub summo Pontifice. Et verò Archiepiscopi Colonienses instituebant & consecrabant veros Episcopos Vltraiecti, vt iam est dictum; quomodo ab ijs detinuissent mitram & infulas? quid iuuisset illos veros Episcopos admisisse & Episcopalem habitum denegasse? nec stabat impedimentum à Paupertate, quia ab initio & in dies opibus affluenter dotabantur. Nec facile talis occurrit paupertas, quin simplex mitra comparari possit. Memini me legisse in antiquo manuscripto Tungerloæ, in Hibernia tantæ tenuitatis sedisse Episcopos, vt ad Synodos diuinaque officia conuenirent chartaceis mitris. Malebant ex obuia vilique materia confectas gestare, quam nullas, probe scientes mitram esse proprium Episcoporum gestamen, & quasi adnatum.

Hæc me alienum reddiderunt ab inolita opinione, qua creditur Vltraiectinos Antistites à tempore Bonifacij siue Gregorij vsque ad tempora Godebaldi 24. Episcopi, caruisse Infulis Pontificijs cum mitra, scilicet, per tria sæcula & dimidium. Exemplum simile in historijs nusquam comparet.

Quod id asserunt Becanus & Hedanus (si modo ipsorum sit & non ab aliquo adsutum) reor ex malo historiæ intellectu processisse. Super quo vt melius explicetur, & conceptus noster declaretur, longius est discurrendum.

DISSER-

Dissertatio CLVI.

Qualem benedictionem susceperint Episcopi Traiectenses vsque ad tempora Godebaldi : Explicantur Becanus & Heda.

Abet Becanus supra: *Susceperunt à vicino Metropolitano simplicem benedictionem sicut Abbates sine mitra Pontificali longo tempore celebrantes.* Quod his verbis Heda: *Imo vt Abbatibus per Archiepiscopum Colonienſem impendebatur consecratio: cessauit & mitræ vsus vsque ad tempora Godebaldi Episcopi.* Vbi non putem illos velle benedictionem Episcopo impensam, esse aut fuisse eiusdem rationis, quēadmodum audiui aliquos hoc interpretantes, cum benedictione solita impendi Abbatibus, quæ etiam consecratio largiori vocabulo appellatur, sic enim non fuissent verè aut plenè Episcopi, cuius contrarium verum est. Sed solum Vltraiectinos Præsules electos, suscepisse benedictionem (Episcopo tamen debitam) minus sumptuosam aut solemnem, quàm aliàs inaugurationem Episcopalem deceret. Deinde cum Traiectenses prætenderent Archiepiscopalem dignitatem & immediatam subiectionem sub summo Pontifice, coactos fuisse tum paupertate, tum oppositione Colonienſium sese demittere, vt quemadmodum Abbates Diœcesano subditi ab ipso benedictionem tenentur accipere, ita similiter illos coactos

actos à Colonienſi Archiepiſcopo tanquam ſubiectos, conſecrationem ſeu benedictionem (Epiſcopo tamen propriam) ſuſcipere. Differunt namque multùm conſecratio ſeu benedictio Epiſcopi à benedictione Abbatis. Primò, Benedictio, ſeu potius conſecratio Epiſcopi, eſt Sacramentum Characterem imprimens; ſed benedictio Abbatis eſt deprecatoria manuum impoſitio ab Eccleſia inſtituta. Quamobrem conſecratio Epiſcopi non niſi ab Epiſcopo vel Epiſcopis fieri poteſt; benedictio Abbatis etiam ab Abbate fieri poteſt. Secundò, Epiſcopus poſt acceptam confirmationem, antequam conſecratus ſit, Epiſcopus abſolute non vocatur: ſed Abbati poſt confirmationem, tametſi benedictus non ſit, nomen Abbatis abſolute competit. Tertiò, Conſecratio Epiſcopo abſolute neceſſaria & quaſi ſubſtantialis eſt vt actus Epiſcopali Ordini proprios exerceat; cuiuſmodi eſt, Sacerdotes ordinare, confirmare &c. Sed nec alios actus Ordinis Epiſcopalis, qui non ita proprij ſunt, quin ſimplicibus Sacerdotibus ſeu non Epiſcopis à ſede Apoſtolica frequēter committantur, ſcilicet, minores ordines conferre, vaſa ſacra benedicere, & ſimilia Epiſcopus confirmatus, tāetſi Sacerdos ſit, ante conſecrationem exercere non poteſt: cum enim Sacramentalia iſta Ordini Epiſcopali per ſe ac directe ab Eccleſia annexa ſint, non vult ea exerceri ab Epiſcopis non conſecratis. Aſt vero benedictio Abbatis reſpectu exercitij Ordinis, non cenſetur ſubſtantialis, ſed potius ſolemnitas quędam accidentalis. Imo quibuſdam Regionibus Abbates benedici non ſolent, & nihilominus omnia Abbatum, etiam quæ Ordinis ſunt, officia exercent, ſi Sacerdotes ordinati ſunt. Vide Paulum Laijmans in quæſt. Canonicis de electione Præſulum cap. 17. quæſt. 210, & 211.

Hæc non latuerunt Becanum aut Hedanum, ideoque minime sunt putandi per simplicem Benedictionem intelligere non aliam Traiectensibus Præsulibus benedictionem solitam administrari, quam quę solet Abbatibus; aut consecrationem Episcoporum eiusdem rationis fuisse cum benedictione aut consecratione Abbatum, sed simplicem Benedictionem analogicè & proportionatè eoque modo quo supra exposuimus. Instituta quidem est à Sacris Canonibus benedictio Abbatis secundum similitudinem & proportionem Episcopalis consecrationis: vt quia Prælati isti Episcopis proximi sunt secundum honorem, & quandam Ordinis Episcopalis participationem, ideo etiam benedictionem aliquam participent. attamen est dispar.

Quod addunt cessasse etiam mitræ & Infularum vsum à tempore Gregorij vsque ad tempora Godebaldi, puto accipiendum esse de Infulis Archiepiscopalibus, vt pallio, pedo & alijs ornamentis Archiepiscopo conuenientibus, non simpliciter de ornamentis Episcopalibus: vel certè credo, vt dixi, ex non recto historiæ intellectu processisse. Cum enim legerent Godebaldum à Calixto Pontifice apud Rhemos in Gallijs Concilium celebrante petijsse impetrasseque Infulas Pontificias, interpretati sunt Præsessores omnes à Gregorio Episc. Tertio eis caruisse, tum ob inopiam, tum ob Ecclesiæ Colonienſis oppositionem. Sed Godebaldum id causasse non legitur, nec intellexisse arbitror. Aliud ex statu temporis Godebaldini subfuisse mihi persuadeo. feruebat namque sæculo 11. quod prȩcedenti sęculo incœperat, acerbissimum schisma inter Põtifices & Imperatores de Episcoporum aliorumque Prȩsulum Ecclesiastic. inuestituris, Imperatoribus sibi eas arrogãtibus, Põtificibus cõtranitẽtibus. Illis Germani

passim

passim consentiebant, ab illis inuestituram admittebant: his alij. Qui ab Imperatore inuestiebantur à Pontificibus excommunicabantur, dignitate, potestate, ornamentis priuabantur, illegitimè ordinati declarabantur: viciſſim quos Pontifices inaugurabant, ab Imperatoribus expellebantur, destituebantur, alijsque modis affligebantur.

Antistites Vltraiectini cum cæteris Germanis adhærentes Imperatoribus, ab ijs inuestiri sepatiebantur, vt expresse refert Heda in Bernulpho Episcopo 20. qui sedit 1027. vsque in annum 1054. inquiens: *Conrardus Augustus, Diui Henrici successor, Bernoldum virum alioqui iustum & pium dignitate Presulatus sublimans, & per annulum & baculum Pastoralem, iuxta ritum à tempore Caroli Magni sequaciumque Imperatorum, inuestiens, congaudenti Clero & populo exhibuit honorandum.* Durauit illa Sacrorum vsurpatio ab Imperatoribus vsque 1122. & Godebaldum more aliquorū prędecessorum an. 1112. similem inuestituram de laica manu accepisse, suadent successio, & familiaritas, & communicatio Traiectensium Pręsulum cum illis, & vicisim eorum liberalitas in ipsos, quam videre est apud Hedam, etiam feruente inter Ecclesiam & Imperium illa contentione.

Cum vero anno 1120. Rhemis coacto Concilio agente & præsidente Calixto Pontifice causa Inuestiturarum sedulo ventilaretur & Episcopi etiam Germaniæ qui antehac partes Imperatoris contra Pontificem secuti fuerant, iam mutatâ sententiâ in partes Pontificis contra Imperatorem concesserant, cœpit Pontifex Episcopis omnibus placari, offensas remittere, pacem præbere. Itaque illi qui vel Infulis ex sententia priuati erant, vel qui eas contra placitum Pontificis gerebant, ei reconciliari, Infulas repetere, aut sibi stabiliri satagebant, vt ijs cum ipsius beneplacito & tutò deinceps frui valerent. Inter hos cre-

do Godebaldum nostrum esse statuendum. Cur enim ipse vel eius Prædecessores, qui durante illa contentione sederunt, (nam de anterioribus nolo hic dubitari quin Insulas pacificè possederint) antea non petierunt? Cur præcisè eo tempore quo Præsul Romanus inuestiturarum causam sæculo amplius agitatam suffragijs Episcoporum etiam ante aduersantium in manibus victam habebat? Certe qui ante Imperatoribus consentientes Pontificia placita non magni faciebant, nunc & multo magis anno 1122. confœderato plenè cum Pontifice & Ecclesia Imperatore, nihil citius, aut consultius rebantur, quam pro ijs vel obtinendis vel firmandis Pontifici supplicare.

Obserua apud Becanum in Godebaldo, legi Alexandrum tertium Pontificem Rhemis in generali Concilio Pontificalem Insulam concessisse: quod existimo ab imperita manu textui Becano esse insertum, cum omnium Ecclesiasticarum historiarum consensu Alexander 3. non sit creatus Pontifex ante annum 1158. defunctus 1181. longè post tempora Godebaldi, qui extremam horam nactus est anno 1127.

Atque hic sit Finis dissertationum de primis veteris Frisiæ Apostolis.

SVccessêre illis deinceps viri Apostolici doctrina & sanctitate venerabiles. Cathedram vero Vltraiectensem vsque ad nostra exulcerata tempora vniuersim insederunt non interrupta serie 61. quorum Catalogum iam damus.

CATALO-

CATALOGVS
Episcoporum Vltraiectensium & Comitum Hollandiæ.

NOn invtile, nec proposito nostro omninò extraneum erit subiungere Catalogum Episcoporum Vltraiectensium qui nongentorum annorum concatenatâ nec interruptâ serie ex Sancto Willibrordo tanquam rami ex radice processerunt. Adtexemus simul numerum Comitum Hollandiæ.

Vbi notandum in annis inchoati & desiti regiminis ipsorum plurimùm variare Historicos. Nos saltem probabilissimum, quantũ indagare poterimus, exhibebmus.

In Comitibus Hollandiæ sequemur communem Modum & ordinem prout tradunt nobis Ioan. Becanus, Chronicum Hollandiæ, Heda, Seriuerius, Suffridus, Pontus, Douſa alijque, semotis controuersijs quæ mouentur, vel moueri possunt, An primi Hollandiæ Principes sint instituti & appellati Comites, An Comites Hollandiæ; An simul Comites Zelandiæ, Domini Frisiæ. Quibus terminis continerentur. Nec deest qui tentat probare institutionem Comitatus Holl. à Carolo Caluo Imperatore, siue à Carolo simplice; Diploma ab ijsdem datum; Theodoricum primum Holl. Comitem, esse commentitia & alias veteres dignas à pulmone reuelli. Vide Iacob Eijndium in Chronico Zelandiæ lib. 2. cap. 5. nihilominus nos, vt diximus; ordinarium ordinem enumerandi seruabimus.

EPISCOPI Vltraiectini

Primus est S. Willibrordus qui & Clemens, consecratus à B. Sergio Pontifice Romano anno 696. gessitque Episcopatum annis 43. integris minus 14. diebus.

2.

Secundo loco numeratur S. Winfridus, aliàs Bonifacius. Sed ille solum per 16. administrauit tanquam Legatus Apostolicus, Traiecto vt plurimùm absens. Quare secundum proprium & peculiarem Vltraiectens. Episcopũ reponimus cuius nomen ignoratur, de quo vide supra dissert. 150. 151. & 152.

sedit annis 15.

3.

S. Gregorius.

sedit annis 22.

4.

S. Albricus.

sedit annis 10.

5.

S. Theodardus.

sedit annis 6.

6.

S. Hermakarus, alijs Hercamarus.

sedit

COMITES Hollandiæ.

EPISCOPI Vltraiectini.

sedit annis 17.

7.

S. Rixfridus.

sedit annis 23.

8.

S. Frederi cus.

sedit annis 4.

9.

S. Alfricus, alijs Albricus.

sedit annis 12.

10.

S. Ludgerus.

sedit anno vno.

11.

S. Hungerus.

sedit annis 15.

12.

S. Odilbaldus.

sedi t annis 34.

13.

S. Egiboldus.

sedit vnum circiter annum.

14.

[a] S. Radbodus.

sedit annis 17.

15.

S. Baldricus.

sedit annis 59.

16.

Folckmarus.

sedit annis 13.

COMITES Hollandiæ.

[a] Theodoricus primus.

Sedente Radbodo anno 913. iuxta I. Douſam, Haræum & recentiores quos ſequimur inſtituitur Comitatus Hollan. eoque donatur vir nobilis Theodoricus ad propulſandos & arcendos à finibus hiſce Vaſtatores Nortmãnos. Chronicum Hollandiæ alijque antiquiores referunt ad annum 863.

Rexit annis 38. iuxta communem opinionem.

2. Comes.

Theodoricus ſecundus primi filius.

Rexit annis 36.

EPISCOPI Vltraiectini.

17.

Balduinus.

sedit annis 4.

18.

S. Aufridus.

sedit annis 15.

19.

Adelboldus.

sedit annis 19.

20.

Bernulphus.

sedit annis 27.

21.

Wilhelmus de Geldria.

sedit annis 22.

COMITES Hollandiæ.

3.

Arnulphus Theodor. secundi filius.

Rexit annis 5.

inter Sanctos habitus.

4.

Theodoricus tertius.

Rexit annis 46.

5.

Theodoricus quartus.

Rexit annis 9.

6.

Florentius primus.

Rexit annis 14.

Propter iuventutem Theodorici quinti Florentij filij Comitatus 14. annis variè jactatus fuit. Vnde alij duos vel tres interponunt fitque discordia in numero: Vt Gertrudem viduã Florentij quæ biennio gubernauit: Robertum secundum maritum Gertrudis: Godefridum gibbosum Lotharingiæ Ducem Hollandiæ invasorem anno 1076. occisum. Quo occiso Comes Hollandiæ fit verus Hæres.

Conrardus.

EPISCOPI Vltraiectini.

22.
Conradus.
sedit annis 23.

23.
Burchardus.
sedit annis 13.

24.
Godebaldus.
sedit annis 15.

25.
Andreas de Kuyck.
sedit annis 11.

26.
Heribertus.
sedit annis 12.

27.
Hermannus de Horn.
sedit annis 6.

28.
Godefridus de Rhenen.
sedit annis 22.

29.
Balduinus de Hollandia.
sedit annis 18.

30. 31.
Arnoldus ab Isenburgh & Theodorus de Hollandia sederunt simul annis duob.

32.
Theodoricus de Ate.
sedit annis 13.

COMITES Hollandiæ.

7.
Theodoricus quintus.
Rexit annis 20.

8.
Florentius secundus.
Rexit annis 27.

9.
Theodoricus sextus.
Rexit annis 37.

10.
Florentius tertius.
Rexit annis circiter 30.

11.
Theodoricus septimus.
Rexit annis 14.

Mortuo Theodorico Ada eius filia hæres nubit Ludouico Comiti de Loon præ-

EPISCOPI Vltraiectini.

33.
Otto de Geldria.
sedit annis duobus cum medio.

34.
Otro de Lippia.
sedit annis 12.

35.
Willibrand. de Oldenburch.
sedit annis 7.

36.
Otto de Hollandia.
sedit annis 16.

37.
Gosvvinus ab Aemstel.
sedit plus minus anno uno.

38.
Henricus de Viana.
sedit annis 17.

39.
Ioannes de Nassouven.
sedit annis 21.

40.
Ioannes de Zirck.
sedit annis 8.

COMITES Hollandiæ.

præter consensum patriæ. Quare ei opponit Wilhelmus patruus cum ea de iure hæreditatis per annum decertans. Mortuâ mox anno 1204. Adâ Comitatum adipiscitur, fitque Comes

12.
Wilhelmus primus.
Rexit annis 18.

13.
Florentius quartus.
Rexit annis 12.

14.
Guilhelmus Secundus qui fuit Rex Romanorum.
Rexit annis 21.

15.
Florentius quintus.
Rexit annis 41.

Wilhel.

EPISCOPI Vltraiectini

41.
Wilhelmus de Mechlinia.
sedit annis 5.

42.
Guido de Hannonia.
sedit annis 16.

43.
Fredericus de Zirck.

44.
Iacobus de Oosthorn.
sedit menses 2.

45.
Ioannes de Dijest.
sedit annis 18.

46.
Nicolaus Caputius.
sedit vix integro anno.

47.
Ioannes de Arckel.
sedit Vltraiecti annis 22.
translatus demum Leodiũ.

48.
Ioannes Varneburgensis.
sedit annis 7.

49.
Arnoldus Hornensis.
sedit annis 7. Vltraiecti
translatus inde Leodium.

COMITES Hollandiæ,

16.
Ioannes primus.
Rexit annis 3. cum medio.

17.
Ioannes secundus.
Rexit annis 5.

18.
Wilhelmus tertius.
Rexit annis 33.

19.
Wilhelmus quartus.
Rexit annis 8.

20.
Margareta defuncti Wilhelmi soror & vxor Ludouici Bauari Imperatrix.
Rexit annis 6.

21.
Wilhelmus Quintus.
qui septimo Regiminis anno incidit in phrenesim in eaque mortuus anno 1377.

Florent.

EPISCOPI Vltraiectini.

50.
Florentius Wenelichovius.
sedit annis 13. mensibus 5.

51.
Fredericus Blanckenhemius.
sedit annis 30. mensibus 6.

52.
Zuederus Culenburgius.
sedit annis circiter 9. nomine potius quã re ab Adversarijs Traiecto excluſus.

53.
Rodolphus Deipholdius.
sedit annis 22.

54.
Gisbertus Bredenrodius.
sedit annis non plenè duob.

55.
Dauid Burgundus.
sedit annis 39.

56.
Fredericus Badensis.
sedit annis 20.

COMITES Hollandia.

22.
Albertus Dux Bauariæ filius Wilhelmi Quinti ex gubernatore Comes.
Rexit annis 27.

23.
Wilhelmus Sextus.
Rexit annis 12. mensibus 6.

24.
Iacoba filia Wilhelmi.
Rexit annis 19.
In multis tribulationibus propter quas coacta fuit Comitatũ anno 1433. resignare Philippo Burgundo seruatis aut potius concesſis certis reditibus.

25.
Philippus Burgundus.
Rexit annis 31.

26.
Carolus Burgundus.
Rexit annis 9. mensibus 6.

27.
Maria Burgundica.
Rexit annis 5. mensib. duob.

28.
Philippus Austriacus.
Rexit annis 24.
per patrem Maximilianũ 12.
per seipsum 12. Car-

EPISCOPI Vltraiectini.

57.

Philippus Burgundus.
sedit annis 8.

58.

Henricus de Bauaria.
sedit 5. ferè annis.

59.

Wilhelmus Enckevortanus.
sedit annis ferme 7.

60.

Georgius Egmondanus.
sedit annis 23.

61.

Fredericus Schenck & secundus Archiepiscopus.
sedit & rexit per 19. annos quantum per ciuiles discordias & invalescentem hæresim licuit.

62.

Ioannes Bruhesius.

63.

Sasboldus.

64.

Philippus Rouenius. hi tres per prævalentes motus in Regem & fidem Catholicam sedibus suis inthronisari nequiuerunt.

COMITES Hollandiæ.

29.

Carolus Austriacus.
Rexit annis 43. ac anno 1549. filio Philippo resignauit.

30.

Philippus dictus secundus respectu Hispaniarum, respectu Comitatus Holland. tertius.
Rexit 50. pænè annis, quorum tamen magna parte hereditate sua fuit per vim excluſus.

Philippus quartus.

Philippus quintus.
Aſt hi duo per abnegationẽ Imperij auiti ab Ordinibus factam & proclamatam, Comitatu suo nunquam sunt potiti. nunc supremum dominium est penes ordines Patriæ

Nota hîc primò, aliquos enumerare Episcopos Vltraiectenses 65. sed illi inter Iacobum Oosthornium & Ioannem Diestensem interponunt Ioannem Bronchorstium, qui quidem à capitularibus legitimè fuit electus & aliquantum administrauit, sed solicitantibus Ioanne Brabantiæ Duce & Reynoldo Geldriæ Comite pro Ioanne Diestensi à Pontifice non fuit confirmatus, imo reiectus; ideo nec apud Ioannem Becanum, nec Hedam, quamvis Pontificis factum damnet, nec apud Suffridum numerum catalogi auget, nec nos augemus.

N. secundò, Hedã inter Episcopum nonum & decimum habere hæc verba: *hîc duxi non omittendum qualiter in vetustis libris & annalibus invenio aliquos Episcopos fuisse Traiectenses qui catalogo non inseruntur, sicuti circa hæc tempora Egihardum Episcopum, cuius intuitu Lotharius senior filius Ludouici Pij pro sua coniugisque ac prolis suæ incolumitate, invenitur in donationibus confirmasse auctoritatẽ immunitatis nedum pergenitorem suum, sed & per prædecessores eius Francorum Reges Ecclesiæ Traiectensi concessam anno imperij sui in Italia 26. & in Francia sexto. Actum Aquisgrani.* Verum reor eos dumtaxat fuisse Episcopos auxiliarios siue suffraganeos, quales in latissima Diœcesi Traiectensi erant necessarij; ideo apud dictos auctores calculum etiam non augent.

Nota tertiò, anno 1559. petente Philippo Hispaniarum Rege Belgarum Principe glisscentibus hæresibus obviam ire volente auctoritate Pontificis Pauli quarti inferiorum nostrarum Prouinciarũ Diœceses multiplicatas esse, cum antea solũ essét tres, Vltraiect. Atrebat. Tornac. vel quinq. si velis adnumerare sedes Leodiensẽ & Cameracensẽ, quarum Episcopi etsi essent extra nostrum Belgium, tamen per eius regiones latissime iurisdictionem exercebant. In hâc Episcopatuum multiplicatione dicto anno eriguntur

sedes

sedes Metropolitanæ tres, Vltraiectensis, Cameracensis & Mechlinienſis, quibus suæ suffraganeæ sedes assignantur. Vltraiectensi attribuuntur Harlemensis, Dauentriensis, Leovardiensis, Gruningensis & Middelburgensis; quarum Parochiæ omnes ab olim subfuerunt Episcopatui Vltraiectino, sicque ei quodammodo debitæ; protinusq; ordinatur ex Episcopo, Archiepiscopus Fredericus Scenck, primus quidem Archiepiscopus in hâc innouatione, sed secundus à S. Willibrordo, post cuius obitum satagentibus & cõtranitẽtibus Colonieſibus & supervenientibus Barb. grassationibus Archiepiscopalis dignitas in Eccleſia Vltraiectensi supprimitur manſitq; oppressa per 800. annos vsque in hanc nouorum Episcopatuum institutionem, per quam ad primeuæ dignitatis culmen ascendit. Interim omnes & Archiepiscopi & Episcopi à primo vsque ad vltimum exstiterunt Catholicæ Romanæ fidei eximij prȩcones, cultores, defensores, nec vllus in minimo ab ea defecit, veri Sancti Willibrordi hȩredes & successores; quæ quidẽ proprie successio existimanda est: nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, eiusdem throni socius est: qui autem contrariam sententiam tuetur, adversarius quoque in throno censeri debet; atque hæc quidem nomen, illa vero rem ipsam & veritatem habet successionis, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in S. Athanasium.

Hymnus Votivus dictus S. Willibrordo à V. Cornelio Musio Præpositio quondam Sanctæ Agathæ Delphis.

TE Willibrordum Præsulem,
Adeòque nostrum Apostolum,
Cantamus hymnis symmetris
Et spiritualibus modis.
Tu sanguinis prosapiæ,
Piæ licet, renuntians,
Procul omnium consortio,
In solitudinem migras.
Hic viuis integerrimè
Iuste, pieque & sobrie,
Hîc liberè colis Deum,
Securus à contagijs.
Sed euocatus cælitus,
Ad præsulatus ordinem,
Iusto talenti pro modo,
Multa vt referres fœnora,
Verbi sacri fidem sacram
Tu tradidisti gentibus,
Et primus hîc lectissimos,
Christo parasti milites.
At nunc dolor, quam plurimi,
Tua abnegantes dogmata,
Labuntur à prisca fide,
In hæresis delirium.
Quam Willibrorde feruido
Nisi precatu sopias,
Actum tua de Frisia,
Actumque de Batauia est.
Quod ne accidat, te sedulis,
Qui firmi adhuc consistimus,
Votis rogamus optime,
O Præsul, ô Apostole. Diuo

EPIGRAMMA.

VEllera cum minijs nitido radiantia villo
Ignotum sulcans pelagus lucratur Iason
Per varios casus, per mille pericula rerum.
Tu felix animi inuenis; tuque alter Iason,
Quem non mendacis calami cudere poëtæ;
Ast opifex mundi superorum fudit ab arce
Spem Frisiæ, columenque, ô Willibrorde, salutis.
Non te diuini gens nescia fœderis, exlex,
Non rigidus boreas, fluctus, soleſque alieni
Percellunt, quin vela truces deducis in vndas.
Macte animo, in puppim diuinæ flat fauor auræ
Cui non Neptunus, non horrifer Æolus obstet.
Barbara mox fauſtam connectent littora nauem,
Æripides tauros cicures noua sub iuga mittes,
Peruigilem catus poteris sopire draconem;
Aurea sic rapies tibi munera fortis Athleta,
Queis præditatus, statues super astra trophæum
Ac orbis nostri verus scriberis Iason.

Eidem è mari cum socijs Frisiæ portus petenti & intranti admirabunda adgratulatur & applaudit Frisia.

QVis Sol decoro iubare splendidus
Tentat carinis patria mœnia?
Quæuè astra nobis vnda donat
Sidereos imitata cælos?
Contaminauit fœdera num sua

Natura? rurſuſque ætheris inſcia
Phæbea proles plauſtra Solis
Præcipites tulit in ruinas?
Emota mens eſt cardine proprio;
Haud aſſuëto percutitur motu:
Excelſa ſunt quæ moliuntur
Grandia concilia, ô Deorum.
Agnoſco: lux eſt cælitus emicans,
Noſtras tenebras pellere geſtiens;
Alcides hic, quem Dii dederunt
Monſtra Erebi ſuperare nigri.
En expeditis cingitur adiuuis,
Vt Phæbus ardens ſideribus ſuis;
Feſtinè nos vt maximorum
Compedibus liberet malorum.
Salueto lampas fulgida, plenius
Portus adimplens, aruaque Frifica
Quàm mane Titan candicantem,
Dum rutilo vehit axe flammam.
Salue Heros auſis fortibus advena,
Accepte Diuis plèneque munerum
Diuina quæ largo merenti
Gratia fert cumulata cornu.
Saluete Hiberni gloria nominis.
Quis noſtri amor vos æquora per fera
Traxit ſuäui de quiete
Barbaricos penetrare in agros?
Vah vrna fælix prodiga ſortium
Non improbarum! vah niueum diem,
Quo de remotis ve&ta zonis
Contigit ora videre veſtra!
Agrum per omnem buccina perſonet,

Miſſæ

Missæ salutis buccina nuntia:
Festiua reddat turba plausum
Insolitis recreata votis.
Calcate grati limina patriæ,
Vestræ beatæ nescia copiæ:
E finibus nostris fugentur
Cimmeriæ procul hinc tenebræ.
Hinc, hinc, profani, sint procul improbi
Falsi Deorum fictilium chori,
Queis inferorum turba mendax
Ludificat lubricum popellum.
Radbodus orbis lumine Spiritus,
Insanientis gens sapientiæ,
Supercilî fastu superbi,
Missa polo documenta temnent.
Ast perge sacri dux strenue gregis,
Accede quò te numina destinant:
Per plana duc fortes sodales,
Perq; obices scopulorum acutos.
Securus omnem fer violentiam
Sortisq;, mortisq;, & tetricas minas
Contemne, securus cachinnos
Despicias, & aperta bella.
E clade multa te Deus eximet.
Reddet labores vbere fœnore,
Si fractus illabatur orbis,
Incolumis fugies ruinam.
Expandet alas te super, & suis
Pennis fouebit rebus in asperis;
Certusque promissæ salutis,
Sub clipei latitabis vmbra.
Assistet vrbis Romuleę Pater:

Francæ

Francæ Pipinus militiæ decus,
Austrasiæ Princeps tremendus
Sollicito proteget fauore.
Eliminatis spurcitijs, fides
Sincera, casto relligio micet
Spectanda cultu, quam nec annis
Cuncta domans minuat vetustas.
Te nostra semper carmina, te lyræ
Nostræ sonabunt, vox tibi seruiet
Dicata, præbebitque nostris
Materiem tua laus camenis.
Seris recludam facta nepotibus,
Cantabo vitæ præsidium meæ:
Dum spiritus peruadet artus
Iusta sequar tua Sancte Ductor.

Lusit anno 1626. F. W. P. B. C. R.

EPIGRAMMA ANAGRAMMATICVM.

WILLIBRORDVS BOSCHAERTS
loquitur:
ILLVSTRO, SVBVRO CHARIBDES.
Sic est.

WILLIBRORDE, tuos depingis docte PATRONOS;
Scribis veridicus; Noctua multa fugit,
Omen habet nomen; subuertis germina falsi;
Mendacia stijlo *VERITAS VINCIT* tuo.
Hinc tibi viuaces connectit *FRISIA* laudes,
Et tibi Cœlicolûm Spiritus alta fauet.

Auet
I. Van Westerlaken.

quartum carmẽ est jambicum propter dictum, quod continet Symbolum Tungerloense. ELENCHVS

ELENCHVS

Dissertationum hoc Opere comprehensarum.

POst præfationem & duo quæsita & quędam alia præliminaria sequuntur Dissertationes, quarum est Prima,
Quo anno sit S. Willibrordus natus.
Quam illustris eius natiuitas.
Quam nobilis Parentela eius. Pag. 1.
2. In qua parte Britanniæ, & ex qua gente natus sit Willibrord. Pag. 6.
3. De Nomine S. Willibrordi. Pag. 15.
4. De Pueritia & Adolescentia S. Willibrordi, & Sociorum. Pag. 19.
5. De Ripensi Monasterio. Pag. 24.
6. De Commigratione S. Willibrordi in Hiberniam.
De vocatione eius ad Conversionem gentium. Pag. 27.
7. De Sacerdotio S. Willibrordi. Pag. 29.
8. A quo & quomodo S. Willibrordus cum socijs ex Hibernia sit missus in Frisiam. Pag. 32.
9. Quinā sint Dani à Beda capite decimo memorati. p. 35.
10. Quinam Frisij. Pag. 38.
11. Quinam Rugini? Quinam Huni. Pag. 42.
12. De profectione S. Willibrordi, Sociorumque in Frisiam. Pag. 45.
13. Quis qualisve fuerit S. Egbertus Willibrordi emissor? An fuerit Episcopus siue Archiepiscopus & quidem Eboracensis? Pag. 49.

14. Ex quo loco siue patria S. Egbertus Willibrordum in Frisiam misit. Pag. 54.
15. De Origine Vrbis Vltraiectinæ. Pag. 57.
16. De eius nominibus eorumque variatione. Pag. 59.
17. De antiquo situ vrbis Vltraiectensis. Pag. 63.
18. Inter quos populos olim fuerit situ Vltraiectum. p 65.
19. Quâ viâ per mare Vltraiectum delatus S. Willibrordus. eius occasione de Rheno eiusque antiquis alueis & ostijs. Pag. 69.
20. De quodam statu vrbis Vltraiectinæ ante adventum Willibrordi. Pag. 77.
21. Quando Frisij Vltraiectum occuparint. Pag. 80.
22. Quis Frisiorum Rex Traiectum occuparit. 81.
23. Num Adgillus, Radbodus, veri fuerint Reges Frisiæ, Antantum Duces. Pag. 83.
24. A quo tempore Reges Frisia nacta est. Pag. 84.
25. Quousque sceptrum in Frisia durauerit. Pag. 86.
26. Quo tempore S. Willibrordus Frisiam Vltraiectensemque portum intrarit? Pag. 89.
27. Quibus Principibus aduenerit S. Willibrordus. p. 95.
28. De regressu S. Willibrordi à Radbodo ad Pipinum. Quid citerior Frisia. Pag. 101.
29. Quot fuerint socij S. Willibrordi? Pag. 103.
30. An S. Wicbertus cum Willibrordo transfretauerit in Frisiam. Pag. 104.
31. De duobus Ewaldis. Pag. 119.
32. De Acca. Pag. 108.
33. De Wilibaldo & Winibaldo. Pag. 121.
34. De Lebuino siue Leuino. Pag. 124.
35. De Marcellino. Pag. 128.
36. De reliquis S. Willibrordi consodalibus & cur plerique lateant. Pag. 133.

37. De

37. De Pipinis. Pag. 135.
38. Quomodo Pipinus potuerit mittere S. Willibrordum prædicatum Frisijs cum illud spectet ad jus Ecclesiasticum. Pag. 140.
39. Cur à Pipino potius petierit licentiam quàm à Rege, cum Franciæ Reges Austrasiæ & Franciæ Dominarentur. Pag. 142.
40. An missio illa à Pontifice impetrata Sancto Willibrordo fuerit necessaria & an crediderit sibi fuisse necessariam. Pag. 143.
41. An S. Willibrordus solùm semel iuerit Romam, an bis. Pag. 148.
42. Quo anno Romam primò iuerit. Pag. 150.
43. Quidnam præterea egerit in 1. profectione Romæ quæque inde extulerit S. Willibrordus. Pag. 150.
44. De exilio S. Lamberti amici S. Willibrordi & cooperatoris. Pag. 155.
45. De restitutione S. Lamberti. Pag. 159.
46. De conferentijs & Vicaria communicatione laborum S. Lamberti & S. Willibrordi. Pag. 160.
47. De bello inter Pipinum & Radbodum & Vltraiecti occupatione. Examinatur Barlandus. Pag. 163.
48. De adventu S. Willibrordi Wiltaburgum. Pag. 165.
49. De constructione oratorij S. Crucis. Pag. 165.
50. De Idolis apud Frisios coli solitis ante illatam Euangelicam lucem. Pag. 170
51. De ingressu duorum Evvaldorum in Westphaliam eorumdemque Martyrio. Pag. 173.
52. De loco & anno Martyrij ipsorum. Pag. 176.
53. De destinatione S. Svviberti ad Episcopatum. refutatur Marcellinus. Pag. 179.

54. Quo anno Sanctus Svvibertus est ordinatus Episcopus. Pag. 181.
55. Martyrium S. Wigberti & simul examinatur Marcellinus. Pag. 190.
56. De Fostilandia. pag. 194.
57. De admissione Alpaidis pellicis & demisione Plectrudis à Pipino. pag. 196.
58. De vocatione & destinatione S. Willibrordi ad Episcopatum à Pipino. pag. 201.
59. De profectione S. Willibrordi versus Romã. pag. 203.
60. De cælica admonitione Sergio in somnis factâ & Angelico ministerio. pag. 204.
61. Quonam Die mensis obuenit Sergio dicta admonitio? Quonam die Willibrordus Vrbẽ intrauit? p. 208.
62. Quo anno Sanctus Willibrordus sit creatus Episcopus. pag. 210.
63. Quo die eam acceperit. pag. 212.
64. Quo loco S. Willibrordus sit Consecratus. pag. 215.
65. Cuius qualitatis Episc. Willibrord. sit creatus. p. 219.
66. De indumentis Sacris & Pallio Archiepiscopali quibus Pontifex induit S. Willibrordum. pag. 224.
67. Quomodo S. Willibrordus à Sergio sit transnominatus. pag. 226.
68. Refutatio quorundam cuiusdam Caluinistæ circa Episcopatum S. Willibrordi. pag. 231.
69. An Willibrordus suscipiens Episcopatum deseruerit aut deserere voluerit Monachismum. pag. 233.
70. De reditu à Româ S. Willibrordi. De Pipini donatione. pag. 236.
71. De reuersione S. Willibrordi ad Frisios. Refutatur Pseudomarcellinus. de Comitatu Teisterbandiç. p. 238.
72. De Origine nominis Brabantiæ. pag. 241.

73. De

73. De ortu nominis Hollandiæ & Zelandiæ. pag. 243.
74. De nomine Lotharingię & Flandriæ. pag. 249.
75. De nominæ Angliæ. pag. 250.
76. De Eccleſia S. Saluatoris & conſtitutione Sedis Epiſcopalis Vltraiectinæ. pag. 253.
77. De Eccleſiæ S. Martini conſecratione. Refellitur Marcellinus. pag. 259.
78. Cur Duroſtadium non ſit factum ſedes Epiſc. pa. 262.
79. De quibuſdam circa donationem Epiſcopalis ſedis à Pipino factam. pag. 264.
80. De Cœnobitica Eccleſia à S. Willibrordo Traiecti erecta. pag. 266.
81. Cur S. Willibrordus Eccleſiam non dedicarit honori primorum Apoſtolorum Petri & Pauli? Cur Martini? Cur non S. Thomæ? pag. 274.
82. De Synodo Traiect. prima. Quo anno habita. p. 276.
83. Quinam celebratæ Synodo interfuerint. Refutatur Marcellinus. pag. 278.
84. Quid in prædicta Traiectenſi Synodo actum, Refutatur Marcellinus & ſimul aliqua illuſtrantur. pag. 287.
85. De B. Begga Apoſtolicorum Virorum fautrice & adiutrice. pag. 304.
86. De Martyrio S. Lamberti. pag. 307.
87. De conſecratione mirabili Epiſcopali Sãcti Huberti S. Willibrordi amici. pag. 311.
88. De Drogone, Grimoaldo, legitimis Pipini Filijs. p. 312
89. De S. Vulfranno Epiſcopo Senonenſi, Friſiæ Apoſtolo. pag. 313.
90. De B. Gangulpho B. Vulfranni in Friſia Cooperatore. pag. 317
91. De B. Euermaro Friſio S. Willibrordi Spirituali fætu. pag. 318.

92. Quidnam egerit Pipinus post necem S. Lamberti & refutatur Vulgata opinio ex Marcell. desũpta. p. 320.
93. De Sergio Pontifice S. Willibrordi Ordinatore. p. 324.
94. De Orpiensi Cœnobio per Pipinum fundato. p. 327.
95. De Alpaidis dimissione, pœnitentiâ, exitu. p. 329.
96. De progressu & seminario Ecclesiæ Traiectensis sub Willibrordo. pag. 332.
97. De conatibus æmulorum in B. Wilfridum, qui absolutus, Episcopus sit Hagulstaldensis. pag. 334.
98. De fundatione Cœnobij Epternacensis Dotantibus Pipino & Irmina. pag. 338.
99. Qualis Irmina quæ S. Willibrordus fuit beneficia. pag. 341.
100. De donatione Imperialis Werdæ. Examinatur & explicatur Marcellinus. pag. 350.
101. Prosecutio donationis Werdæ. pag. 356.
102. Quo anno S. Svvibertus Werdã obtinuerit. p. 359
103. De prima profectione Winfridi in Frisiam. Exponitur Othlonus. Pag. 361.
104. De obitu S. VVilfridi Apo. Frisiæ. Epitome Chronologica vitæ ipsius. pag. 364.
105. De Translatione corporis S. Lamberti Traiecto Leodium. Plurima eò pertinentia explicantur. p. 368.
106. An simul cum corpore S. Lamberti sedes Episcopalis Traiectensis siue Tungrorum sit translata Leodium. pag. 375.
107. De morbo & morte Pipini. Examinatur Marcellinus. pag. 378.
108. Reijcitur Marcellinus. pag. 380.
109. An Pipinus moriens iniustè hæredem scripserit Carolum Martellum illegitimum prĕterito Theobaldo legitimo Nepote. pag. 383.

110. Quis

110. Quis fuerit Agilolphus qui Pipinum moribundum visitauit. pag. 388.
111. An Episcopatus Colonienſis fuerit tempore Pipini Herſtalli Archiepiſcopatus. pag. 390.
112. De donatione Sustrenſi facta S. VVillibrordo à Pipino. pag. 393.
113. De obitu S. Svviberti. Discutitur Marcell. p. 395.
114. De honorificis exequijs S. Swiberto celebratis. Miracula ibidem. De Verona. pag. 399.
115. De S. Villeico. pag. 406.
116. Quomodo, quãdo & vbi interierit Radbodus. p. 408
117. De receſſu S. Bonifacij à S. VVillibrordo in Angliã & profectione verſus Romam. pag. 419.
118. Appulſus ad vrbem Romam cum ſuis Bonifacius à Pontifice humaniter & liberaliter accipitur. pag. 423.
119. Reditus Bonifacij in Germaniam cum amplo Pontificio Diplomate. Aliqua de Leone Imperatore. p. 426
120. De exceſſu S. Vulfranni. De eius corporis incorruptione. Aliquot eius exempla. pag. 431
121. De reditu Sancti Bonifacij ad S. VVillibrordum in Friſiam. Nonnulla obſcuriora explicantur. pag. 437.
122. De S. VVillibrordo conante Onus Epiſcopale imponere S. Bonifacio. pag. 441.
123. An S. VVillibrordus intenderit ſuum Epiſcopatum reſignare. pag. 445.
124. Num S. VVillibrordus aliquando ſuo Epiſcopatui renuntiarit. pag. 448.
125. De eleuatione Sanctæ Cuneræ Virginis petentibus Renenſibus. pag. 455.
126. De ordinatione Bonifacij in Epiſcopum. Eius trãſnominatione: remiſſione in Germaniam cum commendatitijs ad Carolum Martellum. pag. 456.

127. diplo ma

127. Diploma quo Carolus Martellus plurima S. VVillibrordo donat. Idem explicatur. pag. 463.
128. Donatio Pagi Elstani. Caroli Diploma, quod explicatur? pag. 471.
129. De Donatione Ecclesiæ Antuerpiensis à Rohingo. Qualis Rohingus. De Marca Antuerpiensi. pag. 478.
130. De alia donatione Rohingi, cuius diploma illustratur. pag. 486.
131. De donatione Epternacensi facta à S. VVillibrordo sub nomine Testamenti, quod illustratur. pag. 493.
132. De Taxandria seu Pago Taxandrio de quo in Testamento. pag. 508.
133. An Taxandria ante prædicationem SS. Lamberti, & VVillibrordi fuerit ethnica? pag. 511.
134. An prædicta dotatio sit facta per verum Testamentum. pag. 513.
135. In qua De Thiela quæ perhibetur S. VVillibrordo donata, multa discutiuntur. pag. 517.
136. De obitu S. Huberti S. Willibrordi amici, coætanei & familiaris. De eius sepultura. pag. 525.
137. De SS. Wunibaldo & Willibaldo. pag. 527.
138. De obitu S. Egberti Archimandritæ. Annus obitualis examinatur. pag. 531.
139. De Saracenis hoc tempore Gallias dirè infestantibus. pag. 535.
140. De more velandarum Virginum. Harlindis & Relindis cum alijs à S. VVillibrordo velatæ, Miraculum in Vase Vacuo Vino præstanti repleto. pag. 538.
141. De alia discipula S. VVillibrordi Amelberga. p. 542.
142. De S. Ingelmundo Kenemariorum Apostolo. De B. Adulpho. pag. 545.
143. De obitu Venerabilis Bedæ S. VVillibrordi Coætanei

nei & Encomiastæ. pag. 548.
144. De S. VVihone Frisio S. VVillibrordi in Collegio Traiectensi Discipulo ac primo Episcopo Osnaburgensi. pag. 552.
145. De Egberto Archiepiscopo Eboracensi & Svviberto Abbate Anglo. Ostenditur iterum eorum confusio cum Egberto Archimandrita & Svviberto Sancti Willibrordi Coepiscopo. pag. 557
146. De Bruinsvvico. Manifestatur iterum fucus Marcellini. pag. 563.
147. De Viuida senectute S. Willibrordi. pag. 566.
148. De obitu S. Willibrordi & quæ circa eum contigerunt. pag. 569.
149. Quo anno, mense & die obierit S. Willib. pag. 574.
150. Quisnam successerit S. Willibrordo in Episcopatu? An Bonifacius? An is Episcopus siue Archiepiscopus Vltraiectensis proprius fuerit? pag. 580.
151. An saltem post dimissum Archiepiscopatum Moguntinensem, & secutam profectionem in Frisiam, fuerit specialis Episcopus Vltraiectensis. pag. 586.
152. De Eobano Episcopo & Martyre in Frisia. pag. 588.
153. De Martyrio S. Bonifacij eiusque loco. pag. 590.
154. De Socijs S. Bonifacij in perceptione Mart. pag. 594.
155. De declinatione sedis Vltraiectensis. An eius Episcopià Gregorio vsque ad Godebaldum caruerint mitra & infulis Episcopalibus. pag 596.
156. Qualem benedictionem susceperint Episcopi Traiectenses vsque ad tempora Godebaldi: Explicantur Becanus & Heda. pag. 600.

Sub enumeratis Dissertationibus continentur aliquot Appendices & multa alia datâ occasione explicantur.

Syllabus noſtræ Veteris Friſiæ Primorum Apoſtolorum.

ÆGiſtus à S. Petro miſſus, vt Friſij tradunt. Koniochus: S. Eligius Epiſcopus. De quibus vide proœmialia.

Wilfridus Epiſcopus Eboracenſis.

Wigbertus de quo V. Beda lib. 5. epiſt. Angl. cap. 10.

Willibrordus, Svvibertus, Werenfridus. Adelbertus, qui tres cum S. Willibrordo in Friſiam aduenerunt, alij octo comites ignorantur. Vide diſſertationem 36.

Wigbertus Martyr vide diſſ. 30.

S. Lambertus. Tungrorum Epiſcopus diſſ. 44. 45. 46.

Wulfrannus Archiep. Senonenſis. Wando eius auxiliarius. Winfridus aliàs Bonifacius, Lebuinus, Marcellinus. vide diſſ. 89. 34. 35.

Ingelmundus. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis. Wiho Epiſcopus Oſnaburgenſis.

Eobanus, Athalarius & 50. ſocij S. Bonifacij in Friſia adiuuæ cum eodemque Martyrio affecti anno 755.

De Acca Epiſc. Hagulſtadenſi, de Evvaldis, Wirone, Adulpho, quid ſentiam, vide diſſ. 31. 32. 83. 142.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE ERRATIS.

Errata sunt aliqua. Præcipua annotabimus, Pag. 137. 589. lege 689. Pag. 144. id pisum l. idipsum. Pag. 173. illo l. illorum. Pag. 153. tamqum l. tanquam. Pag. 229. Ponti ficie l. Pontifice. pag. 370. veindicarent l. vendicarent. Pag. 456. habent l. habeant. Pag. 477. negotio l. negotia.

Contigit interdum, cum in correctorio esset benè, vt in impressione prælo quassato non satis clauso, litteræ vel nimium iungerentur, vel disiungerentur. Quæ, vt reliqua, latinè perito erunt facile cognoscibilia, ignoscibilia, & emendabilia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De primis
Veteris
Frisiæ
Apostolis.

Th
4881

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN